[illegible] From the [illegible] Collection.



Perkins and Heath   Patent Hardened Steel Plate

1731

Di Placo Soranzo



John Carter Brown.

by Cardinal Marino Grimani

Vid. Renouard

CARTER BROWN

COMMENTARII IN EPISTOLAS PAVLI, AD ROMANOS, ET AD GALATAS.

AL DVS

VENETIIS. M. D. XLII.

PAVLO TERTIO PONTIFICI MAXIMO FEL. D.

SVmma Apoſtoli Pauli auctoritas fecit Beatiſſime Pater, perpetuumq; doctiſſimorũ hominum de ſingulari eius doctrina iudicium, ut nemo ferè fuerit paulò ſacrarum literarum ſtudioſior, qui ipſius epiſtolas incredibili uoluptate non legerit, easq; ſcriptis, & commentariis ſuis illuſtrare conatus non ſit; quorum ego iudicio, atq; ſimul diſcendi cupiditate commotus, in earum lectionem totus incubui, collectisq; nonnullis inde annotationibus, eas duas epiſtolas, quas ille Romanis, & Galatis ſcripſit, quòd multum inter ſe congruentes eſſent, & ſententiarum ſimilitudine coniunctæ, exponere tentaui. Quod ego meum ſtudium, quos labores, qualeſcunque eſſent, ſub maieſtate nominis tui in lucem edere decreui: cum, ut hi teſtes forent aliquando meæ perpetuæ erga te obſeruantiæ, ueriusq; dicam pietatis: tum, ut reliquos Chriſtianæ, ueritatis amatores, ad hæc tam pia, & tam præclara ſtudia excitarem.

4-
2823
35

Eos autem diuino tuo iudicio, ea potiſſimum ratione ſubiicio, quòd tibi uni de rebus omnibus, ac de his maxime, quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent, à Deo Opt. Max. iudicandi poteſtatem datam eſſe intelligo. Meum uerò nomen operi, eo maxime conſilio præponere nolui, ut lectores de his ſcriptis, liberius iudicare poſſint.

PRAEFATIO IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS.

CVM *uarias nationes, ac gentes* Apoſtoli *prædicationibus ſuis*
in unius fidei Chriſtianæ *ſocietatem collegiſſent, plurimi eorum,*
qui eam fidem ſuſceperant, maximis inter ſe contentionibus cer-
tare cœperunt; & relicta illa ſanctiſſima Apoſtolorum *doctri-*
na ad nouas opiniones, non ſine magno fidei detrimento, ſe con-
tulerunt. Vt *enim arbores, quæ paululum ſe ab humo erexerunt cum nondum*
firmas, atque altas radices egerint, leuiſſimo quocunque auræ flatu in uarias par
tes flecti ſolent; ita quoque illo primo orientis Eccleſiæ *ſtatu, cum religio pau-*
lulum coaleſcere cœpiſſet, & nondum firmis radicibus in hominum pectoribus
inhæſiſſet, facile ab indoctis praue ſentientibus in uarias ſententias mutari potuit;
ita, quòd niſi eorum erroribus Apoſtoli *reſtitiſſent, magnam non modo rerum ob-*
ſcuritatem, & ignorationem, ſed etiam ſecuturis hominibus confuſionem reliquiſ-
ſent: Atq;, *ut omittam* Corinthios, & Galatas, *qui tam facile ab inſtitutis* Apoſtoli
receſſerunt, Romæ *uehementiſſimæ diſcordiæ, et diſſenſiones uiguerunt.* Iudæi *enim,*
qui legi, qui cæremonijs, qui circunciſioni fidebant, Gentiles, *quòd* Idolis *litauiſſent, et*
muta ſimulacra coluiſſent, legemq́; illam Moyſi *à* Deo *datam ſecuti non eſſent, à ſe*
repellebant; neq; fieri poſſe putabant, ut hi, qui in cultu Dei *pares ſibi non fuiſſent,*
pares in gratia ipſius inueniri poſſent. Gentiles *uero* Iudæis *inſultabant, quòd illi in*
Filium Dei *per legem eorum promiſſum non credidiſſent, & ob hoc à fide ſuorum*
patrum deſciuiſſent; nam quo maiorem de Deo *cognitionem eſſent conſecuti, tan-*
to eos inde maiori pœna afficiendos eſſe iudicabant. His itaq; *de cauſis permotus*
Apoſtolus, *cum in* Chencri *portu* Corinthiorum *eſſet, ad illos* Iudæos, *atq;* Gentiles,
qui Romæ *diſſidebant, quos ille, uel forte aliquis alius* Apoſtolorum *ex uarijs urbi-*
bus, ac regionibus ad credendum in Chriſtum *inflammauerat, hanc ſcripſit epiſto-*
lam, in qua, tanquam Gentium Apoſtolus, *ſuperbum, atq; inflatum* Iudæorum *ani*
mum contundit, docetq́; eos non circunciſione, non lege, non cæteris expiationibus,
ſed ſola Dei *gratia iuſtificationem eſſe conſecutos, quemadmodum &* Gentiles *con*
ſecuti fuerant. Itaq; *cum nomen, ac munus ſuum, deſideriumq́;, quo eos uidere cu-* I.
piebat, & quid deniq; prædicaret, præmiſiſſet, Gentiles *primo increpat, quòd, cum*
ex motu cœli, reliquisq́; multiplicibus effectibus Deum *cognouiſſent, eidem tamen*
ipſi animalia bruta, ſerpentes, uolucres, & quadrupedes prætulerint: propter quod
tam infandum ſcelus traditi à Deo *in improbam mentem omni uitiorum fœdita-*
te ſe ſordidauerint; Conuertensq́; *ſe deinde ad utroſq;, dicit:* Vos *etiam omnes inex-* II.
cuſabiles eſtis, & præſertim uos, qui alios de cultu Idolorum *iudicare uoluiſtis, cum*

& ipſi de eodem quoq; ſcelere damnandi ſitis. Nec uos Iudæi fidatis legi ueſtræ tantum, ut per eam iuſtificari, et expiari à peccatis ueſtris poſſe credatis, quoniam non lex, ſed ipſius legis obſeruatio hominem iuſtificabit; nec propter hoc Gentiles contemnatis, ſi neq; legem ueſtram, neq; circuncisionem ſuſceperint, nam, ſi ipſi fecerint opera legis, propterea quòd eam habebant ſcriptam non in tabellis ſaxeis, ſed in cordibus, iuſtificationē ipſam conſequētur; & idcirco Gentilis circūciſus eſſe cenſebitur: ſed uos incircunciſi putabimini, ſi opera legis prætermiſeritis, nam circuncisio cordis præferenda eſt circuncisioni corporis, quia hæc quidem eſt ſpiritus, illa literæ: hæc à Deo, illa tantum ab hominibus meruit cōmendari; & in hoc alter al-

III. teri non eſt præferendus. Excellitis tamen in hoc tantum Gentilibus, quòd uobis, & non illis primum eloquia Dei fuerunt ad credendum data, quibus quamuis non crediderit is, Deus tamen non deſtitit propter incredulitatem ueſtram ſeruare uobis pactiones ſuas, quia uerax eſt, nec incredulitas ueſtra potuit fidem ipſius abrogare. In nulla re igitur ipſis Gentilibus præſtatis, quia tam uos, quàm illi peccauiſtis. Lex uero uobis data uos ipſos iuſtificare non poteſt, quia lex non eſt expiatrix, ſed ſolum manifeſtatrix peccati. Nunc uero in hoc ſtatu iuſtitia, ac ſatisfactio, quam fecit Deus per ſanguinem Chriſti, credentes in eum à præteritis, atq; præſentibus peccatis iuſtificauit. Quare per legem fidei, qua Iudæos, & Gentiles in Chriſtum credentes Deus iuſtificat, iactātia illa, et gloriatio ueſtra exploſa eſt; quod maxime Abra-

IIII. hæ exemplo oſtendi poteſt. Ille enim non per circuncisionem, ſed per fidem fuit iuſtificatus: quandoquidem ſcriptura aſſerat, quòd, quia crediderit Abraham, iuſtus reputatus fuerit: iuſtus etiam, antequam circunciderctur, dictus eſt, ne crederetur iuſtificationem conſecutus propter circuncisionem: & ideo etiam incircunciſus credidit, ut omnium tam Gentilium, quàm Iudæorum credentium pater exiſteret: nec etiam per circuncisionem, aut per legem fuit illi, & ſemini ipſius, promiſſa hæreditas mundi, cum lex tantum iram nobis pepererit. Quare fide Abraham omnia conſecutus eſt, & iuſtificationem, & hæreditatem mundi, & paternitatem multarum gentiū, & uirtutis generandi reſurrectionem, quæ in prouecta ætate mortua iacebat. Sicut igitur ille fide iuſtificatus fuit, ita quoq; nos omnes, tam Iudæi, quàm Gen-

V. tiles, per fidem iuſtificati ſumus. Quare concordes ſimus, quia in eum ſtatum gratiæ per Chriſtum iuſtificati peruenimus, in quo nō modo per ſpem gloriamur peruenire poſſe ad gloriam filiorum Dei, ſed etiam gloriamur in tribulationibus, quia tribulatio tolerantiam, tolerantia probationem, & probatio ſpem producit, quæ nos non eludet; nam amor Dei id nobis perſpicue demonſtrauit, qui tam eximius, tamq; excellens fuit, ut pro nobis inimicis ſuis Filium ſuum morti tradiderit. Propter hoc enim Dei inimici eramus, quia Adam peccauerat, per cuius peccatum uenit mors, & priuatio gratiæ in omnes homines, qui ante, & poſt legem fuerunt. Omnes enim in illo uno oberrante peccauimus: ſed tamen longe maius fuit do-

num

num Dei per Chriſtum, quàm peccatum Adæ: tum, quia ex uno Adæ peccato condemnatio ſecuta eſt; ſed donum Dei in iuſtificationem plurima peccata dimiſit: tum etiam, quia Adæ peccato mors regnauit, & priuatio gratiæ; ſed donum Dei abundantiorem gratiam nobis communicauit, quia Chriſtus mortem noſtram reſurgendo deſtruxit: &, ſicut Adam inobediendo peccauit, ita ipſe obediendo ſatisfecit. Non modo autem ante legem inimici Dei fuimus, propter peccatum, ſed etiam poſt editam legem inimiciores illius extitimus, quia per eam ſemper affluxit peccatum, ut gratia deinde copioſius abundaret. Sed tamen propter hoc non VI.
debemus peccare, ut gratia Dei magis abundet, quia cum in baptiſmo ſepeliamur cum Chriſto, mortui ſumus peccato. Vnde ſicut conformes ſumus Chriſto in morte, ita quoq; conformes ſimus illi in reſurrectione. Vt, ſicut ille, poſtquam reſurrexit, nouam uitam egit, ita nos ſuſcitati à peccato nouam, ac innocentem uitam traducamus; nec præbeamus membra noſtra arma peccato, ut olim in lege, quoniam denuo moreremur; quia ſicut uita æterna gratia Dei nobis datur, ita etiam propter peccatum morte æterna damnamur, quia ſtipes ipſius peccati mors ipſa exiſtit. Nunc ſoluti à lege facilius peccatum reprimemus, ipſa enim mortua eſt, VII.
quia Chriſtus eſt finis legis. Cum enim in lege uiueremus, peccata, quæ in membris noſtris erant, adigebant nos ad peccandum, ut morti, & non ſpiritui ſeruiremus: & quanquam lex peccatum non ſit, ſolamq; concupiſcentiam peccatum eſſe commonſtrauerit; peccatum tamen per eam occaſione ſuſcepta homines uehementius ad peccandum extimulauit. Vnde homo, quantum ad carnem attinet, peccati ſeruus eſt, quia malum, quod oderit, facit; & non facit bonum, quod optat; & quia mente aſſentit legi Dei, ex hoc apparet, legem ſanctam, bonam, iuſtam, ac ſpiritualem eſſe; ſed lex, quæ eſt in membris hominis, contraria eſt legi mentis, ac legi Dei, quæ facit hominem ſeruire peccato, à quo per legem liberari non poteſt, ſed per ſolam gratiam Dei. Ex his igitur perſpicue appa- VIII.
ret, nullam damnationem poſſe ſequi hos, qui in Chriſtum crediderunt, quoniam lex uitæ, ac ſpiritus hominem à peccati ſeruitute liberauit; quia, quod lex præſtare non poterat, Deus per Chriſtum præſtitit, ut erepti à peccato uiueremus ſecundum ſpiritum. Quòd ſi ſpiritu uixeritis, ſpiritus quidem Chriſti in uobis habitabit, ex cuius inhabitatione, quanquam corpus mortuum ſit, propter peccatum, ſpiritus tamen uiuet, propter iuſtitiam; ipſe enim reſurgere faciet mortalia corpora ueſtra, & faciet uos filios adoptiuos, & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti: ſimiliter ille idem ſpiritus docebit uos, quid oraturi ſitis, & modum etiam, quo orare debeatis, pro ſanctis, & fidelibus: omnia enim diligentibus Deum, maxime his, quos Deus prænouit bene uicturos, & definiuit, ut eſſent ad inſtar Filij ſui, cooperantur in bonum; quia, quos prænouit bene

uicturos, hos prædeſtinauit, & his diſpoſuit felicitatem æternam dare, & eoſdem etiam uocauit, & iuſtificauit, & magnificauit. Si itaq; diligentes ſe, & eos, quos idē prænouit bene uicturos, Deus magnificauit, quis poterit hanc Dei determinationem demoliri, cum ille tanto amore nos complectatur, ut Filio ſuo non pepercerit. ſed pro nobis eum morti tradiderit, & in illo nobis omnia peccata noſtra condonauerit: Quare electos ſuos nec Deus poteſt criminari, qui illos iuſtos facit: nec Chriſtus etiam eos poteſt condemnare, qui pro eis mortuus fuit. Itaq;, cum hæc tam maxima ſigna amoris ſui erga nos Deus oſtenderit, nulla unquam uis poterit nos ab
IX. eius charitate incomprehenſibili ſeparare. Ipſe ego tamen olim optaui ſeparari à Chriſto pro fratribus meis, quia timebam, ne noua religione adducti legem ſuam relinquerent. Ipſi enim erant filij adoptiui Dei, quibus innumera beneficia à Deo conceſſa fuerāt, & maxime hoc, ut ex patribus eorum Chriſtus naſceretur; promiſſio tamen Dei, & uerbum ipſius, quanquā ipſi ſint à Chriſto ſeparati, non excidit: quia ſi non in omnibus illis, in aliquibus tamen eorum, & in alijs uerioribus filijs Iſraelis, & Abrahæ completum fuit; Quia non omnes, qui ex Iſraele nati ſunt, Iſraelitæ ſunt exiſtimandi, neq; omnes etiam filij Abrahæ ſunt computati in ſemine eius. Hoc quidem apparet maxime in Iſmaele, quem Sara eiecit, & Iſaac tantum computauit in ſemen; quod non modo à Sara, ſed à Rebeccha quoq; factum fuit, quæ peperit duos filios; Nam Iacob, filius ipſius minor, fuit prælatus Eſau maiori à Deo, ſine eorum ullo bono, aut malo opere, quia Rebecchæ dictum fuit, antequam nati eſſent, quòd maior ſeruiturus eſſet minori; & ſic apparet, quòd non in omnibus filijs Abrahæ, & Iſaac fuerunt cōpletæ promiſſiones, ſed in aliquibus tantum. Nec propter hoc Deus iniuſtus, quòd Iacob prætulerit Eſau, cenſendus eſt, quia Deus non propter opera bona hominum, ſed per miſericordiam ſuam dat regna, & imperia; quoniam imperium, ac prælatio non eſt hominis uolentis, aut currentis, ſed eius, cui Deus per miſericordiam ſuam imperium concedit; nemini tamen imperium eripit, niſi prius ille, qui imperat, ſuis ſceleribus Deum ad iracundiam prouocauerit. Plerunq; etiam legimus, hos ſceleſtos homines, propter magnitudinem peccatorum ſuorum, à Deo excitatos fuiſſe ad iram, & indignationem exercendam, ut propter hoc in eis oſtenderet magnitudinem potentiæ, & iuſtitiæ ſuæ. Scriptura enim dicit ex ore Dei, de Pharaone, quòd Deus illum ad crudelitatem, quà miſeros Hebræos affligeret excitauit, ut eum à regno detruderet, ut hoc modo eius nomen per omnem terram diffunderetur; neq; propter hoc debet homo dicere: quare me ſeruum, & alium regem feciſti? quia fictile non dicit Figulo ſuo: quare me impolitum uas, et aliud honoratum finxiſti? Regna igitur, atq; imperia Deus ex ſola ſua miſericordia concedit, nullis hominum operibus: ſed idem neminem à regno detrudit, neminemq; punit niſi propter illius praua opera, ſicuti idem neminē ſaluat, niſi

propter

propter fidem illius, & opera conſequentia eam; & ideo, ſi Deus uolens oſtendere iram ſuam in uaſa ea, quæ ſe accommodarunt damnationi, & oſtendere diuitias gloriæ ſuæ in uaſa ea, quæ ipſe præparauit ad gloriam, inter quæ ſunt, non modo Iudæi, ſed etiam Gentiles, ut Oſæas declarauit, quid poterimus reſpondere, & dicere ad hæc? Cur Gentiles ſalui facti ſint repulſis Iudæis, dicemus profecto hoc contigiſſe, propter hoc, quia Gentiles apprehenderunt iuſtitiam fidei, ut primum audiuerunt nomen Chriſti; Iudæi uero iuſtitiam illam legis tantum complexi ſunt, quia crediderunt ſe poſſe iuſtificari per opera legis, & non per fidem Chriſti; De iuſtitia autem utraq; hac Moyſes meminit; propterea ſi iu= X.
ſtitiam fidei habueritis, & Ieſum Chriſtum à mortuis ſuſcitatum fuiſſe confeſſi fueritis, ſalui eritis, nullusq; ab hac confeſſione excuſari poteſt, quandoquidem ſonus prædicantium Chriſtum in omnem regionem penetrauerit: Nec ta= XI.
men, propter hoc, quòd Deus Gentiles aſciuerit, omnes Iudæos repulit, quandoquidem ego Iudæus ſum, & tamen non ſum repulſus, quia non repulit in ſe credituros, quos per gratiam ſuam, & non per opera legis ſaluare uoluit: Reliqui uero Iudæorum, quia noluerunt credere, cæci facti ſunt, & impegerunt in lapidem offenſionis, ut eorum caſu Gentes ſaluarentur, & Gentium æmulatione ad fidem Iudæi ſuſcipiendam prouocarentur: Sed, quanquam tu Gentilis ad fidem Chriſti conuerſus ſis, ac ſanctæ arbori, & oliuæ inſertus, cum eſſes ſterilis oleaſter, Iudæi uero à radice defracti ſint, noli illis propter hoc inſultare, quia Deus poteſt eos denuo ſuæ oliuæ inſerere, ſi in hac tamen incredulitate non permanſerint: Non enim promiſſionum ſuarum Deum pœnituit unquam, & ſicut Gentiles olim increduli fuerunt, ita quoq; uos Iudæi nunc increduli eſtis, ut Deus omnium miſereretur, & cur Deus in hac incredulitate omnes concluſerit, nemo altitudinem iudiciorum Dei conſequi ingenio poteſt; & ideo ſi omnium Deus uoluit miſereri, dimittite contentiones: cum enim tam Iudæi, quàm Gentiles increduli fueritis, & utriq; gratia Dei egueritis, nemo igitur ueſtrum præferendus eſt alteri. Quare, dimiſſis uictimis illis prioribus, offeratis Deo uos XII.
ipſos, tanquam hoſtias uiuentes, nec uiciſſim uos ipſos alijs præferatis; Sed om= XIII.
ni genere uirtutum animos ueſtros adornetis, poteſtatibusq; ſubiecti ſitis, cum à Deo ipſo fuerit inſtituta poteſtas, diligiteq; uos inuicem, cum in dilectione proximi lex tota ſita ſit, & imbecillum in fide ſuſcipiatis. Et licet omnibus ue= XIIII.
ſci poſſitis, nolite tamen propter cibum perdere fratrem ueſtrum, neq; quempiam iudicetis, quia Domino uiuimus, & Domino morimur. Neque uos Iudæi XV.
Gentiles deſpiciatis, qui fidem Chriſti ſuſceperunt, quandoquidem multorum Prophetarum uaticinio Gentes uideamus cultum ueri Dei aliquando ſuſcepturas fuiſſe. Hæc autem audacius uobis ſcripſi Iudæi, ut oſtenderem uobis, Gentiles

quoque Deo acceptos, ac gratos fore, nunc autem cum in plurimis regionibus nomen Chriſti prædicauerim, ueniam ad uos, ut ueſtra opera in Hiſpaniam
XVI. proficiſci poſſim, uos uero omnes ſaluto nominatim. Hæc itaque omnia, quæ retulimus, ſunt huius obſcuriſſimæ epiſtolæ argumentum. Qua ex re perſpicue apparet, Apoſtolum hanc epiſtolam texuiſſe, non, ut Gentilium, ſed, ut Iudæorum arrogantiam, & tumorem deprimeret, oſtenderetq́;, Gentiles illis pares eſſe uocatione, miſericordiaq́; Dei, & fide, & credulitate, eumq́; ſolum cæteris præſtare, qui fide, innocentia uitæ, iuſtitia, cæteriſq́; alijs uirtutibus reliquos ſuperaret.

COMMENTARIORVM IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS,

CAP. PRIMVM.

PAVLVS.

CVM beatus Apoſtolus Romanis ſcribere inſtituiſſet, more eorum, qui epiſtolas mittere conſueuerunt, quum abſentes alloquuntur, nomen ſuum præpoſuit, quod & in alijs ſuis epiſtolis, præterq̃ in illa, quam ad Hebræos miſit, uiſus eſt obſeruaſſe, qui ſe ideo Paulum appellauit, cum ante conuerſionem Saulus apud Hebræos nominaretur, ut, qui Gentium eſſet præceptor à Deo inſtitutus, nomine etiam earum uteretur, &, cum profeſſione nouæ fidei, nouum quoque nomen aſſumeret: Vel propter Paulum Sergium Cypri proconſulem ab eo conuerſum, cuius fortaſſe nomen ſuſceperit, cum etiam poſt huius conuerſionem ſolum, & non antea, in actibus Apoſtolorum, huius nominis appellatione eum uſum fuiſſe inueniamus. Act. 13.

SERVVS IESV CHRISTI.

Se uero ſeruum appellat, non ea quidem ſeruitute, quæ inducta fuit propter peccatum, ut de Cham Noe filio legimus, qui, ob ſcelus inſigne illatum patri, non Gen. 9. modo ab eodem maledictus, uerum etiam factus fuit ſeruus ſeruorum fratrum ſuorum, de qua ſeruitute Dominus Apoſtolis dicebat. Non dicam uos ſeruos, ſed Ioan. 15. amicos; Appellat ergo ſe ſeruum ex ſeruitute miniſterij, cuius paulo infra ſeruitutis conditionem ipſe declarauit dicens. Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio filij eius; & cum is proprie ſeruus ſit, qui alterius ſeruit obſequio, cum ad diffundendum Ieſu Chriſti Euangelium accitus fuiſſet, ſeruum ſe hac ratione nominauit, ſeruum autem non ſolum Ieſu, quod diuinam naturam ſignificat, ſed etiam Chriſti, ut ſe eius ſeruum profiteretur, quem & Deum, & hominem eſſe non dubitabat.

VOCATVS APOSTOLVS.

Seruum Ieſu Chriſti ſe ipſum nominauit, Apoſtoli uero nomen noluit ſibi arroga-

re; Gentes enim, ad quas miſſus fuerat, inſpecto eius miniſterio Apoſtoli nomine illũ nuncupabant; Iccirco dixit, ſe uocatum Apoſtolum, nam ille cum de ſe ip-
1. Cor. 15. *ſo loqueretur, ut Corinthijs ſcribit, dicebat. Non ſum dignus uocari Apoſto-lus, quia perſecutus ſum eccleſiam Dei.*

SEGREGATVS IN EVANGELIVM DEI.

Iccirco à Gentibus erat Apoſtolus appellatus, quia à Spiritu ſancto ab ijs, qui Antiochiæ orationibus uacabant, fuit ſegregatus, & ſeparatus, idq́; factum fuit potiſſimum, ut unà cum Barnaba Gentibus Euangelium prædicaret, de
Act. 13. *qua re legitur in actibus Apoſtolorum. Seiunxit igitur Spiritus ſanctus Paulum, atque Barnabam ab alijs, qui tunc Antiochiæ degebant. Qua ex re compertum eſt, utrunq; non fuiſſe ab Apoſtolis, ſed ab ijs, quos modo diximus, ſegregatum, atq; diſiunctum: Cum enim omnes, qui Antiochiæ eſſent, orationibus, atq; ieiu-nijs uacarent, Spiritus ſanctus Paulum, atq; Barnabam ad altius opus, quod fuit ad promulgandum Euangelium, à cæteris iuſſit ſeiungi. Quoniam igitur in actibus Apoſtolorum, eo in loco, quem memorauimus ſupra, legitur illum ſeparatum fuiſſe ad opus à Spiritu ſancto impoſitum, cum illius operis qualitas ibidem non explicata uideatur, nunc hoc loco illam manifeſtat Apoſtolus dicens, quod fuit ſegregatus ad inuulgandum Euangelium Dei, præcipue Gentibus, quibus futurus eſſet magiſter, & Apoſtolus; quod quidem Euangelium bonam*
Math. 3. *enunciationem quandam, atque felicem uidetur ſignificare, quam Io. Baptiſta*
Math. 4. *primo, deinde Chriſtus, poſtremo Apoſtoli pronunciauerũt dicentes. Quòd*
Math. 10. *iam appropinquauit in nos regnum Dei, & hoc gratia, & miſericordia Chriſti ſeruatoris noſtri. Hoc ſanè loco Euangelium hanc habere uidetur ſignificatio-nem, ut tali ipſius Euangelij cõmemoratione omnes facilius inuitaret, et accenderet.*

QVOD ANTE PROMISERAT.

Quod quidem Euangelium non eſſe nouum aliquod commentum ex hoc per-ſpicue cognoſci poteſt, quod multis antea ſæculis non modo fuerat pronuncia-
Act. 13. *tum, ſed etiam promiſſum; Propterea ipſemet Paulus, ut in actibus Apo-ſtolorum legimus, dicebat. Nos uobis annunciamus eam, quæ ad patres no-ſtros repromiſſio facta eſt, quoniam Deus hanc adimpleuit filijs ſuis. Anti-quum igitur Euangelium eſſe dicemus, ſi promiſſionem ipſius patribus fa-ctam ad memoriam reuocauerimus; Nouum autem, ſi gratiam ex illo de-fluxam conſpexerimus.*

Per pro

PER PROPHETAS SVOS IN SCRI-
PTVRIS SANCTIS.

Euangelium igitur non recens, neque nouum fuit inuentum, ſed longe ante promiſſum non per unum ſanè teſtē, ſed per plures, ſiquidem non uni Prophetæ tantum, ſed pluribus oſtenſum fuit, qui non humana ui ingenij, non furore Dæmoniorum concitati, ſed diuina illabente in eos cognitione edocti, Euāgelium hoc prædixerunt. Sed cum apud ueteres Philoſophos prænunciationes quinque modis fieri ſoleant, aut arte, aut fortuna, aut natura, aut Dæmone, aut Deo ſuggerente, eas ſolas certas, uerasq; eſſe arbitramur, quas à Deo fieri exiſtimamus; Iccirco dixit per Prophetas ſuos; Multi etenim alij dicuntur Prophetæ, qui non ſunt, neque fuerunt Prophetæ Dei. Quis enim Balaam Prophetam Dei iudicabit? Quis Caypham, multosq; alios, quos in ſacris literis commemorari conſpicimus? de quibus etiam Hieremias meminiſſe uiſus eſt dicens. Viſionem loquuntur cordis ſui, non de ore Domini. Hier. 23. *Quod quidem Euangelium non modo Prophetæ ſermone ſuo præcinuerunt, ſed etiam in ſcripturis ſacris præmonſtrauerunt, ne tantæ rei memoria laberetur; Verum non omnibus ſcripturis id quidem præoſtenſum fuit, ſed ijs tantum, quas ſanctas, puras, ac mundas appellamus, quæ non ab humano, aut aliquo Dæmoniorum intellectu inuentæ ſunt, ſed à Spiritu ſancto ſolo editæ profluxerunt.*

DE FILIO SVO,

Hoc autem Euangelium Dei quid contineat oſtendit dicens, quòd ea continet, quæ de Filio Dei à tam multis Vatibus fuerunt prænunciata, nam quem Prophetarum oracula præcinebant, quem ſcripturæ ſanctæ futurum prænunciabant, is erat Filius Dei, quod ideo dixit, ne illum ſolum gratia, & non ſubſtantia, adoptione, & non natura, ut Ebion, Cherintus, & Photinus putauerunt, Filium Dei eſſe intelligeremus, qui cum duplicem in una, eademq; perſona naturam contineat, duplicem quoque habet generationem, æternam ſcilicet, ac temporariam. Propterea, ut non modo Filij Dei naturam diuinam, ſed æternam etiam illius ſignificaret generationem, dixit de Filio ſuo.

QVI FACTVS EST EI EX SEMINE DA-
VID SECVNDVM CARNEM.

Quoniam dixerat Euangelium Dei totum ferè de Filio Dei tractare, declarat nunc

eundem filium humanam ſimul, ac diuinam in una, eademq; perſona contine-
re naturam; Primo itaque, quòd aſſumpſerit humanam naturam, quod fuerat
tot Vatibus, atq; Prophetis promiſſum, & tot longis antea ſæculis prænuncia-
tum, ut filius Dei ſuſciperet naturam humanam, oſtendit dicens, quòd filius
Dei eſt factus homo ex ſanguine, & ſemine Mariæ uirginis, quæ ex Dauide de-
ſcenderat, factus (inquam) fuit homo, quia naturam ſuſcepit humanam. Da-
uidem quoque magis, quàm alios commemorauit, propterea quod illi præ cæte-
ris promiſſio hæc apertius fuerit præmonſtrata, quam ille ſuis intexuit carmi-
Pſal. 13. nibus dicens. De fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam. Natus quidem
fuit Chriſtus ex ſemine Dauidis ſecundum carnem, non quòd ex ſemine Ioſeph
genitus ſit, quem conſtat ex Dauidis ſemine ortum eſſe (Ille enim ſolus putatus
fuit pater Ieſu Chriſti) quòd ad ipſius generationem nihil attuliſſet ex eo, quòd
ille ſolum de Spiritu ſancto conceptus fuerit; ſed ideo ex Dauidis ſemine natus
eſt, quia tam Ioſeph, quàm Maria ex Dauide deſcenderunt; Dauid enim ex di-
2. Reg. 5. uerſis uxoribus, ac concubinis, ut in libris Regum; & Paralipomenon ſcriptum
Paralip. 3. eſt, plures filios, ac filias legitur ſuſcepiſſe, inter quos nati ſunt illi in Hieruſa-
lem quatuor filij ex Bathſaba filia Amielis, ex quibus fuerunt Natham, & Sa-
lamon; Hanc autem, quam liber Paralipomenon appellat Bathſabam, liber Re-
gum appellat Berſaben; Ex Salamone, qui genuit Rehoboam, deſcendit Ioſeph,
qui deinde uir Mariæ eſt appellatus; Ex Natham uero deſcendit Maria, ex qua ge
nitus eſt Chriſtus; & ſic tam Ioſeph, quàm Maria ex ſemine Dauidis ſunt gene
rati. Hic enim uetuſtiſſimus mos fuit Hebræorum, ut non ſolum ex eadem tri-
bu, ſed etiam ex eadem cognatione uxores ſuſciperentur; ſola tamen tribus ſacer
dotalis legitur commixta fuiſſe tribui Iudæ; Iccirco Aaron primus ſacerdos uxo-
rem duxit Heliſabeth filiam Aminadab oriundi ex tribu Iudæ, quod quidem nu-
tu ſuperno credimus contigiſſe, ut Chriſtus, qui Rex, & ſacerdos futurus erat,
ex utriſque naſceretur ſecundum carnem; Magis autem genealogia Chriſti ex
Ioſeph, quàm ex Maria deſcripta fuit, quia generationes apud omnes, per ui-
ros, & non per mulieres, texi, & declarari conſueuerunt.

QVI PRAEDESTINATVS EST FILIVS DEI IN VIRTVTE.

Cum oſtendiſſet in filio Dei humanam exiſtere naturam, nunc in eodem oſtendit etiam diuinam exiſtere dicens, qui prædeſtinatus eſt, ideſt qui declaratus eſt, ſiue oſtenſus, ſiue decretus eſſe filius Dei, & habere naturam diuinam non quidem per uoluntariam patris deſtinationem, quia cum illo habet unam, atque eandem naturam,

naturam, quam naturaliter à patre accepit. Sed quia ab æterno decretum fuit, ut ipſe filius Dei in determinato quodam tempore aſſumeret naturam humanam, qua ſe Deum, & hominem ex operibus ſuis demonſtraret; Nam ſicuti per carnem, quam ex ſemine Dauidis aſſumpſerat, oſtenſus fuit habere naturam humanam, quia hominum oculis ſe hominem ſpectandum ſubiecit, ſic etiam per propriam uirtutem, & per Spiritum ſanctificationis, & per reſurrectionem, quam fecit ex mortuis, ut paulo poſt declarabit, ſe uerum Deum eſſe demonſtrauit. Hoc enim prædeſtinationis nomen hanc quidem, quam diximus, & non illam eius uulgatam opinionis ſignificationem uidetur importare, quæ certam, atque determinatam electionem explicat, qua unum alio repulſo Deus ad beatitudinem uocat. Prædeſtinatus itaque eſt, & declaratus filius Dei in uirtute, ideſt in potentia propria tot ſignis mirabilibus patefacta, quod nulli antea Prophetarum, aut cæterorum uirorum, qui eum ſecuti ſunt, contigiſſe unquam uidemus; Hi omnes namq; non in uirtute propria, non in potentia ſua, ſed in ſeruitute miniſterij, & alterius uirtute, atque potentia miſſi ſunt. Quare quemadmodum alij in uirtute alterius miſſi ſunt, ita etiam alterius uirtute ſigna, & prodigia faciebant; ſolus igitur filius Dei, qui in uirtute ſua miſſus eſt, ſua ſola quidem potentia, atque uirtute miracula operabatur, & hoc modo diuinam ſuam patefecit naturam, propterea Iudæis dicebat. Si mihi non creditis, operibus credite. Et alibi. Si ego opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, utique peccatum non haberent. Ex quibus lucide apparet quæ ſit differentia inter miracula facta à Chriſto, & à cæteris tum iuſtis, tum iniuſtis uiris; Ille enim in uirtute propria, & in inſtanti operabatur: Hi autem in alterius uirtute, atque potentia uel Dei, uel Dæmonis, atque in tempore faciebant. Nam Apoſtoli in nomine Ieſu Chriſti Nazareni miracula: Simon autem magus, cæteriq; perſimiles arte magica miranda operabantur. Itaque prædeſtinationem non illam certam, atque determinatam electionem, qua unum alio repulſo Deus ad beatitudinem uocat, ſignificare putamus, & hoc quidem, quod dicimus, tali ratione demonſtramus; Hi enim prædeſtinati ſunt, qui aliquando non fuerunt, hoc enim ipſa prædeſtinationis ratio, ut omnes conſitentur, explicare ſanè uidetur. Cum igitur filius Dei ſecundum diuinam naturam, in qua eſt patri æqualis, ſemper fuerit, prædeſtinatus ſecundum hanc naturam nec dici, nec eſſe poteſt. Quare, cum hic Paulus filium Dei ſecundum diuinam naturam appellet prædeſtinatum, conſitendum neceſſario eſt, prædeſtinationem non eſſe eam electionem diuinæ uoluntatis, qua antequam aliquis creatus ſit, ad beatitudinem à Deo eligatur. Quòd ſi aliquis occurreret dicens, quòd Paulus loquitur hic de filio Dei ſecundum naturam humanam, quæ, cum æterna non ſit, potuerit prædeſtinari, quanquam il-

Ioan. 10.
Ioan. 15.

le ſecundum diuinam nullo modo prædeſtinari poſſit: nos uero uerba Apoſtoli prædeſtinationi diuinæ naturæ magis, quàm humanæ accommodari poſſe putamus; dixerat enim paulo ante ſe eſſe ſeruum Ieſu Chriſti; ſed quæ gloria Paulo ex ſeruitute iſta contingere potuiſſet, ſi ille ſecundum naturam humanam ſolum, & non diuinam eiuſdem ſe ſeruum eſſe profiteretur? Num non etiam Paulus ad explicandum Euangelium Dei de Filio ſuo ſe ſegregatum eſſe dicebat, quod antea per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis fuerat dilucidatum? Num igitur Prophetæ, num ſcripturæ ſanctæ de Filio Dei ſecundum humanam naturam tantum, an non magis ſecundum diuinam diſſeruerunt? Num etiam Euangelium humanam tantum naturam, & non diuinam manifeſtat? Num poſtremo Chriſtus Filius Dei magis dici debet ſecundum diuinam naturam, quàm humanam, cum per iſtam magis filius hominis, quàm Dei dici debeat? Cum Paulus igitur de Filio Dei ſeſe prædicaturum polliceatur, diuinam magis, quàm humanam naturam illius ſeſe declaraturum promittere uidetur. Perſpicuum igitur eſſe debet, quòd prædeſtinatio non ſignificat electionem creaturarum, antequam exiſtant, ut multi expoſitores ſunt arbitrati. Quare illam uſitatam, atque communem prædeſtinationis rationem minime huic loco conuenire iudicamus, ne ſi aliter, quàm eo modo, quo diximus, prædeſtinationem accipere uoluerimus, cum illis conſentire uideamur, qui Filium Dei, ut humanus eſt, Paulum putauerunt dixiſſe prædeſtinatum, quod ſi ſic eſſet, ab Apoſtolo plurimum diſſentire uideremur, cum is dixerit Filium Dei factum eſſe hominem ex ſemine Dauid, mox eundem Deum eſſe ex duplici operatione illius oſtendat, ut ſtatim demonſtrabitur, & ſic illum, ut Filium Dei, prædeſtinatum eſſe declarauit. Siue igitur prædeſtinatum, ſiue definitum, ſiue deſignatum legerimus, Paulum de Filio Dei ſecundum naturam diuinam loqui, neceſſe eſt, ut confiteamur. Quamobrem prædeſtinatio (quod natura ipſa nominis declarat) deſtinationem, & determinationem, ſiue definitionem, ſeu demonſtrationem quandam Dei uidetur importare, quandoquidem illud, quod Deus deſtinauerat, & propoſuerat ab æterno, in tempore demonſtrauit, fecit enim, ut Filius ſuus coæternus ſibi humana natura aſſumpta ſe Deum, & hominem eſſe demonſtraret; Sed de hac prædeſtinatione infra cap. nono diffuſius dicetur.

SECVNDVM SPIRITVM SANCTIFICATIONIS EX RESVRRECTIONE MORTVORVM IESV CHRISTI.

E numerat nunc opera, quæ in uirtute, atque potentia ſua fecit, quibus perſpicue ſuam diuinam naturam demonſtrauit, nam primo propria uirtute, atque auctoritate

auctoritate Spiritum ſanctum, per quem mundamur, nobis communicauit, ueluti diceret; Qui uirtute propria ſanctificauit creaturas, aut Deus eſt, aut Filius Dei, quia in Leuitico legimus. Deus eſt, qui creaturam ſanctificat; Sed Filius Dei, Leui. 21.
quem Paulus prædeſtinatum appellat, propria uirtute ſanctificauit creaturas; Cum enim reſurrexiſſet, Spiritum ſanctificationis, per quem peccata remittuntur, Apoſtolis dedit, cum dixit. Accipite Spiritum ſanctum, & quorum re- Ioan. 20.
miſeritis peccata, remiſſa, atque deleta illis eſſe intelligatis. Hoc autem ſanè ad Deum ſolum ſpectare iudicamus; Igitur ex hoc opere oſtendit ſe habere diuinam naturam; Inſuper primus reſurrexit à mortuis propria uirtute nunquam moriturus, & alios reſurgere fecit; Ex hac etiam reſurrectione Filius Dei eſſe uere iudicatus eſt, propter quam nobis etiam certiſſimam ſpem dedit reſurgendi; Nec eſt putandum, quòd Chriſtus oſtenderit ſuam diuinitatem ex reſurrectione aliorum mortuorum tantum, ſed magis ex ſua, & ideo alia litera dicit. Ex reſurrectione à mortuis Ieſu Chriſti. Itaq; tum ex Spiritu ſancto per illum dato, tum ex reſurrectione aliorum, & maxime ex ſua, per quam communem noſtram reſurrectionem credimus, & expectamus, ut ipſe Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios priori confirmat, ipſius diuinitatem demonſtramus. Quare per- 1. Cor. 15.
ſpicuum eſt Filium Dei non modo hominem ex ſemine Dauidis factum fuiſſe, ſed etiam eundem Deum uerum extitiſſe.

PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM, ET APOSTOLATVM.

Cum itaque Ieſus Chriſtus uerus homo, idemq; uerus Deus exiſtat, nos per illum à Deo accepimus hanc gratiam, ut eundem uerum hominem, & uerum Deum eſſe inter gentes prædicaremus. Accepimus, inquam, hanc gratiam, & hoc donum per illum, quia neutrum unquam ex ſufficientia noſtra conſequi potuiſſemus. Non enim, ut ipſe Corinthijs ſcribens dicebat, Sumus ſufficientes ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra omnis ex Deo eſt, qui nos idoneos fecit mi- 2. Cor. 3.
niſtros noui teſtamenti non litera, ſed ſpiritu, & non modo hanc gratiam per ipſum Ieſum Chriſtum accepimus, ſed etiam Apoſtolatum, ita, ut prædicationem Euangelij miſſi à Deo perficeremus, propterea quòd Apoſtoli legatione funguntur Ieſu Chriſti. Gratiam autem hic accepit pro idoneitate prædicandi, ſicuti ipſe Epheſijs ſcripſit dicens; Mihi autem ſanctorum minimo data eſt gratia hæc Eph. 3.
euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti.

AD OBEDIENDVM FIDEI IN OMNIBVS GEN-

TIBVS PRO NOMINE EIVS.

N on autem gratiam hanc, & Apoſtolatum ſuſcepimus, ut luxui, & ocio uacaremus, ſed, ut omnibus gentibus, ac populis pro nomine Chriſti ueritatem patefaceremus, ut fidei illius omnes nationes prædicationibus noſtris aliquando edoctæ obtemperarent. Dixit, pro nomine eius, quia etiam paulo ſupra dixerat, ſe uocatum, accitumq; eſſe ad Apoſtolatum ad diffundendum Euangelium Dei, de Filio ſuo, idq; pollicetur ſe facturum in omnibus gentibus, quia non uni quippe nationi, ut lex Moyſi, ſed omnibus gentibus data eſt gratia Ieſu Chriſti, & illius ueritas inuulgata.

IN QVIBVS ET VOS ESTIS VOCATI IESV CHRISTI.

R omanos, quibus ſcribit, hic commemorat inter illas nationes, & gentes ſuo Apoſtolatui ſubiectas, ueluti diceret. Miſſus ſum ad omnes nationes, & gentes, inter quas etiam à Deo uos eſtis uocati per gratiam, ut fidei Filij ſui uos etiam obtemperaretis. Vel aliter; Eſtis quidem & uos inter eas gentes, quæ Chriſti fidem ſuſceperunt, uocati Chriſtiani, cum fidem Chriſti profiteamini. Iam autem incohatum erat eos Chriſtianos appellari, qui fidem Chriſti ſequebantur, quoniam
Act. 12. legimus diſcipulos Chriſti primo Antiochiæ Chriſtianos fuiſſe cognominatos.

OMNIBVS, QVI SVNT ROMAE, DILECTIS DEO VOCATIS SANCTIS.

O ſtendit, quibus Romæ ſcribat Epiſtolam, quia non omnibus, qui Romæ degebant, epiſtolam dirigebat, ſed Deo duntaxat dilectis, quorum omnium nomina in fine huius epiſtolæ commemorabit; Hi autem non tantum Romani erant, ſed etiam Græci, atque Iudæi, ac ex uarijs, diuerſiſq; nationibus collecti, qui ob eam cauſam ſancti, ac mundi appellabantur, quia religionem Chriſti ſanctam, ac mundam profitebantur.

GRATIA VOBIS, ET PAX A' DEO PATRE, ET DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO.

P oſtremo itaque ſic affectis exoptat gratiam, non eam gratiam, quæ nos gratos Deo efficit, et ſanctos, quam in baptiſmo conſequimur, quia iſtam iam adepti erant

pti erant propterhoc, quia ſupra appellauit eos ſanctos, & dilectos Deo, ſed eam gratiam, quæ eſt donum Dei, quo mediante cognoſcimus ueritatem; Nam propter hoc, quòd ipſa ueritate carebant, ij inter ſe diſſidebant, ad quos ſcribit, & ideo adiungit etiam, Pacem, ideſt concordiam, ut idem ſaperent, idemq; ſentirent, & perſpecta ueritate uiciſſim non altercarentur. Quorum utrunque munus illis optat à Deo concedi, quem meruerunt in patrem habere, à quo bona omnia profluxerunt, atque etiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto, per quem tanquam per reconciliatorem noſtrum omnia dona nobis proueniunt.

PRIMVM QVIDEM GRATIAS AGO DEO MEO PER IESVM CHRISTVM PRO OMNIBVS VOBIS, QVIA FIDES VESTRA ANNVNCIATVR IN VNIVERSO MVNDO.

Cum in priori parte epiſtolæ præmiſiſſet ſuam intentionem, nunc ipſam incipit texere, atque exordiri; imprimiſq; ab illis ipſis, ad quos ſcribit, beneuolentiam captat, quia non pro ſe, ſed pro illis gratias Deo agit, quod præcipuum eſt perfectæ charitatis indicium: gratias (inquam) Deo agit non aliam ob cauſam, niſi quia fidem Chriſti cœpiſſent cum ſumma eorum gloria, atque utilitate profiteri, ita, ut eorum fides per orbem terrarum emanauiſſet, quoniam tam loca Iudæorum, quàm Gentilium, quæ ipſe peragrauiſſet, penetrauerat. Dixit ſe agere gratias Deo ſuo, nam multi pro Dijs à rudi antiquitate habiti ſunt, quos Paulus renuit prorſus, & aſpernatur, ideo ait; Deo meo. Dixit etiam, per Ieſum Chriſtum, quia is medius eſt inter Deum, & hominem, per quem gratiæ, quas reddimus Deo Patri, ſunt fructuoſæ, & efficaces. Adiunxit, fidem Eccleſiæ Romanæ per uniuerſum orbem permanauiſſe, uel quia fuſa erat in utriſque locis tam Iudæorum, quàm Gentilium, uel quia iam tunc ex omnibus nationibus, & gentibus collecta eſſe uidebatur.

TESTIS EST MIHI DEVS, CVI SERVIO IN SPIRITV MEO.

Ne forte id, quod dicebat, minus conſentaneum eſſe uideretur, Deum interpellat teſtem rerum omnium cognitorem, cui ſe in ſpiritu ſuo ſeruire dicit, nequis crederet, quòd Deo inſeruiret in carnalibus ueteris, atq; iam abrogatæ, legis cæremonijs, ſicut Iudæi. Cultus enim tum Iudæorum, tum etiam Gentilium carnalis eſt, noſter uero ſpiritualis eſt cultus, ſicut ipſe ad Philippenſes declarauit, dicens. Philip. 3.

Nos ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo non ſeruitute timoris, ſed amoris.

IN EVANGELIO FILII DEI.

Et cum multiplex, uariuſq; ſit modus, & natura ſeruitutis, qua Deo ſeruimus, propterea Paulus declarans ſeruitutis ſuæ conditionem, dicit. Ego ſeruio in Euangelio Filij eius, ideſt in annunciando, & prædicando Filium Dei. Iccirco alibi de ſe ipſo dicebat. Væh mihi, ſi non Euangelizauero. Sed quonam modo Euangelium eſt Filij Dei, cum ſupra illud dixerit eſſe Dei? Eſt Euangelium ipſius Dei, quia ille eſt, qui Filium genuit, genitum in mundum miſit, miſſum pati, atque crucifigi uoluit. Idem etiam Euangelium eſt Filij, quia totum eſt de illo, utpote, quod utranq; complectatur illius naturam, tum etiam natiuitatem, uitam, mortem, reſurrectionem, & illius in cœlum recurſum. Et quid mirum, ſi utriusq; ſit Euangelium, cum utriuſque eadem ſit natura, & uoluntas? Ad hoc enim miſſus erat, ut omnia hæc, quæ diximus de Filio Dei, prædicaret Apoſtolus.

1. Cor. 9.

QVOD SINE INTERMISSIONE MEMORIAM VESTRI FACIO SEMPER IN ORATIONIBVS MEIS OBSECRANS, SI QVO MODO TANDEM ALIQVANDO PROSPERVM ITER HABEAM IN VOLVNTATE DEI VENIENDI AD VOS.

Quia ſupra Deum teſtem inuocauerat, cui ſeruiebat in enunciatione Filij eius, nunc cauſam adducit, quare eum in teſtem appellauerit, ueluti diceret; Deum teſtem inuoco rerum occultiſſimarum ſcrutatorem, quòd nulla intermiſſione mentionem de uobis facio, ſemper in orationibus meis Deum obſecrans, ſi aliquo modo, & occaſione mihi conceſſa iam aliquando, ideſt poſt tam longum tempus, & poſt meum tam diuturnum deſiderium, ad uos poſſim peruenire, modo ſit iter proſperũ, et nulla aduerſitate, atq; perturbatione impediar per Dei uoluntatem.

DESIDERO ENIM VIDERE VOS, VT ALIQVID IMPARTIAR GRATIAE SPIRITVALIS AD CONFIRMANDOS VOS, IDEST SIMVL CONSOLARI IN VOBIS PER EAM QVAE EST INVICEM, FIDEM VESTRAM, ATQVE MEAM.

Nunc ſui aduentus deſideriũ manifeſtat dicens, quòd ſi tanto animi affectu optaret ad

ret ad illos proficiſci, hoc eſſet in cauſa, tum ut eorum conſpectu frueretur, tum etiam ut illis ſummam illam Spiritus ſancti gratiam ab eo ſuſceptam pro eorum facultate poſſet impertire, tum poſtremo, ut confirmaret eos in fide, ne alij ſuo acumini naturali, cæteriſq; uirtutibus humana prudentia comparatis, ne'ue etiam alij cæremonijs, ac legi ueteri confiderent, quod utique ſperabat illos eſſe conſecuturos, ſi modo aliquid gratiæ, quam à Spiritu ſancto ſuſcepiſſet, illis impertiuiſſet, ut in fide nutantes confirmarentur, ueluti diceret; Venio etiã ad uos hac de cauſa, ut uos in fide ſuſcepta confirmem; quod maxime fiet hoc modo, quia, cum ego fidem ueſtram perſpexero, & conſolabor me ipſum, & maxima animi alacritate afficiar. Vos pariter, cum meam fidem cognoueritis, gaudium non mediocre ſuſcipietis, & ſic ex mutua fidei meæ, & ueſtræ conſolatione ſuſcepta, cum ueſtra, atque mea fides una, atq; eadem prorſus ſit animorum noſtrorum in Chriſtum conſenſio, magis, atque magis in fide, atque conſtantia confirmabimini.

NOLO AVTEM VOS IGNORARE FRATRES, QVIA SAEPE PROPOSVI VENIRE AD VOS, ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC.

C*um ſuperius dixiſſet ſe obſecrauiſſe Deum, ſi aliquo modo poſt illius diuturnum deſiderium ipſos poſſet conuenire, poſſet quis dicere; Si et precibus, et uotis tantopere efflagitas, & hos, & te inuicem per communem, ac mutuam fidem conſolari, quid te tenet, quid te moratur, quo minus Romam proficiſcaris? nullam aliam ob cauſam dicit ſe teneri, niſi quia prohibitum ſe illuc proficiſci teſtatur. Sed à quo prohibitus fuit? nempe à Spiritu ſancto, qui illum, ne ad alia loca proficiſceretur, ne'ue in eiſdem loqueretur, prohibuit. Nam in actibus Apoſto*- Act. 13.
lorum legimus, quòd Paulus, & Barnabas tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu, & uetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui. Quare ſuadet Romanis nulla ſe ſocordia teneri, quo minus ad illos proficiſcatur, ſed ſolo diuino nutu, & iuſſu dicit ſe impeditum fuiſſe', ut aliquid opportunius Deo uolente in alijs locis operaretur.

VT ALIQVEM FRVCTVM HABEAM IN VOBIS, SICVTI ET IN CAETERIS GENTIBVS.

C*auſam ſui propoſiti præcipuam manifeſtat, quia ſperabat ſe propter aduentum ſuum ad eos huberrimum fructum collecturum; Quia non uiſendæ urbis*

ampliſſimæ pulchritudine (tacite inquit) pertrahor, ſed ſola cupiditate ueſtri fructus, atq; utilitatis accendor, ut quemadmodum in alijs nationibus fructum ſum conſecutus ex prædicationibus meis, ita etiam in uobis conſequar; Præſens enim cum adero, facilius huberiores fructus ex ueſtra fide colligere potero, nam prædicando, & uobiſcum conſueſcendo maiores fructus conſequar, quàm ſi abſens fuero; quemadmodum præſens ſum conſecutus in alijs gentibus; nam Ioan. 15. *ex ſuis prædicationibus Apoſtoli fructus colligebant; Hinc Dominus per Ioannem dicebat. Eatis, & fructum afferatis. æmulatione etiam aliarum gentium, quas conuerterat, Romanos ad fidem excitat, & accendit.*

GRAECIS, AC BARBARIS, SAPIENTIBVS, ET INSIPIENTIBVS DEBITOR SVM.

O *ccurrit nunc tacitæ dubitationi, quia potuiſſet aliquis dicere; Si tanto deſiderio æſtuas ueniendi ad nos, ut inde poſſis aliquos fructus ex nobis colligere, prout ex cæteris gentibus collegiſti, cur igitur dimiſſis illis ad nos non properas? Cui dubitationi cum ſuperius reſpondiſſet; quod ideo fecit, quia uetitus fuit à Spiritu ſancto tam repente uenire Romam, huiuſce rei nunc cauſam aſſignat, ueluti diceret. Propter hoc enim prohibitus ſum tam cito ad uos uenire, quia & Græcis, & Barbaris, & ſapientibus, & inſipientibus teneri me ſentio, ut eiſdem Euangelium prædicem, & manifeſtem; Ideo dixit Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus ſe debitorem eſſe, ut omnium gentium, ac populorum ſe in officio prædicationis miniſtrum à Deo datum eſſe oſtenderet. Nam cum iſtis, quos ſupra dixit, ſe teneri diceret, ac deinde Romanis fidelibus, qui tum ex Iudæis, tum etiam ex Gentilibus collecti erant, uniuerſis igitur nationibus, & po*1. Cor. 9. *pulis ſe debitorem eſſe confitetur; Propterea in epiſtola ad Corinthios de ſe ipſo dicit. Cum eſſem unus ex omnibus liber, factus ſum omnium ſeruus. Et hic Græcorum more omnes alios, præter Græcos, Barbaros appellauit.*

ITA, QVOD IN ME PROMPTVM EST, ET VOBIS, QVI ROMAE ESTIS, EVANGELIZARE.

C *um igitur omnibus gentibus, & nationibus ſe debitorem eſſe oſtenderit, nunc dicit, ſe tanto deſiderio affici, ut ex parte ipſius, quantum in ſe eſſet, promptus foret, atque paratus ijs etiam, qui Romæ degerent, fidelibus Euangelium prædicare; niſi enim prohibitus fuiſſet à Spiritu ſancto, ſicut in cæteris gentibus prædicauit, ita quoq; iam Romam ad prædicandum profectus fuiſſet.*

Non enim

NON ENIM ERVBESCO EVANGELIVM.

Quia dixerat ſe eſſe paratum, atque promptum pro uiribus, ut illis etiam Euangelium prædicaret, potuiſſent nonnulli illi obijcere; Non te pudet hominem alioqui ſapientem rem tam uilem etiam Romæ uelle profiteri? quibus reſpondens dixit. Nequaquam erubeſco profiteri Euangelium, immo maxime in eo glorior; Vt alibi de ſe ipſo dicebat. Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti; etſi Iudæi Euangelium ſcandalum, & illud idem Gentes amentiam ſummam eſſe putent, nos uero Dei uirtutem illud exiſtimamus eſſe, atque ſapientiã; Quapropter neque Euangelium, neque Crucem erubeſcimus profiteri. Hæc autem dixit non immemor ſermonis Domini dicentis. Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum uenerit in poteſtate ſua. Gal. 6. 1. Cor. 1. Luc. 9.

VIRTVS ENIM DEI EST IN SALVTEM OMNI CREDENTI IVDAEO PRIMVM, ET GRAECO.

Nunc rationem adducit, cur non erubeſcat profiteri Euangelium, ſimul & diffinit illud, ac ſi diceret; Ideo non me pudet profiteri Euangelium, quoniam non modo eſt ex diuina uirtute, ſed illud idem Dei uirtus eſt, atque potentia omni credenti in ſalutem. Virtus autem Dei quæ eſt, niſi Chriſtus, qui quidem Filius, ſapientia, Lux, & uirtus Dei appellatur, quia per modum intelligentiæ à Patre producitur? Hæc enim omnia per intellectionem demonſtrantur; Idem etiam Dei uirtus appellatur, quoniam hoc conceptu tota potentia Patris declaratur. Vnde Paulus ad Corinthios ſcribens dicit, Chriſtum eſſe Dei uirtutem, ac ſapientiam, ubi inquit. Nos prædicamus Chriſtum Dei uirtutem, ac ſapientiam. Cum igitur et in eodẽ loco ad Corinthios dicat, Verbũ crucis Dei uirtus eſt, et hic dicat, Euangelium Dei uirtus eſt, non'ne dicere uidetur, Euangelium eſſe Chriſtum? Quamobrem ſicut uerbum Dei humana carne ueſtitum Chriſtus eſt, ita etiam illud idem uerbum humano conceptu expreſſum, uoce pronunciatum, Chriſtus eſt; ita, quòd Chriſtus, quem modo carne ueſtitum, modo uoce expreſſum eſſe intelligimus, illud idem omnino ſit, atque Euangelium. Adiunxit etiam, quòd idem Euangelium uirtus eſt Dei omni credenti ad ſalutem; hoc etiam ſcribens ad Corinthios dicit. Iis autem, qui ſalui fiunt, ideſt nobis, Dei uirtus eſt. Euangelium igitur Dei uirtus eſt, uel ut diximus, quia idem eſt Euangelium, & Chriſtus, qui eſt Dei uirtus, et Dei ſapientia; uel ideo Dei uirtus eſt, quia in illo uidemus Dei uirtutem contineri, nam in Ioanne legimus, quòd de illo dictum ſit. Verba uitæ æternæ habes. Addidit etiam in ſalutem, quia ſiue per Chriſtum, ſiue per 1. Cor. 1. 1. Cor. 1. Ioan. 6.

Euangelium, ſalutem conſequimur. Salus enim uitæ gratia eſt, & ueritas, quam
Ioan. 17. utranque ex Euangelio, & ſermone Chriſti adipiſcimur. Propterea in Ioanne legimus. Sanctifica eos in ueritate, quia ſermo tuus ueritas eſt. Eſt igitur Euangelium ſalus omni credenti, quod exponens dixit Iudæo primum, & Græco; Per Græcum autem omnes alias nationes, ac gentes à Iudæis diſtinctas intelligendo, ne aliquem ab Euangelica gratia excludere uideatur; Per illud uero primum intellexit æqualiter, ideſt æque primum Iudæo, & Græco, non autem principaliter Iudæo, ut quidam putauerunt, quia ipſemet Paulus infra hoc lucidius declarat dicens. Iudæo primum, & Græco, & ſubdit. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum, & paulo infra dicit. Quid igitur præcellimus eos? nequaquam, & rurſus. Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. Inducimur quoque ratione ad id dicendum. Si enim Euangelium eſſet uirtus principaliter data Iudæo, deinde Græco, quomodo illos in hac epiſtola pares faceret, et æquales, tum in gratia, tum etiam in Euangelio?

IVSTITIA ENIM DEI REVELATVR IN EO EX FIDE IN FIDEM, SICVT SCRIPTVM EST, IVSTVS EX FIDE VIVIT.

Declarat quonã modo Euangelium ſit uirtus Dei in ſalutem omni credenti dicens. Ideo Euangelium eſt uirtus, & potentia Dei, quia in illo detecta eſt, & manifeſtata iuſtitia Dei, Iuſtitia inquam, cum uoluerit Deus ſibi iuſte ſatiſfieri pro debito, quo humana natura illi tenebatur; Propter enim peccatum primi parentis, in quo omnes homines peccauerunt, tota natura humana Deo obligabatur, ex qua obligatione non poterat iuſte liberari, niſi eſſet aliquis, qui iuſte pro illa ſatiſfaceret; hoc enim requirit ordo iuſtitiæ, ut, ſiquis quempiam offenderit, non poſſit liberari ab offenſa, niſi iuſtitiæ primum ſatiſfecerit; Cum autem nulla creatura, quæ omnis finita eſt, propter hoc, quòd Deum, qui eſt infinitus, offendiſſet, iuſte illi ſatiſfacere poſſet, uoluit Deus mittere Filium ſuum humana carne ueſtitum, ut in ea mori poſſet, & ſic morte ſua pro delictis noſtris iuſte ſatiſfaceret; & hæc iuſtitia Dei, qua uoluit Filium ſuum morte ſua iuſte ſibi ſatiſfacere, Euangelio, ideſt hac bona enunciatione, quam de Chriſto facio, reuelatur; In eo namque declaratur paſſio, & mors Chriſti, qua ipſe Deo pro peccatis noſtris ſatiſfecit; atque etiam per illud idem demonſtratur ueritas, & gratia Chriſti, per quam iuſtificamur; & unde fuit iuſtitia Dei, & noſtra iuſtificatio declarata, niſi ex fide in fidem? ideſt ex fide priori, qua patres noſtri crediderunt Chriſtum naſciturum, & moriturum; in fidem, qua nos eundem

eundem credimus natum, ac mortuum eſſe. Dicitur autem ex fide in fidem, non, quòd diuerſas fides, ſed magis, quòd conſequentium hominum ſibi inuicem in utroque teſtamento, in eadem fide, ſucceſſionem ſignificaret; Ita, ut, quæ patres noſtri debere aliquando fieri crediderunt, nos eadem ipſa facta fuiſſe credamus; quod probat per Abacuch, cui Deus per uiſum dixerat. Si moram fecerit expecta eum, quia ueniens ueniet, et non tardabit, ecce, qui incredulus eſt, non erit anima recta in ipſo, Iuſtus autem ex fide uiuet; Cum autem hæc omnia Deus ſeruauerit, quia, quem confidebant patres noſtri aliquando uenturum, iam nos eundem ueniſſe confidimus. Recte igitur ex fide in fidem, ideſt ſecundum quòd patres noſtri confiſi ſunt, & nos confidimus; Videmus enim in Euangelio iuſtitiam Dei ſeruatam eſſe, & ideo iuſtus ex confidentia ſua, qua credit Deum ſeruare promiſſa, uiuit. Abac. 2.

REVELATVR ENIM IRA DEI DE COELO.

Cum oſtendiſſet in Euangelio manifeſtatam eſſe iuſtitiam, qua Chriſtus pro noſtris peccatis Deo ſatiſfecit, poſſet aliquis dicere. Si iuſtitia Dei, et illius gratia in Euāgelio iſto reuelatur, num in eodem ira, & indignatio Dei ſuper incredulos, & iniuſtos etiam reuelatur? Huic dubitationi reſpondens dicit, quòd ira, & indignatio in hoc Euangelio non manifeſtatur, quia Euangelium ex ipſius nominis natura bonum nuncium, & non malum explicat; Ira autem Dei quoddam malum ex parte effectus importare uidetur; Ideo dicit in Euangelio reuelari iuſtitiam Dei; Ira autem illius, ideſt pœna, & uindicta, qua incredulos, et infideles affligit, non in illo, ſed de cœlo reuelatur, quod quidem comprobari poteſt ea ratione, quia Euangelium, quod Paulus prædicabat, & Dei miſericordiam, & gratiā continebat; tum etiam, quia fidelibus tantum ab Apoſtolo ſcribebatur. Dicit autem iram Dei de cœlo ſuper impios reuelari, quia plurima de cœlo tum angelis malis, tum impijs hominibus, ſupplicia miſſa legimus fuiſſe. De cœlo namque Dæmones detruſos, de cœlo diluuium miſſum, de cœlo ignem pluiſſe, qui urbes Sodomorum exuſſerit: tempore quoque Heliæ ignem de cœlo contortum fuiſſe, qui milites incenderet legimus, & maxima alia de cœlo inuenimus demiſſa fuiſſe ſupplicia. De cœlo quoque, ideſt à Deo, qui in cœlis eſt, reuelatur eadem ira ſuper impios, & iniuſtos per uaria ſuppliciorum genera; quæ ipſe paulo infra copioſe explicabit: Quod quidem præcipue de Gentibus dictum eſſe arbitramur, cum ſupradictis ſupplicijs eas affectas fuiſſe legamus. 4. Reg. 1.

SVPER OMNEM IMPIETATEM, ET INIVSTITIAM HOMINVM EORVM, QVI VERITATEM DETINENT IN INIVSTITIA.

Hæc autem ira Dei, quæ de cœlo reuelatur, eſt illa, quæ eſt aduerſus omnem impietatem, & iniuſtitiam Gentilium, qui quidem impij, & iniuſti merito nuncupantur propter eorum infidelitatem, & idolatriam. Impietatem autem appellat Idolatriam, & iniuſtitiam Infidelitatem. Quæ enim maior impietas, quàm honorem ſoli Deo debitum creaturæ tribuere? Et, cum iuſtitia ex fide ſit, ut paulo ante meminerat dicens. Iuſtus ex fide uiuit. Igitur iniuſtitia merito infidelitas eſt nuncupanda; Et tales homines tum Idolatræ, tum infideles ueritatem Dei in iniuſtitia, ideſt in infidelitate ita obſcuratam detinent, ut Idola, & animalia Deos ſibi proponant: Detinere igitur ueritatem in iniuſtitia, eſt cognitam ueritatem non conſequentibus operibus colere, et uenerari; ita quòd, quanquã Deum ſolum adorandum eſſe nouerint, cultum tamen ipſius creatoris impenderint creaturis. Dixit etiam ſuper omnem impietatem, quoniam multæ quidem ſunt ſpecies impietatis. Quidã enim negant Deum eſſe, ut Diagoras Melius, quem Athæon Græci appellauerunt, quaſi ſine Deo; Alij uero Deum eſſe dubitant, ut Protagoras Abderites, quem ob tale ſcelus, combuſtis eius libris, Athenienſes urbe expulerunt. Quidam affirmant Deum eſſe, ſed eidem prouidentiam auferunt, ut Democritus, et Leucippus, qui caſu omnia fieri putauerunt. Quidam autem cenſuerunt Deum omnibus rebus uniuerſaliter tantum prouidere, ut Auerois. Quidam etiam cognouerunt Deum eſſe, eundemq; omnia producentem, rebuſq; omnibus communibus, & ſingularibus prouidentem, eidem tamen debitum honorem impendere noluerunt. Tales autem Gentiles, Græciq;, & ante illos Aegyptij, & Babylonij potiſſimum extiterunt, qui maxime creaturis, & mutis ſimulacris diuinos honores impenderunt; Aduerſus igitur omnia hæc genera impietatis ira Dei de cœlo fuit reuelata.

Diagoras. Protagoras. Democritus. Leucippus. Auerois.

QVIA, QVOD NOTVM EST DEI, MANIFESTVM EST IN ILLIS.

Quia potuiſſent dicere Gentiles, quòd non detinuerunt ueritatem Dei in iniuſtitia, quoniam Deum non cognouerunt, Iccirco Apoſtolus hanc eorum obiectionem diruit dicens, eos habuiſſe cognitionem Dei. Vnde autem talem hanc de Deo cognitionem ſunt conſecuti? Hinc profecto, quia illud, quod naturaliter ſciri poteſt

de Deo

de Deo ab homine, uel de rebus diuinis, quod ad ſufficientem Dei cultum neceſſarium eſt, manifeſtum fuit illis; Nemo enim tam rudis extitit, qui ex ipſa mundi fabrica, Deum eſſe non cognouerit, licet ad illius perfectam, abſolutamq; cognitionem non peruenerit, propter quod Dauid inquit. Cœli enarrant gloriã Dei. Pſal. 18.

DEVS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT.

Vnde autem illud, quod naturaliter de Deo ſciri poteſt, in mentes hominum defluxerit, oſtendit dicens, quòd talem cognitionẽ, qua de Deo multa naturaliter ſciri poſſunt, homines habuerunt à Deo, quoniam ipſemet illis omnia hæc communicauit, quia non modo quoddam lumen ab initio ſuper nos infudit, quo bona cognoſceremus, et ad Dei ueritatem perueniremus, ſed prima etiam principia omnium artium, atq; doctrinarum nobis naturaliter inſeruit, per quas etiam cognitionem ſui ipſius facilius conſequeremur; Iccirco Philoſophi ipſi, præcipue præſtantiores dixerunt Philoſophiam eſſe donum Deorum; et ideo inuenta liberalium artium à Dijs ferebant hominibus eſſe communicata; Propterea Gentiles, et Græci præcipue uſi ſunt beneficio Philoſophorum, non ſolum in cognitione rerum naturalium, ſed etiam Dei, & aliorum entium à corpore ſeparatorum, ſicuti etiam Iudæi à Prophetis ſuis, & à lege clariorem de Deo cognitionem habuerunt; Ita, ut Deus nunquam permiſerit homines ſine ſui cognitione extitiſſe; illis enim uel quoddã diuinum lumen infudit, uel Philoſophos, uel Prophetas dedit, uel legem edidit, quibus non modo hæc terrena, ſed etiam diuina cognoſcere poſſent.

INVISIBILIA ENIM IPSIVS À CREATVRA MVNDI PER EA, QVAE FACTA SVNT INTELLECTA CONSPICIVNTVR, SEMPITERNA QVOQVE EIVS VIRTVS, ET DIVINITAS.

Quia paulo ſupra dixerat Apoſtolus id, quod de Deo fuerat Gentilibus cognoſcibile, fuiſſe illis à Deo manifeſtatum; nunc oſtendit ea, quæ de Deo naturaliter illis cognita fuerunt, & ea dicit fuiſſe tria: Inuiſibilia primo, deinde ſempiternam eius uirtutem, poſtremo illius diuinitatem; Adijcit deinde modum, per quẽ hæc tria cognita fuerunt; Vltimo tempus adiungit, ex quo hæc omnia cognoſci cœperunt: Per inuiſibilia ipſius inuiſibiles Dei conditiones intellexit, quæ ſcilicet ſunt illæ, quas Philoſophi cognouerunt, ſcilicet, quòd ſit actus ſine potentia, quòd ſit primus, quòd ſit infinitus, quòd ſit immutabilis, quæ ideo plurali numero ſunt explicata, quia Deus, quamuis ſit ſimpliciſſimus, non poteſt tamen

niſi pluribus perfectionibus à nobis cognoſci: Per ſempiternam uirtutem intellexit potentiam illius, quam Philoſophi ex motu cœli ſempiterno, ſempiternam eſſe iudicauerunt, ex eo, quòd poſſet ſempiternos producere effectus: Per diuinitatem intellexit eſſentiam, et naturam Dei, quæ quanquam perfecte à nobis cognoſci non poſſit, cognoſcitur tamen, quòd ſit ſubſtantia, non accidens, ſimplex ſine ulla concretione; Modum uero, per quem hæc fuerunt cognita, explicauit, cum dixit; Per ea, quæ facta ſunt, fuere intellecta; Quia per creaturas ab eo productas omnia hæc fuerunt nobis manifeſtata, quia ſicuti ſapiẽtia artificis demonſtratur ex operibus ſuis, ita omnia hæc fuerunt manifeſtata ex Dei operibus; recte adiunxit intellecta, quia Deus nullo ſenſu, cum non ſit corpus, ſed ſolo intellectu cognoſci poteſt; Ipſius autem cognitionis tempus fuit à creatura
Gen. 4. *mundi, ideſt ab ipſa mundi creatione: Legimus enim in Geneſi primos homines Deo ſacrificaſſe, & Seth nomen Domini primo inuocaiſſe.*

ITA, VT SINT INEXCVSABILES, QVIA CVM COGNOVISSENT DEVM, NON SICVTI DEVM GLORIFICAVERVNT, AVT GRATIAS EGERVNT.

C*um itaque Deus ipſis Gentilibus à creatione mundi omnia reuelauerit, quæ de ſe ipſo cognoſci poſſent, per effectus ipſos, inter quos præcipuus, & manifeſtior eſt motus, tantam de ipſo Deo homines cognitionem ſunt conſecuti, ut in hoc, quòd cognouerint ſempiternam illius uirtutem, ac diuinitatem, & debitum illi cultum non impenderint, excuſari non poſſint; Nam cum ipſi Deum cognouiſſent, & ipſius ſempiternam uirtutem, atque diuinitatem intellexiſſent, utique debebant illum ſicuti Deum glorificare; quod non fecerunt, quia gloriá, quam Deo tribuere debuerunt, aut illum magnificando laudibus, aut colendo uictimis, ac ſacrificijs, ad corruptibiles creaturas tranſtulerunt.*

SED EVANVERVNT IN COGITATIONIBVS SVIS, ET OBSCVRATVM EST INSIPIENS COR EORVM.

I*dolatræ igitur neglecto Deo euanuerunt in cogitationibus ſuis, quia non ſunt conſecuti finem, quem optabant; Cum etiam ſecundum Philoſophos uanum id ſit proprie, quod non conſequitur proprium finem; uolentes enim in ſuis cogitationibus finem ponere magis, quàm in Deo, finem, quem optabant, non ſunt con*
Pſal. 93. *ſecuti; Propterea à Propheta dictum eſt. Dominus ſcit cogitationes hominum,*

quia

quia uanæ ſunt, & quia receſſerunt à luce ueritatis non referendo gloriam, & gratiam Deo, ſed potius in cogitationibus ſuis inanibus ſpem ponentes, propterea inſipiens cor eorum obſcuratum eſt. Appellauit autem cor inſipiens intellectum priuatum ſapientia; Cor enim idem eſt, quod intellectus, quia dicit Apoſtolus. Corde creditur ad iuſtitiam: eſt enim fides habitus intellectus; Sed magis dixit cor, quàm intellectum, quia cor addit ſupra uirtutem cognoſcendi affectum quendam, quaſi diceret; Intellectus eorum propter malos affectus ſuarum inanium cogitationum priuatus eſt luce ſapientiæ, quam ſe iactabant habere; De quo etiam Paulus ad Epheſios dicit. Vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant, in uanitate ſenſus ſui tenebris obſcuratum habentes intellectum. Eph. 4.

DICENTES ENIM SE ESSE SAPIENTES STVLTI FACTI SVNT.

V*ere inſipiens cor eorum obſcuratum eſt, quia ex eo, quòd inuiſibiles Dei perfectiones, et æternã ipſius uirtutem, et diuinitatem cognouiſſent, ſapientes ſe dici, & eſſe uoluerunt, exiſtimantes, quòd uera ſapientia in ſola Dei cognitione tantum, & non in cultu ipſius conſiſteret; Sed fallebantur, quia uera ſapientia non modo eſt Deum cognoſcere, ſed illi gloriam, & gratiam referre, & ideo, cum ſolum Deum cognouiſſent, & illum neque, ut Deum coluiſſent, neque eidem gratiam retuliſſent, ſtulti facti ſunt, hoc eſt amentes, ut ne quidem lumine naturæ ad cognitionem ipſius Dei uterentur.*

ET MVTAVERVNT GLORIAM INCORRVPTIBILIS DEI IN SIMILITVDINEM IMAGINIS CORRVPTIBILIS HOMINIS VOLVCRVM, ET QVADRVPEDVM, ET SERPENTIVM.

P*oſtquam Apoſtolus eos ſtultos eſſe dixit, nunc cauſam præcipuam eorum ſtultitiæ demonſtrat, quia gloriam, & honorem, quem incorruptibili, ideſt æterno Deo tribuere debuerunt, uerterunt ad corruptibiles creaturas; Diuerſa enim genera animantium fuerunt, quibus antiqui honorem diuinum impenderunt, nam homines mortuos primum Babylonij retulerunt in Deos, ſicuti Belum Nini primi regis Aſſyriorum parentem, quem Deum appellauerunt, unde reliqui Idolatræ ab hoc nomine Belo cætera ſuorum Idolorum nomina deduxerunt, ut Babylonij dixerunt Bel; Moabitæ quoque Bel; Paleſtini Baal; & Beelphegor; Sydonij Baalim; Acheronitæ Beelzebub; Iidemq; Babylonij ſerpentes adorare ſole-*

bant; nam Daniel ſerpentem eorum interfecit; Aegyptij coluerunt quadrupedem in ſimilitudinem Tauri, quem appellauerunt Apim, quod malum ſecutus eſt etiam populus Iudæorum ad radices montis Synai, dum uitulum conflatilem confecit; deinde Hieroboam rex Iſrael; & quamuis hæc inuenta ſint in hiſtorijs

Philo. Gentilium, primus tamen inuentor Idolorum (ut latius declarat Philo doctiſſimus Iudæorum in libro biblicarum antiquitatum in principio (fuit Tobel filius Lamech ex Sella, qui oſtendit (ut ipſe ait) hominibus artes in plumbo, & ſtanno, & ferro, & æramento, & argento, & auro, & tunc cœperunt habitantes terram facere ſculptilia, et adorare ea, propter quod Lamech dixit uxoribus ſuis ſe ſeptuagies plus peccaſſe, quàm Caim, quia docuiſſet filios ſuos Idola conſtruere, propter quod diluuium tempore Noe miſſum creditum eſt.

PROPTER QVOD DEVS TRADIDIT ILLOS IN DESIDERIA CORDIS EORVM IN IMMVNDITIA.

Tam nefarium eſt ſcelus Idolatriæ, ut propter illud Deus uoluerit eos, qui Idolatræ extiterunt, tradere, hoc eſt in poteſtatem dare, deſiderijs, atque cupiditatibus cordis eorum; Appellat autem hic cor partem illam animæ, qua nimio affectu ferimur in rem deſideratam. Voluit igitur Deus, ut Idolatræ illi, qui prætulerunt animalia immunda ſuo creatori, ſubigerentur poteſtati affectuum immundiſſimorum, & hoc quidem iuſtiſſima compenſatione factum eſt, ut mens eorum qui antepoſuerunt fœda, & immunda animalia Deo, immundarũ quoque cupiditatum ſubijceretur poteſtati, de quo antea dixerat Propheta. Dimiſi

Pſal. 80. eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.

VT CONTVMELIIS AFFICIANT CORPORA SVA IN SEMET IPSIS.

Sic enim propter Idolatriam dati ſunt in poteſtatem ſuarum obſcœnarum cupiditatum, ut ſordidiſſimis labibus infecerint corpora ſua in ſemet ipſis, hoc eſt ipſimet ſua corpora ſubiecerint fœdiſſimis, atque immundiſſimis operationibus, & uitijs; Vnde ſicuti ſubiecerunt Deum creaturis in honore, ac cultu, ita ipſimet corpora ſua ſubiecerunt dedecoroſis contumelijs.

QVI COMMVTAVERVNT VERITATEM DEI IN MENDACIVM.

His quidem iuſtiſſimis ſupplicijs Idolatræ affecti fuerunt, quia commutauerunt ueritatem

ritatem Dei in mendacium, cum uerum Dei nomen lapidibus, imaginibus, & ſimulacris attribuerint; Quod enim maius mendacium fingi poteſt, quàm de diuina ueritate ſuum honorem derogare, creaturæ attribuendo, quod creatori conuenire uidemus? Nam à lapidibus, atque auro id auferunt, quod ineſt; & attribuunt, quod deeſt: & illud maxime eſt, commutare ueritatem in mendacium, cum ea non lapidis, & auri, ſed Dei nomine appellentur.

ET COLVERVNT, ET SERVIERVNT CREATVRAE POTIVS, QVÀM CREATORI.

Non ſat Idolatris fuit lapides, & ligna uocare Deos, ſed illis quoque diuinum cultum præbuerunt, dum templa illis magnificentiſſima conſtruxerunt, ſupplices in eis adorantes; Cum tamen ſimulacra, ac ſtatuas, creaturarum, non Dei, imagines eſſe cognoſcerent, non modo diuinos honores, thura, & holocauſta altaribus eorum impoſuerunt, uerum etiam proprios filios immolauerunt, dicente Propheta. Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs; Et, ut mendacium ſuum amplificarent, deſeruerunt creatorem, ut penitus ſeruirent creaturæ. Pſal. 105.

QVI EST BENEDICTVS IN SAECVLA. AMEN.

Qui ſolus Deus Amen, ideſt uere ſempiterno tempore benedicendus eſt, atque laudandus ab omnibus creaturis: Reliqua uero ſimulacra, atque Idola, cum non permaneant ſempiterno tempore, benedicenda non ſunt, quanto minus ab hominibus colenda?

PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEVS IN PASSIONES IGNOMINIAE.

Supra iam dixerat, peccato Idolatriæ eos traditos eſſe in immunditiam cordis ſui, non tamen qualitatem operis immundi explicauerat, quã nunc patefacit dicens. Tradidit, ideſt dedit, eos Deus non modo in poteſtatem cupiditatum immundarum ſuarum, ſed etiam in poteſtatem paſſionum turpiſſimarum, ut laberentur, & ruerent in paſſiones ignominiæ, ideſt in peccata contra naturam, quæ propriæ paſſiones ignominiæ nuncupantur, cum paſſio ea propria ſit, qua paſſum trahitur extra propriam naturam; & recte tales paſſiones ignominioſæ appellantur, cum ne nomine quidem dignæ eſſe uideantur.

NAM FOEMINAE EORVM IMMVTAVERVNT NATVRALEM VSVM IN EVM VSVM, QVI EST CONTRA NATVRAM.

S peciatim nunc explicat, quod generaliter de paſſionibus ignominiæ dixerat. Fœminæ enim eorum peruerterunt ordinem naturæ, quia ordinem naturæ in generationibus ſeruare non potuerunt; propter hoc, quòd naturæ deſeruerunt auctorem; quod quidem eo turpius eſt, quia non ſolùm contra ordinem naturæ hominum, ſed etiam contra ordinem naturæ omnium animalium agebant; nam ideo animalia inter ſe commiſcentur, ut generationi intendant.

SIMILITER AVTEM, ET MASCVLI RELICTO NATVRALI VSV FOEMINAE EXARSERVNT IN DESIDERIIS SVIS IN INVICEM, MASCVLI IN MASCVLOS TVRPITVDINEM OPERANTES.

S imili quoque modo maſculi relictis mulieribus, abuſi ſunt pueris, et exarſerunt, ideſt, ſupra quàm dici poteſt, inflammati ſunt, in inuicem turpitudinem, ideſt paſſiones ignominiæ, operante, quibus nil turpius. Rationabiliter igitur Apoſtolus poſt Idolatriam ſubortum fuiſſe peccatum contra naturam aſſeruit, quia tempore Abrahæ, in quo maximæ uiguit Idolatria, ciuitates maximæ, eo crimine damnatæ, ſuccenſæ fuerunt, ut Sodoma, & Gomorra.

Gen. 19.

ET MERCEDEM, QVAM OPORTVIT, IN SEMET IPSIS RECIPIENTES.

D ignam quippe ſcelerum ſuorum compenſationem receperunt, ut quanto grauius errauiſſent, tanto ſordidiorem mercedem reciperent, ſe ipſos, & propriam naturam turpiſſimis operibus deformantes, nullà alia mercede profecto digni.

ET SICVT NON PROBAVERVNT DEVM HABERE IN NOTITIA, TRADIDIT ILLOS DEVS IN REPROBVM SENSVM.

E t quemadmodum illi Idolatræ non probauerunt habere Deum in notitia, hoc eſt, eum Deum, quem cognoſcebant naturali cognitione, eſſe creatorem ſuum noluerunt

lucrunt agnoſcere, & debito illum cultu uenerari; Ita quoque Deus propter hoc eorum nefandum ſcelus tradidit eos, hoc eſt dedit, in poteſtatem ſui reprobi ſenſus; Vt, ſicuti antea illis in eorum creatione probum, ac laudabilem ſenſum, ac mentem conceſſerat, ita ſcelere Idolatriæ abſtulerit eis mentem bonam, & dederit mentem improbam, ac damnabilem; ut neque recto ſenſu, neque recta ratione uti poſſent: Hoc quippe non omnibus peccatoribus Deum facere arbitramur, ſed ijs tantũ, qui Idolatræ extiterunt, aut aliquo alio grauiſſimo crimine Deum offenderunt, ſicuti de Nabuchdonoſore in Daniele factum fuiſſe legimus, cui Deus ob magnitudinem ſceleris ſui ſenſum abſtulit, ita, ut cum beluis fœnum, & herbam manducaret. Dan. 4.

VT FACIANT EA, QVAE NON CONVENIVNT; REPLETOS OMNI INIQVITATE.

A *bſtulit itaque Deus Idolatris mentem probam, ac bonam, & dedit eis mentem improbam, ac malam, ut facerent praua opera, quæ homines non decebat facere; Propter quod omni iniquitate cumulati omnia opera iniuſta perpetrarunt, quæ quidem diſtincto iam ordine recenſebit.*

MALITIA.

P *rimo quidem repleuerunt ſe malitia, hoc eſt peruerſitate, quæ omnibus uirtutibus contraria eſt, quæ etiã dolis, et fraudibus proximum decipere ſemper cõſueuit.*

FORNICATIONE.

H *oc eſt libidinoſo coitu cum meretricibus habito; Quando dictum ſit fornicari à fornicibus, ideſt locis atris, & ſuboſcuris in quibus meretrices habitare ſolebant.*

AVARITIA.

N *imia cupiditate auri, reliquarumq; rerum, quibus cum aliquis tenaciter utitur, ita, ut ubi opus ſit, alteri non impertiat, auarus appellatur.*

NEQVITIA.

P *rodigo, & immoderato luxu, ſeu magis immoderata effuſione pecuniarum ad explendas libidines.*

PLENOS INVIDIA.

D olore animi, qui propter alterius felicitatem ſuſcipitur, etſi inuidenti nullam afferat iacturam.

HOMICIDIO.

H ominum cæde.

CONTENTIONE.

V ehementi animi concertatione, plena rixa, & diſcordia.

DOLO.

F raude, ac machinatione, quæ texitur ad fallendos homines.

MALIGNITATE.

A ſperitate, ac difficultate morum: malignus proprie aſper, ac difficilis appellari ſolet.

SVSVRRONES.

N on modo his generibus uitiorum, quæ diximus, Idolatræ ſe ipſos ſordidauerunt, ſed etiam facti ſunt ſuſurrones, maledici, & linguaces, qui uoce demiſſa maledictis uſque in aures hominum obſtrepunt.

DETRACTORES.

D e aliorum fama derogantes, uel falſa imponentes, uel uera comminuentes.

DEO ODIBILES.

S i enim uerbum hoc paſſiue accipiatur, ſenſus eſt, ut detractores Deus odio habeat: ſin magis actiue ſenſus erit, ut illi Deum inuiſum habeant.

CONTVMELIOSOS.

C onuiciatores, ac omnium contemptores.

SVPERBOS.

Arrogantes, & qui ſupra alios ſeſe uideri, atque oſtendi contendunt.

ELATOS.

Glorioſos, faſtuq; tumentes.

INVENTORES MALORVM.

Excogitatores nouorum ſcelerum, & prauarum opinionum.

PARENTIBVS NON OBEDIENTES.

Quod quidem contra naturæ, & legis inſtituta eſſe uidemus.

INSIPIENTES.

Amentes, atque inſanos, qui ob nimiam inſaniam Deum negant, de quibus Propheta. Dixit inſipiens in corde ſuo:non eſt Deus. Pſal. 13.

INCOMPOSITOS.

Moribus inornatos, et intractabiles, minusq;, quàm natura expoſtulat, conſociabiles.

SINE AFFECTIONE.

Efferatos, immanſuetos, ſine amore, & charitate.

ABSQVE FOEDERE.

Infideles, uiolatores pactionum, quos ſignificantius ſedifragos appellamus.

SINE MISERICORDIA.

Crudeles, quos nulla pietas, aut calamitas miſeriarum mouere poſſit, de quibus Iacobus dicit. Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. Iac. 2.

QVI, CVM IVSTITIAM DEI COGNOVISSENT, NON INTELLEXERVNT, QVONIAM, QVI TALIA AGVNT, DIGNI SVNT MORTE, NON SOLVM, QVI FACIVNT EA, SED, QVI CONSENTIVNT FACIENTIBVS.

Textus iſte iuxta aliam literam ad græcam ueritatem multo quidem clarior eſt, & apertior, qui ita legitur.

QVI, CVM IVSTITIAM DEI NOVERINT, QVOD II, QVI TALIA AGVNT, DIGNI SVNT MORTE, NON SOLVM EA FACIVNT, VERVM ETIAM ASSENTIVNT IIS, QVI FACIVNT.

Itaque, cum tales Idolatræ, & infideles iuſtitiam in Deo eſſe ex ipſarum pœnarum effectu cognouiſſent, quoniam eos, quos ſupra commemorauit, deliquentes uarijs pœnarum generibus affectos fuiſſe uidebant, intellexerunt itidem, propter ſummam Dei iuſtitiam de cœlo tam multis ſupplicijs reuelatam, tales omnes, qui huiuſcemodi opera iniqua feciſſent, ab eodem Iudice aliquando eſſe pœna mortis puniendos. Nihilominus, quanquam nouerint, quod ex ſumma Dei iuſtitia pœna peccantibus mors eſſet, in tantam ſui obliuionem deuenerant, Deo permittente, ut, non ſolum ſupradicta crimina, quæ omnia ferè ſcelerum genera complectuntur, perpetrarent, ſed, quod grauiſſimum ſcelus erat, conſenſum præberent ijs etiam, qui eadem mala opera feciſſent; Et ſic ipſi non modo peccabant, uerum etiam alios malo ſuo exemplo, et conſenſu ad peccandum protrahebant.

Propter

CAPVT. SECVNDVM.

PROPTER QVOD INEXCVSABILIS ES O' HOMO OMNIS, QVI IVDICAS, IN QVO ENIM IVDICAS ALTERVM, TE IPSVM CONDEMNAS EADEM ENIM AGIS, QVAE IVDICAS.

Cum Apoſtolus hactenus Gentiles reprehendiſſet, qui tametſi, ex iis, quæ facta ſunt, inuiſibiles Dei perfectiones, & uirtutem, atque etiam diuinitatem illius intellexiſſent, tamen mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & aliorum animalium: propter quod tam nefarium, & inexpiabile ſcelus Deus ita tradidit eos in reprobum ſenſum, ut omniũ uitiorum fœditate polluerentur; Nunc uero Iudæos reprehendit, qui, cum in eadem Idolorum cultura pari praua conſuetudine peccauiſſent, tamen Gentiles de eodem ipſo crimine, in quo ipſimet peccauiſſent, & de quo damnandi eſſent, reprehendere, et damnare uolebant: Dicit igitur. Omnis homo, ſiue Iudæus ſit, ſiue Gentilis, factus eſt inexcuſabilis, ſi alteruter alterum de hiſce criminibus uelit reprehendere, & iudicare, de quibus ipſe damnandus eſſet; nulla enim excuſatione dignus putandus eſt, qui illud crimen alteri obiicit, in quo ipſe maxime peccare uidetur; QVI ENIM PARATVS EST IN ALIVM DICERE, CARERE DEBET OMNI VITIO. Cum igitur tam Gentiles, quàm Iudæi in omnibus ſupra numeratis criminibus inuoluti fuiſſent, omnesq; ferè Idolorum cultores extitiſſent, inexcuſabilis reddebatur ſtatim quicunq; de eo crimine, in quo etiam ipſe peccauiſſet, alterum iudicare, et damnare uoluiſſet; Iudæus enim Gentilem de Idolatria, & infidelitate reprehendebat, & damnabat, quia Idola coluiſſet, Moſaicamq; legem non ſuſcepiſſet, mandatisq; Dei non obtemperaſſet: Contra autem Gentilis Iudæum accuſabat, & dicebat, eum non immunem fuiſſe ab Idolatria, eundemq; legem, quam habuiſſet, non obſeruauiſſe. Non'ne igitur, cum alter alterum iudicaret, ſe ipſum uterq; noxius condemnabat? Si enim tu Iudæe Gentilem, quòd ille ſtatuis, mutisq; ſimulacris litauerit, inceſſeris; Ille etiam tibi uitulum conflatilem, & lucos, & aras, quas Dæmonibus erexiſti, obiiciet. Quare igitur, cum uos Iudæi in Idolorum cultu Gentilibus pares extiteritis, damnare cupitis ea in illis, quæ uos etiam ipſi feciſſe uideamini?

SCIMVS ENIM QVONIAM IVDICIVM DEI EST SECVNDVM VERITATEM IN EOS, QVI TALIA AGVNT.

Nemo quidem ueſtrum debet alterum in ijs criminibus iudicare, & damnare, in quibus utrique peccauiſtis; quoniam hoc odio, & inuidia magis, quàm ueritate adducti facere uidebimini; Nam Deus, ut certiſſime nouimus, eos, qui talia crimina fecerunt, neque odio, neque inuidia, ſed ſecundum ueritatem iudicabit; Is enim, qui eſt cauſa ueritatis, in omnibus rebus maxime uerus eſt: quemadmodum, quod eſt cauſa caliditatis, in omnibus rebus calidis calidiſſimum eſſe uidemus: Propterea, ſicut calidiſſimum non poteſt niſi caliditatem inducere, Ita quoque Deus, qui eſt cauſa omnis ueritatis, ſolus maxime ſecundum ueritatem iudicabit.

EXISTIMAS AVTEM HOC O' HOMO, QVI IVDICAS EOS, QVI TALIA AGVNT, ET FACIS EA, QVIA TV EFFVGIES IVDICIVM DEI?

Itaque, cum ſciamus eos, qui talia crimina fecerint, uero, iuſtoq; Dei iudicio puniendos eſſe, tu homo (quiſquis es) qui reprehendere, ac iudicare præſumis eos, qui huiuſcemodi ſcelera faciunt, et tamen eadem ipſa, quæ in alio damnas, operaris, putas'ne, te iudicium Dei, qui ſecundum ueritatem iudicat, euitaturum? Vtique ipſum non euitabis, quia iam diximus, quòd pro certo cognoſcimus Deum eos homines, qui talia crimina, quæ commemorauimus, fecerint, ſecundum ueritatem iudicaturum; Nam quanquam iudicium Dei in hoc ſæculo effugere aliquo modo poſſis, in alio tamen nunquam illud euitabis.

AN DIVITIAS BONITATIS EIVS, ET PATIENTIAE, ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS?

Etſi te, qui alterum iudicas, Deus iudicaturus eſt, non propter hoc tamen, quòd te ſtatim hic non damnat, non iudicat, & iuſtis pœnis non afficit, debes tu diuitias bonitatis eius, ideſt ſuperaffluentem, ac copioſam illius bonitatem, qua ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & innumera alia bona hominibus concedit ingrato animo contemnere. Num diuitias patientiæ illius debes deſpicere, quia te peccantem tam patienter tolerat? Num etiam diuitias, ideſt huberem, & abundantem illius longanimitatem, hoc eſt diuturnitatem ſuæ miſericordiæ,

ricordiæ, qua te tam longo tempore cum ſumma pietate, atque patientia expectat, aſpernari debes?

IGNORANS, QVONIAM BENIGNITAS DEI TE AD POENITENTIAM ADDVCIT.

N*on debes itaque* Dei *affluentem longanimitatem contemnere, tanquam neſciens, & ignorans, quoniam benignitas* Dei *non ideo te tam patienter ſuſtinet, teq; tam longa miſericordia tolerat, ut tu mala malis accumulando obſtinatior in dies efficiaris in peccatis, & de impunitate tibi ipſi indulgens quotidie blandiaris; quia* Dei *benignitas non aliam ob cauſam te ſuffert, ac ſuſtinet in longanimitate, & patientia ſua, niſi, ut te ad pœnitentiam reuocet. Quàm clemens igitur, & benignus eſt* Deus*, qui non ſtatim offenſus punit, ſed ſuſtinet, ut, ſi nos ſcelerum noſtrorum aliquando pœnituerit, iterum, atque iterum ille miſericordiam ſuam nobis impertiatur.*

SECVNDVM AVTEM DVRITIAM TVAM, ET IMPATIENS COR TVVM THESAVRIZAS TIBI IRAM IN DIE IRAE, ET REVELATIONIS IVSTI IVDICII DEI.

B*enignitas, & patientia, & longa miſericordia* Dei *ad pœnitentiam te reuocabant, cum ipſe tibi ſtatim, poſtquam peccauiſſes, pœnas meritas non irrogaret:* Tu *uero, cuius cor diuturnitate malorum operum induruit, et factum eſt impœnitens, ita, quòd de illis dolere nolis, neque ad pœnitentiam flecti, neque recordatione pœnæ emolliri: tu (inquam) ex hac dura, & inflexibili uoluntate tua, dum ſcelera ſceleribus adiungis in hoc tẽpore diuturno, quod* Deus *tibi ad pœnitentiam præſtat, auges, & accumulas tibi iram, ideſt,*Dei *indignationem; in die iræ, ideſt, in eo die, quo* Deus *peccatoribus indignatum ſe demonſtrabit.* Benignitate *enim* Dei *datum fuit tempus in hoc ſæculo ſceleſtis, ut eos ſuorum ſcelerum aliquando pœniteret;* Sed *ipſi dum eo tempore abuſi ſunt mala opera cumulando, peccata augendo, multiplicauerunt indignationem* Dei*, & ſic tempus, eis datum ad dilutionem, & expiationem peccatorum, factum eſt illis ad augumentum ſuppliciorum; nam* Deus *ſicut patientibus, et pœnitentibus mala uertit in bonum; ſic iis, qui diuina patientia abutuntur, ſtatuit, ut bona uerterentur in malum.* Quoniam *igitur mali longanimitate diuina ad pœnitentiam non flectuntur, propter hoc acerbiorem uindictam exaggerant in die* Iudicij *ſibi*

ipſis inferendam . Dies autem iræ & indignationis erit, quando Deus reuelabit iuſtum iudicium ſuum, in quo oſtendet iram, & indignationem ſuam aduerſus eos, qui de iiſdem criminibus alios iam iudicare uoluerint, in quibus & ipſi peccauerint; Dicit autem, reuelabitur, quia omnia peccata, quæ in eo, qui nunc alium iudicat, occulta ſunt, & operta, eo die manifeſtabuntur, & in conſpectu proferentur omnium; ſicut per Prophetam dictum eſt. Reuelabo in faciem
Nau. 3. tuam pudenda tua, et oſtendam cunctis gentibus nuditatem tuam; Dixit etiam iuſti iudicij, quia ſolus Deus, qui ſecundum ueritatem iudicat, iuſto iudicio iudicat, non reſpiciendo perſonas; Siue enim Iudæus, ſiue Gentilis extiterit unumquemq; pro meritis, & operibus ſuis, prout dignum fuerit, iudicabit: De hoc iudicio non modo literæ ſacræ, ſed etiam præſtantiſſimi Philoſophi meminerunt.
Plato Plato enim in Gorgia Socratem de die, & reuelatione eiuſmodi iudicij introducit ſic loquentē. Omnes animæ ad diuinum Iudicium abſque aduocato nudæ uenient, uitiorum cicatrices, notaſq; intimas proferentes, quas quidem ſeuerus Iudex prorſus inſpiciens diſcernet, atque iudicabit, nec perſonarum, conditionumq; illarum rationem ullam, aut delectum ullum habebit; & in ultimo de rep. probat, animas ad iudicium accedentes palam opera ſua ſingulas ſecum gerere, bona quidem à fronte, & mala à tergo pendentia. Rectiſſime etiam theſaurizare impios dixit iram Dei; nam, ut auarus aurum auro accumulans theſaurizare dicitur, ſic, qui peccatum addit peccato, iram Dei, & uindictam theſau-
Iaco. 5. rizare intelligitur; Propterea Iacobus dicit. Theſaurizaſtis autem uobis iram in nouiſſimis diebus.

QVI REDDET VNICVIQVE SECVNDVM OPERA EIVS.

Dixit iudicium Dei eſſe iuſtum; Vere quidem iudicium Dei iuſtum eſt, quia iuſte iudicabit Deus, ſolam operum, & non perſonarum habiturus rationem, et unicuique aut pœnas, aut ſupplicia, aut præmium, aut mercedem redditurus ſecundum opera, non ſecundum dignitates, aut ſtatus hominum; æque enim bona opera Gentilis, & Iudæi præmio cumulabit; & æque Iudæi, & Gentilis mala opera iuſto ſupplicio condemnabit.

IIS QVIDEM, QVI SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS GLORIAM, ET HONOREM, ET INCORRVPTIONEM QVAERVNT VITAM AETERNAM.

Iudicium

Iudicium Dei ſolum iuſtum eſt, propterea, quia unicuique reddit prǽmium, aut pœnam ſecundum cuiuſcunque opera; Vere utique omnibus ſecundum eorum opera redditurus eſt, quia bonis bona, & malis mala eſt retributurus, Iis enim qui patienti, atque conſtanti animo iugiter bona opera fecerint, & in illis ad finem uſque perdurauerint, maximam redditurus eſt uitæ æternæ felicitatem; Appellauit enim patientiam boni operis manſuetudinem illam animi, qua bona opera faciendo aliorum contentioſas lites, altercationes, & iniurias toleramus; Iis, inquam, qui hac patientia uſi fuerint, Deus per iuſtum iudicium ſuum redditurus eſt non ſolum gloriam, & honorem, id eſt ea prǽmia, quæ ad animæ felicitatem pertinent, ſed etiam incorruptionem, id eſt immortalitatem corporis, quæ omnia per uitam æternam habentur. Ex hoc ergo manifeſtum eſt, quòd, ſicut animæ per bona opera gloriam, & honorem conſequuntur, ſimiliter etiam & earum corpora incorruptionem, dum in æternum uiuent, conſequentur, quia & ipſa inſtrumenta fuerunt animæ patienter, & bene operantis; per gloriam intelligendo eam felicitatem, quæ ſolis beatis conuenit, quæ eſt Deum cognoſcere, & reuelata facie contemplari; ſicuti Ioannes dixit. Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum; Per honorem autem intelligit eam felicitatem, qua tantummodo beati decorantur, & fulgent, ſicut dicitur. Iuſti fulgebunt ſicut Sol. Gloria igitur erit prǽmium animæ, honor autem & incorruptio corporis; omnia autem hæc per uitam æternam habentur, quia ex uiſione Dei, quæ eſt uita æterna, anima gloriam, corpus uero incorruptibilitatem, & honorem conſequentur; quibus ſcilicet animæ, & corpori nullum aliud donum præſtantius concedi poteſt. Eſt igitur conſiderandum, quòd Apoſtolus dicit, Deum unicuique redditurum pro operibus ſuis, & ijs, qui patientes fuerint, gloriam, honorem, incorruptionem, & uitam æternam conceſſurum. Ex quibus ſatis aperte habetur, quòd opera noſtra neceſſaria ſunt ad felicitatem comparandam; non enim Apoſtolus dixit gloriam, honorem, & uitam æternam à Deo nobis dari ſecundum ſuam uoluntatem, aut prædeſtinationem, ſed ſecundum patientiam boni operis, ita ut illi eam ſint habituri, qui patientia animi uſi fuerint in bonis operibus. Quod ſi diceretur prædeſtinationem eſſe partē prouidentiæ Dei, quæ de fine, & medijs eius diſponit; media autem, quibus felicitatem conſequimur, ſunt bona opera; Deus igitur prædeſtinando aliquem ad felicitatem, bona opera, tanquam media, requirit. Sed hoc, quod dicitur, plurimum opinionem noſtram confirmare uidetur. Si enim felicitatem ex noſtris operibus, tanquam quibuſdam medijs, conſequimur, quæ quidem opera ſunt in noſtra uoluntate, felicitatem quoq; ipſam neceſſe eſt confiteri eſſe ex noſtra uoluntate; aliter finis non conueniret medio; propterea Dominus in Euangelio dicebat.

Ioan. 17.

Pſal. 3.

Math. 11. *Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud.* Voluntarie enim qui laborauerunt in uinea, laborauerunt in ea, & uoluntarie denarium diurnum acquiſiuerunt. Ex uoluntate igitur noſtra, & ex operibus noſtris, Deo ita promittente, felicitatem, tanquam mercedem noſtrorum laborum, acquirimus.

IIS AVTEM, QVI SVNT EX CONTENTIONE, ET NON ACQVIESCVNT VERITATI, CREDVNT AVTEM INIQVITATI, IRA, ET INDIGNATIO, TRIBVLATIO, ET ANGVSTIA IN OMNEM ANIMAM HOMINIS OPERANTIS MALVM; IVDAEI PRIMVM, ET GRAECI.

Sicut bonis iuſtus iudex præmia conſtituit, ita malis ab eodem iuſta ſupplicia parata ſunt, ijs inquam malis, qui ex contentione ſunt, id eſt qui contra fidem altercantur, nouas ſæpe hæreſes ſeminando; & qui nunquam fidei, & ueritati obtemperant, ſed eam magis impugnant, credentes iniquis & infidelibus hominibus. His inquam, ira, & indignatio, tribulatio, & anguſtia merito debetur; per iram uindictam, & pœnam intelligens; Indignatio uero eſt, qua Deus tales ſe indignos eſſe uult; æqua enim Dei compenſatione factum eſt, ut qui Deum, eiusq; ueritatem dedignati fuerint, ab ipſo quoque indigni ſuæ felicitatis eſſe exiſtimentur. Per tribulationem, & anguſtiam, dolorem, & ſempiternam pœnam intelligens, Dixit bonis Deum redditurum eſſe gloriam, & honorem, &
Iac. 1. incorruptionem, quia illius proprium eſt bona illa tribuere: Omne enim donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum: Non dixit malis redditurum tribulationem, & anguſtiam, quamuis eis pœnam tribuat, quia non à Deo, ſed à nobis mala ſunt omnia, quibus cruciatus, & pœnæ debentur; non enim nos perſequitur, quod fecit Deus, ſed malum, quod fecit homo; nec inuenta eſſet à Deo pœna, niſi nos prius inueniſſemus peccatum. Hæc utique mala non ſolum contentioſis, & infidelibus, ſed etiam omnibus hominibus tum ſecundum corpus, tum etiam ſecundum animam contingent. Iudæi primum, & Græci, id eſt omnis hominis æqualiter, tum Iudæi, tum Græci; quia iuſtus iudex æqualiter ſaluat, & æqualiter damnat; nec eſt acceptio perſonarum apud ipſum. Si enim uoluiſſet Ap. dicere, ut aliqui putauerunt, quòd Iudæus primum ſaluaretur, aut damnaretur, dixiſſet; Iudæi primum, poſtremo Græci; ſed dixit primum, ut æqualiter intelligamus, prout ſupra cap. 1. latius declaratum eſt.

GLORIA AVTEM, ET HONOR, ET PAX OMni operanti

NI OPERANTI BONVM, IVDAEO PRIMVM, ET GRAECO.

C *um paulo ſupra Ap. propoſuiſſet, Deum conſtituiſſe malis mala, in qua re pares fecerat Iudæos cum Gentilibus; & paulo ante dixiſſet, eundem redditurum eſſe bonis bona, nulla facta comparatione parilitatis inter Iudæum, & Gentilem, poſſet aliquis ambigere, an in hac bonorum retributione prius uni, quàm alteri Deus eſſet imperiturus iſtam felicitatem; & propter hoc dicit, gloriam, honorem, & pacem, in quibus æterna continetur felicitas, Deum æque primum, id eſt æqualiter, tam Iudæo, quàm Græco bene operanti eſſe conceſſurum. Præmia autem æternæ felicitatis ſunt gloria, honor, & pax; ut pro ira, quæ malis debebatur, ſit bonis gloria, pro tribulatione honor, pro anguſtia pax, quæ per incorruptionem paulo ſupra ſunt explicata: Et hæc eſt finis omnis beatitudinis, quia beati nulla unquam perturbatione commouebuntur.*

NON ENIM EST ACCEPTIO, NEQVE DISTINCTIO PERSONARVM APVD DEVM.

C *um indiſtincte, & æqualiter damnandum, & ſaluandum Iudæum, & Græcum aſſeruiſſet Apoſtolus, nunc reddit rationem dicens; ex eo enim iuſtus Iudex Deus æque damnat, & æque omnes ſaluat, quia non perſonam hominis, ſed merita, & operationes illius reſpicit; Vnde Petrus dixit. In ueritate comperio, quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed, in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Act. 19.

QVICVNQVE ENIM SINE LEGE PECCAVERVNT, SINE LEGE PERIBVNT, ET QVICVNQVE IN LEGE PECCAVERVNT, PER LEGEM IVDICABVNTVR.

M *anifeſtat hoc in loco Ap. & probat, quòd non ſit perſonarum acceptor Deus, quia æqualiter iudicat omnes, tam eos, qui ſine lege fuerunt, ut Gentiles, qui legem ſcriptam non habuerunt, quàm Iudæos, qui legem ſcriptam ſuſceperunt, dicens. Qui enim ſine ulla legis doctrina peccauerunt, utiq; ſine lege peribunt, id eſt ſine imputatione, quòd legem Moyſi non ſeruauerint, punientur: quamuis ſine ipſa lege fuerint. Non enim ſine lege omnino fuerunt Gentiles, quamuis ſciptam non habuerint legem, cum legi naturæ ſubiecti eſſent, quam, ſi*

cæremonias, Neomenias, & Sabbata ſuſtuleris, eandem eſſe cum lege ſcripta neceſſe eſt confiteri. In lege peccauerunt Iudæi, cum illis tantum data fuiſſet lex, tum præcepta legis non obſeruando, tum non credendo ijs, in quibus promiſſa eorum ſalus continebatur, id eſt Chriſtus. Nec propter illud, quòd Gentilis perire dicitur, & Iudæus iudicari, cenſendum eſt grauius ſupplicium eſſe paratum uni, quàm alteri, quia idem eſt iudicari ad perditionem, & idem eſt perire, ſicut ex Ioanne colligi poteſt. Qui non credit, iam iudicatus eſt; Niſi quia iu-
Ioan. 3. dicari per legem, maioris opprobrij fore uidetur Iudæo, quàm Gentili.

NON ENIM AVDITORES LEGIS IVSTI SVNT APVD DEVM, SED FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR.

Quia dixerat, quòd, qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, oſtendit nunc, qui iudicandi ſint per legem, dicens, quòd, qui audiunt legem tantum, & non faciunt præcepta legis, hi quidem peccant in lege, & iudicandi ſunt per legem, quia auditores tantum ſunt, & non obſeruatores legis; ſed qui fecerint præcepta legis, hi neque peccant in lege, neque iudicandi ſunt per eam, & hi iuſtificationem conſequentur. Quare ij per legem iudicabuntur, qui ſolum eam audierint, & præcepta in ea contenta non fecerint; Quòd ſi factores legis iuſti exiſtimantur à Deo, per contrarium igitur, qui non fecerint legem, iniuſti erant apud Deum: Tales igitur per legem, tanquam uiolatores legis, condemnabuntur. Sed quomodo factores legis iuſtificabuntur, cum infra dicat, neminem per legis opera poſſe conſequi iuſtificationem? huic rei facile ſatisfaciemus, ſi intellectum Ap. diligenter perſpexerimus. Non enim dixit, eos qui feciſſent opera legis, iuſtificatos, ſed iuſtificandos eſſe, ut oſtenderet, eos qui feciſſent opera legis, non ex uirtute legis iuſtificatos eſſe, ſed fore tempus, ut ij, qui legem feciſſent, hoc eſt, qui legis opera impleuiſſent, iuſtificationem aliquando conſequerentur, quod quidem fuit poſt Chriſti paſſionem; ad differentiam eorum, qui opera legis non obſeruauiſſent, qui neque in præſenti illo, neque in futuro tempore iuſtificationem eſſent unquam conſecuturi. Ex his igitur diligenter conſideratis perſpicue apparet, quòd, ſi Deus unicuique reddit ſecundum opera ſua, & deinde ſi factores legis iuſtificabuntur, opera noſtra neceſſaria ſunt ad ſalutem noſtram, quæ non propter nos, neq; propter legem meritoria ſunt, ſed propter paſſionem, & mortem Chriſti; Ille enim moriendo pro nobis iuſtificauit nos, & ſatisfecit pro nobis, & fecit, quòd opus noſtrum ante mortem illius inualidum ad conſequendam uitam æternam factum fuit deinde ualidum,

lidum, & meritorium propter mortem, & paſſionem ſuam. Quare utrunq; neceſſarium eſt ad ſalutem noſtram, & opus noſtrum, & paſſio, & mors Chriſti, quæ per gratiam, & benignitatem ſuam facta eſt nullis præcedentibus humanis meritis, & operationibus: Opus quidem noſtrum neceſſarium eſt, quia Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua: Vnde gloria, honor, pax, & uita æterna ſunt præmium noſtrarum operationum; Paſſio uero, & mors Chriſti neceſſaria eſt, quia per illam opera noſtra facta ſunt digna, & meritoria uitæ æternæ.

CVM ENIM GENTES, QVAE LEGEM NON HABENT, NATVRALITER EA, QVAE LEGIS SVNT, FACIVNT, EIVSMODI LEGEM NON HABENTES IPSI SIBI SVNT LEX, QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS INSCRIPTVM IN CORDIBVS SVIS, TESTIMONIVM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORVM, ET INTER SE INVICEM COGITATIONVM ACCVSANTIVM, AVT ETIAM DEFENDENTIVM IN DIE, CVM IVDICABIT DEVS OCCVLTA HOMINVM, SECVNDVM EVANGELIVM MEVM PER IESVM CHRISTVM.

Dixerat factores legis iuſtificandos eſſe, dixerat etiam paulo ante Gentiles fuiſſe ſine lege. Ex his itaque poſſet oriri dubium, quomodo Gentiles eſſent iuſtificandi, cum legem non habuiſſent, quæ illis oſtenderet, quid proſequendum, & quid euitandum eſſet; Cui dubitationi reſpondet Ap. & dicit quòd, licet Gentiles non haberent legem ſcriptam, habebant tamen legem, quam natura omnium mater illis naturaliter inſeruerat, qua tanquam magiſtra, ac duce cognoſcebant & bonum, & malum, & quid eſſet bene, & male operari; & ideo dicit, quòd Gentes, quæ non habent legem Moyſi ſcriptam, quam oculis intueantur, naturaliter tamen, id eſt natura oſtendente illis, quid proſequi, & quid uitare debeant, faciunt ea, quæ ſunt legis, id eſt ea bona opera, quæ lex fieri mandauit; Quæ tamen Gentes, quanquã faciant ea opera, quæ in lege fieri præcipiuntur, non habent tamen eiuſmodi legem Moyſi ſcilicet ſcriptam: Sed ipſi Gentiles ſunt ſibi ipſis lex, quia naturalis eorum ratio, quam natura illis præſtitit, ipſis eſt lex: Ipſe enim eorum intellectus, cognoſcendo quid ſit bonum, & quid ſit malum, ratione demonſtrat illis, quòd bonum ſit proſequendum, & malum fugiendum;

& hoc modo ſecundum iſtam legem, ac rationem operantes oſtendunt opus legis ſcriptum eſſe in cordibus ſuis: Opus autem legis eſt Deum colere, parentes honorare, proximum non offendere, & his ſimilia facere; quæ omnia opera natura per lumen intellectus ſcripſit in cordibus eorum, & quòd hæc omnia opera legis fuerint à natura ſcripta in cordibus Gentilium, apparet ex eo maxime, quòd conſcientia eorum operum, quæ ipſi fecerunt, reddet illis teſtimonium, an bona, an mala fuerint: Cognitio enim qua aliquod opus examinamus, & iudicamus an bonum, an malum ſit, conſcientia appellatur: Ex eo enim quòd Gentiles opera ſua iudicaturi ſunt, utrum ea bona, an mala fuerint, oſtendent opus legis ſcriptum à natura fuiſſe in cordibus ſuis, & non modo conſcientia operum, ſed etiam conſcientia ſuarum cogitationum inter ſe uiciſſim defendentium, aut accuſantium eos in die illo, quo Deus per Ieſum Chriſtum occulta hominum crimina iudicabit, ſecundum illam bonam enunciationem, quam uobis ſoleo declarare, oſtendet opus legis fuiſſe ſcriptum à natura in cordibus Gentilium; & ſic Gentiles, quanquam legem ſcriptam non habuerunt, non tamen caruerunt lege, & operibus illius ſcriptis in cordibus eorum, propter quod ſi male egerint, damnabuntur: ſi bene, ſaluabuntur. Opera autem legis ſcripta in cordibus Gentilium non fuerunt cæremonialia, aut iudicialia, ſed moralia tantum; quia Gentiles non peccaſſent, ſi cæremonialia, aut iudicialia opera non ſeruauiſſent; opera igitur moralia Gentilium erant futura meritoria æternæ felicitatis quandoq;, ſcilicet tempore gratiæ; ſicut illa Iudæorum futura erant meritoria: quia iſta opera erant opera legis ſcripta in cordibus eorum; & ideo, ſi opera Iudæorum erant futura meritoria, neceſſario quoque confitendum eſt, ut quandoque, ſcilicet tempore gratiæ, opera Gentilium meritoria forent, cum utraque ſint opera legis. Plerique tamen putant his, qui opera legis naturæ feciſſent, aliquam de Chriſto reuelatam à Deo fuiſſe cognitionem, quibus non repugnamus. Dixit, per Ieſum Chriſtum, quia Pater non iudicat quenquam per ſe ipſum, ſed per Ieſum Chriſtum, quia omne iudicium dedit filio.

Ioan. 5.

SI AVTEM TV IVDAEVS COGNOMINARIS, ET REQVIESCIS IN LEGE, ET GLORIARIS IN DEO, ET NOSTI VOLVNTATEM EIVS, ET PROBAS VTILIORA, INSTRVCTVS PER LEGEM, CONFIDIS TE IPSVM ESSE DVCEM CAECORVM, LVMEN EORVM, QVI IN TENEBRIS SVNT, ERVDITOREM INSIPIENTIVM, MAGISTRVM INFANTIVM, HABENTEM

FORMAM SCIENTIAE, ET VERITATIS IN LEGE.

Si itaque factores legis, & non auditores tantum ipſius iuſtificabuntur, & propter hoc Gentiles, qui fecerunt opera legis, quanquam illam ſcriptam ante oculos non haberent, iuſtificationem ſunt conſecuturi. Tu uero Iudæe, qui non tantum legem naturalem, ſed etiam ſcriptam habuiſti, & tamen neutrius opera feciſti, an putas te iuſtificationem conſecuturum? Dicit itaque, ſi tu cognominationem Iudæi ſortitus es, qui ex Iuda nobiliſſimo filio Iacob ſis oriundus, quia tribus illius regiam obtinuit dignitatem: Sunt tamen, qui putent Iudæos eos ſolos prius dictos fuiſſe, qui eſſent ex tribu Iudæ oriundi, reliquos uero omnes, ex alijs tribubus ortos, Iſraelitas appellatos eſſe, deinde ob inclitum nomen Iudæ Machabæi uniuerſos, ex omnibus tribubus, Iſraelitas, Iudæos cognominatos fuiſſe; & deinde requieſcis in lege, tanquam per illam omnem felicitatem ſis adepturus, & te iactas de Deo, quòd tibi locutus ſit, & quòd de ore ipſius legem ſuſceperis, & quòd eius uoluntas in eadem lege tibi patefacta ſit, & non ſolum quæ bona, ſed, quæ etiam meliora ſint, edoctus per legem diſcernas. Etſi propter hoc putas, te poſſe lumen cæcis, & ijs, qui in tenebris degunt ſplendorem afferre; cæcis (inquam) id eſt Gentilibus, qui omnino lumine legis ſcriptæ caruerunt, & ijs, qui in tenebris ſunt, id eſt qui ſplendidam omnino legis cognitionem non habuerunt; Si te etiam iactas rudium, & inſipientium eruditorem; Si te etiam puerorum, atque elinguium doctorem profiteris, perinde ac ſi ad arcem ſcientiæ, & ueritatis perueneris, ſolusq́; ueram ſapientiæ imaginem ſis conſecutus. Si igitur de his omnibus te tantum extollis, audi quid ſequatur.

QVI ERGO ALIVM DOCES, TE IPSVM NON DOCES? QVI PRAEDICAS NON FVRANDVM, FVRARIS? QVI DICIS NON MOECANDVM, MOECARIS? QVI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIVM FACIS? QVI IN LEGE GLORIARIS, ET PER PRAEVARICATIONEM LEGIS DEVM INHONORAS? NOMEN ENIM DEI PER VOS BLASPHEMATVR INTER GENTES, SICVT SCRIPTVM EST.

Si igitur tantum de lege gloriaris, & te eruditorem, & magiſtrum aliorum eſſe profiteris, & alios doces, cur te ipſum non erudis, & ea, quæ lex tibi præoſten-

dit, non ſequeris? Ecce in quot errores prolapſus legem tuam uiolaſti; Qui enim prædicas, non furandum, aliena rapis. Qui dicis, non mœchandum, peſtifera libidine te ipſum maculas: Qui Idola, & ſimulacra abominaris, ſuperſtitioſo Dæmoniorum cultu ueram religionem polluiſti, cum Deum per præuaricationem, hoc eſt per tranſgreſſionem legis, inhonoras. Lex enim præcipit Deum honorari; & nomen ipſius per uos, id eſt per Idolatriam, quam Gentibus cõmixti exhibuiſtis, dehoneſtatur, & blaſphematur; Quia dum uos Idolis diuinum honorem impendiſtis, ab ipſo uero Deo debitum ſibi honorem ſubtraxiſtis, ipſumq; Idolis præſtitiſtis, quod proprie eſt Deum blaſphemare; nam blaſphemia eſt, uel ea, quæ Deo conueniunt, alteri tribuere, uel ab eodem remouere; & hoc, quod
Eſai. 5. dico, non ex me, ſed ex Eſaia, & Ezechiele prophetis ueſtris dico; Vtriq; enim
Ezech. 5. nomen Dei per uos inter Gentes pollutum fuiſſe teſtati ſunt; Quare apparet, uos tantũ auditores legis, et non factores extitiſſe, atq; ita per legem iudicãdos eſſe.

CIRCVNCISIO QVIDEM PRODEST, SI LEGEM OBSERVES, SI AVTEM PRAEVARICATOR LEGIS SIS, CIRCVNCISIO TVA PRAEPVTIVM FACTA EST.

Sed quia potuiſſent dicere Hebræi, quòd legem obſeruarent, quia non modo mandabant circuncijionem obſeruari, ſed ipſi quoque eam cuſtodiebant, propterea dicit; noli putare Iudæe, te legem obſeruare, quanquam circunciſionem fieri inſtituas, eamq; obſerues, quia exiſtimamus, circunciſionem, ſi lex obſeruata fuerit, eſſe ualituram: fructus enim quem ex circũciſione conſequimur, nullus eſt, ſi præcepta legis non cuſtodiamus, quia circunciſio data Abrahæ neminem iuſtificabat; hoc enim ſolum præſtabat, quod erat ſignum referens ſignaculum iuſtitiæ fidei Abrahæ; quoniam, qui circunciſi erant, hoc quidem ſigno ſignificabant, ſe ea credere, quæ Abraham ipſe credidiſſet: Non igitur circunciſio iuſtificabat, ſed futuram iuſtificationem per fidem Chriſti præfigurabat, neq; etiam circunciſio prodeſſe poterat, niſi cum obſeruantia legis; & ideo, ſi legi non obtemperaueris, & mandata illius non impleueris, nihilo tibi plus prodeſt ò Iudæe circunciſio tua, quàm præputium, quia non obſeruas id, quod per legem profiteris; quandoquidem circunciſio ipſa faciebat hominem eſſe de populo illo Iudai-
Gal. 5. co, eumq; obligabat ad obſeruantiam legis; propterea Apoſtolus Galathis ſcripſit. Teſtificor omni circuncidenti ſe, quia debitor eſt uniuerſæ legis, quam ſi non cuſtodiſſet, nihil plus Iudæo præſidij attuliſſet circunciſio, quàm præputium Gentili. Animaduertendum eſt, duo eſſe genera circunciſionum; Vnum quidem ſecundum

dem ſecundum carnem, alterum ſecundum ſpiritum; De priori habemus Geneſi, cum Dominus dixiſſet Abrahæ. Circuncidetur ex uobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij ueſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & uos: Infans octo dierum circuncidetur in uobis, tam uernaculus, quàm emptitius; maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, debebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum non cuſtodierit; Et hæc omnia ad uerbum relata in Leuitico ferè eadem continentur. Aliud uero genus circunciſionis, quod eſt ſpirituale, colligitur ex Moyſe in Deuteronomio, ubi dicit. Circuncidetis præputium cordis ueſtri; & rurſus. Circuncidat Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui; & Hieremias. Omnes Gentes præputium habent, domus autẽ Iſrael incircunciſi ſunt corde; et ab eodem apertius manifeſtatur, ubi inquit. Circuncidimini Domino, & auferte præputium cordium ueſtrorum: & de eadem re Apoſtolus paulo infra dicit. Non eſt uera circunciſio illa, quæ eſt manifeſtata in carne. Vnde apud Iudæos incircunciſus immundus dicebatur: circunciſus autem mundus, quæ mundities per abſciſionem pelliculæ illius deſignabatur: Sicuti enim mundities corporalis non ualet ſine munditia ſpirituali, ita etiam circunciſio carnalis non proderit ſine circunciſione ſpirituali, quæ conſiſtit in cuſtodia legis. Quòd, ſi tantum carnalis circunciſio fuerit, & deſit ſpiritualis, non es ò Iudæe circunciſionem, ideſt munditiam, ſed præputium, ideſt immunditiam conſecutus. Conſideratione quoque dignum eſt ad circunciſionis ſpiritualis ampliorem cognitionem, quod Ioſue lib. legitur: quòd Moyſes nullum eorum, qui nati fuerant in deſerto, circuncidit, neque etiam omnes filios ſuos circuncidit, ſed ſolum Ierſam, quem Sephora mater illius petra acutiſſima circuncidit; Sed Dominus iuſſit Ioſue, ut faceret ſibi cultros lapideos, ut ſecundo circuncideret filios Iſrael. Cur igitur Moyſes non circuncidit, & Ioſue tantum circuncidit? Quia nimirum illi Ieſu ſeruata eſt circunciſio uera, ideſt ſpiritualis, qui gratiã conferre poterat, per quam à carnalibus uoluptatibus liberati ſumus; Moyſes non circuncidit, quia lex per Moyſem data eſt, quæ non iuſtificabat; ſed Ieſunaue in typum ſeruatoris noſtri circuncidit illos, quia gratia, & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, Propterea dixit Dominus ad Ioſue; Hodie abſtuli opprobrium Aegypti à uobis. Abraham tamen Auenanzer inter Hebræos non indoctus ſcripſit; Sephoram uxorem Moyſi circuncidiſſe filium ſuum non petra acutiſſima, ſed cultro ferreo habente aciem acutam, quandoquidem nomen illud apud Hebræos, quod petram ſignificat, poſſit & aciẽ ſignificantius explicare acutam. Aduertendum quoque eſt, quòd cum Paulus dixiſſet; Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues, debuit deinde dicere; Si legem non obſerues, circunciſio tua præputium eſt. Cur autem dixit, ſi præuaricator es legis? Eſt

Gen. 17.
Leui. 12.
Deut. 10.
Hier. 9.
Hier. 4.
Ioſu. 5.
Ioan. 1.
Ioſu. 5.
Abrahã. Auenanzer.
Exod. 4.

igitur aliud non cuſtodire legem, et aliud eſt eſſe prævaricatorem legis; quia non cuſtodire legem eſt non ſeruare præcepta contenta in lege; eſſe autem præuaricatorem legis eſt, non modo non obſeruare præcepta legis, ſed contra eadem facere; Quoniam præuaricatoris proprie eſt, deflectere ab officij ſui præſcripto, atque aberrare. Iccirco præuaricatorem appellamus eum, qui ſiue ex perfidia, ſiue ex negligentia legem ſibi impoſitã transgrediatur; Propterea ſiquis eſt præuaricator legis, circuncıſio illius facta eſt illi in præputium, ideſt de mundo immundus factus eſt.

SI IGITVR PRAEPVTIVM IVSTITIAS LEGIS CVSTODIAT, NON'NE PRAEPVTIVM ILLIVS IN CIRCVNCISIONEM REPVTABITVR? ET IVDICABIT ID, QVOD EX NATVRA EST, PRAEPVTIVM, LEGEM CONSVMANS, TE, QVI PER LITERAM, ET CIRCVNCISIONEM PRAEVARICATOR LEGIS ES?

Cum ſupra dixerit nec circunciſionem, nec legem potuiſſe prodeſſe Hebræis ſine obſeruantia legis, ex hoc infert, quòd ſi Gentilis, qui per præputium deſignatur, iuſtitias legis, ideſt præcepta, quæ in lege continentur, cuſtodierit, circunciſionis fructum, quia in ſortem reputabitur populus Dei, conſequetur: & ille idẽ Gentilis, qui quidem incircunciſus eſt ex natura, hoc eſt per legem naturæ, quã habet ſcriptam in corde ſuo, propter obſeruantiam tamen legis, quam cuſtodiendo, & conſumando adimplet, iudicabit uero quidem iudicio te ò Hebræe, qui præuaricator es legis, quia legem tibi datam contemnis, & ueram circunciſionem, quæ eſt ſpiritualis, ideſt ſpiritualem legis intellectum deſpicis, & ſpiritualem circunciſionem reſpuis, & literalem tantum legis ſenſum probas, contempto ſpiritualis cognitionis intellectu; et carnalẽ circunciſionem tantũ amplecteris, quæ quidem non tam uera circunciſio eſt, quàm circunciſionis internæ ſignũ.

NON ENIM, QVI IN MANIFESTO, IVDAEVS EST, NEQVE, QVAE IN MANIFESTO IN CARNE, EST CIRCVNCISIO, SED, QVI IN ABSCONDITO, IVDAEVS EST: ET CIRCVNCISIO CORDIS IN SPIRITV, NON IN LITERA.

Reddit nunc rationem, quare Gentilis, qui iuſtitias legis cuſtodierit, ſit iudicaturus Iudæum

rus Iudæum, qui literalem ſolum ſenſum legis, et carnalem tantum circunciſio-nem obſeruat, dicens, quòd ille non eſt exiſtimandus Iudæus, qui aut origine, aut appellatione gentis, aut habitu tantum Iudæus eſſe uideatur, & qui ſolum literalem ſenſum legis uerum eſſe putet; neque etiã is cenſendus eſt circunciſus, qui deſectam in corpore partem tantum carnis habeat, ſolamq; eam circunciſionem ſalutarem eſſe cenſeat; Sed ille uere iudicandus eſt Iudæus, qui interiori affectu mentis opera legis cuſtodit, non qui exterioribus cæremonijs tantum eam ſeruare uideatur: & ille uere circunciſus putandus eſt, qui circunciſionem cordis ſuſceperit, & hæc ſpiritualis eſt, quia mente, & corde præcidimus uanas cogitationes, & libidinoſos affectus; at illa circunciſio, quæ in carne tantum fiebat, ea eſt, quæ in litera continetur. Vnde, ſicut non omnis cenſendus eſt Iudæus, qui ſtirpe tantum ab ipſo Iuda deſcenderit (quandoquidem in ſequentibus dicat. Non omnes, qui ſunt ex Iſrael Iſraelitæ ſunt, ſed, qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine) eadem quoq; ratione non eſt uera circunciſio illa, quæ in carne tantum eſt manifeſta, quoniam ipſa data eſt in ſignum fœderis: Signum autem non iudicatur uerum, niſi & quod ſignificatum eſt, congrue conſequatur. Propterea ſiquis circunciſus legem non obſeruauerit, incircunciſus reputabitur.

CVI LAVS NON EX HOMINIBVS EST, SED EX DEO.

Probat nunc quomodo circunciſio ſpiritualis ſit præferenda circunciſioni carnali; quia laus circunciſionis ſpiritualis à Deo eſt, Deus autem anteponit ſpiritualia carnalibus, quia ſpiritualia iuſtificant, non autem carnalia; & ueri adoratores adorant in ſpiritu: & hæc quidem ſpiritualis circunciſio (ut Deut. colligitur) laudem conſecuta eſt à Deo: Deut. 30.
Laus autem circunciſionis carnalis ſolum eſt ex hominibus, quia in hac Iudæi putauerunt, ſe iuſtitiam eſſe conſecuturos, nulla alia ſpirituali circunciſione intellecta.

CAPVT. TERTIVM.

QVID ERGO AMPLIVS IVDAEO EST? AVT QVAE VTILITAS CIRCVNCISIONIS?

Si igitur Iudæus nec propter legem ſcriptam, nec propter circunciſionem carnis plus habet, quàm Gentilis, in quo glorietur? Cum ille uere Iudæus iudicandus ſit, qui interiori affectu opera legis fecerit; & is etiam uere circunciſus putandus, qui corde, & non carne circunciſus fuerit, quomodo Iudæus plus, quàm Gentilis, gloriari poterit? ideſt quænã præſtantia maior erit iudæorum, quàm Gentilium? aut quam deinde maiorem utilitatem, & commoditatem Iudæo afferet circunciſio illa tam diligenter ab eo ſeruata, ſi nos per ſolam legis obſeruantiam, perq; animi innocentiam prætermiſſis exterioribus legis cæremonijs, & abdicationibus omnium uoluptatum, & Iudæorum meritum, & circunciſionis eorum fructum conſequamur?

MVLTVM PER OMNEM MODVM, PRIMVM QVIDEM, QVIA CREDITA SVNT ILLIS ELOQVIA DEI.

Reſpondet nunc interrogationi, quam ſibi ipſi fecerat, in quo ſcilicet Iudæus haberet, quo gloriari poſſet plus, quàm Gentilis, dicens, Quòd multum quidem, & omnibus modis Iudæus ſupra Gentilem gloriari poterit: Quoniam ante omnes alias gentes, & nationes illi tantum fuerunt credita, ideſt commiſſa, & ad credendum data eloquia, ideſt promiſſa, & pollicitationes Dei, & illud maxime, ut in ſemine eorum benedicendæ eſſent omnes gentes. Quæ ideo eloquia Dei dicta ſunt, quia ea Deus ore ſuo promiſſit illis ſe ſeruaturum, cum nulli alteri populo ante hoc beneficium legamus à Deo datum fuiſſe. Propterea Propheta dicebat. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia eius non manifeſtauit eis. Dixit autem per omnem modum, quia non ſolum ex ore Dei, ſed etiam Patriarcharum et Prophetarum oraculis fuerunt eis eloquia Dei ad credendũ data. Pſal. 147.

QVID ENIM SI QVIDAM ILLORVM NON CREDIDERVNT? NVNQVID INCREDVLITAS ILLORVM FIDEM DEI EVACVAVIT?

Cum dixiſſet Iudæos plus habere, in quo gloriarentur, quàm Gentiles, quòd illis

data

data fuiſſent primum eloquia Dei *ad credendum* , Nunc *interrogando dicit* , *etſi* Iudæis *data fuerunt primum eloquia* Dei *ad credendum* , *quod exiſtimandũ eſt, ſi aliqui eorum eloquijs, et promiſſionibus ſibi à* Deo *datis non crediderunt?*Nunquid *propter eorum incredulitatem putandum eſt* , *quòd* Deus *irritam fecerit promiſſionem illis factam de fœdere* , & *pacto ſempiterno,ita ut* , *quemadmodum illi uiolarunt fidem* Dei *non credendo illi,cui tamen maxime credere debuiſſent* ; Ita *etiam* Deus *propter eorum incredulitatem non debuiſſet ſeruare eis* & *fidem* , & *promiſſionem* , *quam illis feciſſet* . Rationi *enim congruum uidebatur* , *ſicuti illi defecerant à fide* , *et credulitate* , *quòd* Deus *etiam in ſuis promiſſionibus illis deficeret* . Hoc *autem totum dixit* Apoſtolus , *ut etiam in ea ipſa excellentia* , *qua* Iudæi *uidebantur præſtare* Gentilibus, *eos deprimeret,quia propter eorum incredulitatem etiam hoc munere* , *quo* Gentilibus *præſtabant* , *ſeſe indignos reddiderunt* .

ABSIT; EST AVTEM DEVS VERAX; OMNIS AVTEM HOMO MENDAX; SICVTI SCRIPTVM EST. VT IVSTIFICERIS IN SERMONIBVS TVIS, ET VINCAS, CVM IVDICARIS.

N*equaquam incredulitas noſtra irritas* , *et inanes poterit facere promiſſiones* Dei, *quia* Deus *ex natura ſua uerax eſt* , & *in ſeruandis promiſſionibus ſuis fidelis, quoniam natura ſua immutabilis eſt* , & *omnium futurarum rerum cognitionem habet lucidiſſimam* : Nam *omnes res* , *quæ nobis futuræ uidentur,*Deo *præſentes ab æterno extiterunt* . Iccirco *quemadmodum ab æterno ſtatuit promittere* Iudæis , *quòd in ſemine eorum omnes* Gentes *benedicendæ eſſent* , *ita etiam ab æterno præſentem habuit futuram eorum incredulitatem* . Sicuti *igitur non deſtitit propter eorum incredulitatem polliceri illis benedictionem omnium gentiũ, ita etiam propter eorum diffidentiam non deſtitit illis ſeruare ſuas promiſſiones;* Sicut *autem* Deus *uerax eſt, ſic contra ; omnis homo mendax ; qui promiſſionum ſuarum* , *quibus* Deo *pollicitus eſt uiuere ſecundum rationem, aut ſecundum aliquam legem* , *præuaricator eſſe uidetur* . Hoc *autẽ contingit* , *propter hoc*, *quòd habet homo naturam mutabilem* , *ſæpiſſimeq; ruentem ad malum* . Homo *igitur mendax* , *quia promiſſionum ſuarum transgreſſor exiſtit; quod teſtimonio ſcripturæ* , *quæ falli non poteſt* , *comprobatur* ; *quæ omnem hominem mendacem eſſe affirmat* ; Sicuti *eadem dicit* ; Deum *eſſe ueracem, ut ille in ſuis ſermonibus,* Pſal. 115.
& *promiſſis iuſtus* , & *uerax appareat* . Is *enim proprie iuſtus* , & *uerax appellatur* , *qui ſeruat* , *quod promiſit* : In *ſeruandis igitur promiſſionibus* Deus Pſal. 50.

& uerus, & iuſtus exiſtit, & uincit hominum iudicia, cum ab illis iudicatur: Iudicant enim homines de Deo, ſicuti de ſe ipſis ſolent aliquando iudicare; Siquis enim haberet ſeruum aliquem, cui ille eſſet aliquid pollicitus; Seruus deinde ſi Domino ſuo oppignoratam fidem non ſeruaret, illico illi Dominus promiſſa reſcinderet, pollicitationesq; factas non ſeruaret: Sic fatui homines putant Deum facere, qui propter incredulitatem Iudæorum putant illum promiſſiones ſuas eis factas non debere ſeruare: Sed iſti maxime errant hoc modo iudicantes de Deo; Quoniã Deus uerax eſt, nec propter hominum ſcelera promiſſiones ſuas eis factas ſeruare deſiſtit: Et hoc quidem facit, ut in promiſſionibus ſuis iuſtus appareat, atque etiam, ut uincat hominum praue iudicantium opiniones, qui putant Deum à promiſſionibus ſuis poſſe deficere propter ſcelera hominum, ut ipſi deficere conſueuerunt. Sed ſciendum eſt, quòd Deus aliqua promittit uoluntate

Gen. 22. ſua abſoluta; ſicut promiſit Abrahæ: quòd in ſemine ipſius benedicẽdæ eſſent omnes gentes; & Dauidi; quòd de fructu uentris ſui naſciturus eſſet, qui ſederet

Pſal. 131. ſuper ſedem ſuam: Et hæc promiſſio, quia ſuper ſe abſolute, ſuamq; miſericordiam, quæ immutabilis eſt, facta erat, mutari non poterat: & ideo incredulitas Iudæorum non poterat euacuare fidem Dei. Quædam uero promiſit uoluntate conditionata, quæ fundatur ſuper merita, ac demerita hominum; ſicut promiſit Niniuitis ſummerſionem, ſi in peccatis ſuis perſtitiſſent; & eiſdẽ ſalutem, ſi ad prædicationem Ionæ reſipuiſſent: Nulla igitur mutatio fuit in Deo, ſed in Niniuitis; quia iam Deus uoluntate ſua determinauerat, ſe illis parciturum, ſi eos pœnituiſſet; & eoſdem ſe ſubuerſurum, ſi illi ſe non conuertiſſent. Neq; igitur uoluntas Dei abſoluta, neque executio ipſius mutari poteſt; neq; etiã iniquitates hominũ tollũt ueracitatẽ Dei, neq; mutãt ipſius abſolutã uoluntatẽ.

SI AVTEM INIQVITAS NOSTRA IVSTITIAM DEI COMMENDAT, QVID DICEMVS? NVNQVID INIQVVS EST DEVS, QVI INFERT IRAM? (SECVNDVM HOMINEM DICO) ABSIT. ALIOQVIN QVOMODO IVDICABIT DEVS HVNC MVNDVM?

Sed quoniam Apoſtolus dicere uidebatur, omnem hominem ob eam cauſam mendacem eſſe, ut Deus in ſuis promiſſionibus iuſtus appareat: Occaſione igitur huiuſce opinionis apud imperitos, & male affectos non leuis dubitatio naſci uidebatur; propterea, quòd Apoſtolus homines eſſe mendaces ob eam cauſam dicere uidebatur, ut Deus in promiſſionibus ſuis iuſtus uideretur. Itaque Apoſtolus rationes

tiones eorum explicat; Illi enim ſic argumentantur: Si itaque omnis homo mendax eſt, ut Deus in ſuis promiſſionibus iuſtus uideatur; Igitur iniquitates noſtræ, atque peccata noſtra extollent diuinam iuſtitiam, quia mendaces ſumus propter hoc tantum, ut iuſtitia Dei poſſit elucere. Quibus conceſſis quid dicemus, & quid reſpondebimus aduerſarijs, qui (inquit Apoſtolus) dicunt. Si propter ſcelera noſtra gloria iuſtitiæ Dei diffunditur, eundem iniuſtum, & iniquum poſſe uideri, qui peccatoribus infert iram, propter eorum peccata, quæ ideo homines faciunt, ut Deus ea corrigendo iuſtus apparere poſſit. Si itaque homines mendaces ſunt, propter oſtenſionem iuſtitiæ Dei; Quænam cauſa eſt, cur Deus eos puniat, & pœnis afficiat, qui ſi non peccarent, non poſſet Deus iuſtitiam ſuam declarare. Ideo putant aduerſarij Deum iniuſtum poſſe dici propter hoc, quòd homines peccantes punit. Hoc autem, quod dico Deũ iniuſtum, ſecundum hominem dico, hoc eſt ſecundum eum hominem, qui prauitate ſua perperam locum prædictum Prophetæ intelligendum eſſe putat: Hoc ſanè nunquam ſenſit Propheta. Ille tamen, quia uidebatur dicere Propheta; omnem hominem mendacem eſſe, ut Deus iuſtus eſſet in ſuis promiſſionibus, putauit Deum iniquum, ſi puniuiſſet peccatores. Abſit autem (dicit Apoſtolus) ut ego aut Deum iniuſtum putem, aut eundem iniquum appellem; nam Deum, qui mundum omnem iudicaturus eſt, iuſtiſſimum eſſe oportet: ſicuti illud calidiſſimum eſſe confitemur, quod omnibus rebus præſtat caliditatem.

SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABVNDAVIT IN GLORIAM IPSIVS, QVID ADHVC? ET EGO TANQVAM PECCATOR, IVDICOR? ET NON SICVTI BLASPHEMAMVR, ET SICVTI AIVNT QVIDAM NOS DICERE. FACIAMVS MALA, VT EVENIANT BONA, QVORVM DAMNATIO IVSTA EST.

A *lteram quoque eiuſdem Aduerſarij rationem adducit, quæ ſumitur ex parte hominis iniuſte puniti, ut prior ſumebatur ex parte Dei iniuſte punientis. Dicit itaque; ſi ueritas Dei, qua dicimus Deum iuſtum eſſe in promiſſionibus ſuis, propter mendacium noſtrum abundauit in gloriam ipſius, hoc eſt; ſi mendacium hominis principaliter ordinatur ad amplificandam gloriam ueritatis Dei; cur igitur homines debent propter iſta ſua mendacia ordinata ad augendã gloriam Dei iudicari peccatores? Quis enim amplificatorem gloriæ Dei ſceleſtum, & peccatorem iure poterit appellare? Satis quidem igitur patere poteſt, neminem*

propter mendacium ſuum iure peccatorem poſſe nuncupari. Vtranque autem aduerſarij rationem propoſitam ſoluit dicens; et non eſt, ſicut blaſphemamur; hoc eſt, nequaquam dicimus, omnem hominem mendacem eſſe propter hoc, ut Deus iuſtus appareat; Sicuti blaſphemamur, & uituperamur iniuſte; quia putant nos dicere, omnem hominem mendacem eſſe ob hanc cauſam, ut Deus iuſtus uideatur in ſuis promiſſionibus; hoc enim neque dicimus, neque confirmamus. Hi ſanè homines perſimiles ſunt illis, qui dicunt nos prædicare; Faciamus mala, ut eueniant bona; Hoc nunquam ſanè prædicauimus, immo prædicationibus noſtris ſcelus omne fugiendum eſſe oſtendimus. Iſti quidem, qui dicunt nos ſuadere, mala facienda eſſe, ut bona eueniant, habent iuſtam damnationem; quoniam nos ea prædicare affirmant, quæ nullus hominum ſe à nobis audiuiſſe, aut ex ſermonibus noſtris excepiſſe, abſque aperto mendacio, teſtificari unquam poterit; Vnde fit, quòd Deus eos de mendacio iuſta damnatione puniat; Sed ex reſponſione Apoſtoli nondum uidetur patere ueritas & diſſolutio quæſtionis; Hoc enim tantum dixit Apoſtolus; Se non dicere, omnem hominem, ob hoc mendacem eſſe, ut Deus iuſtus appareat. Iccirco aduertendum eſt, quòd, cum Apoſtolus dubitationem nouiſſet, utrum Deus propter incredulitatem Iudæorum irritas feciſſet promiſſiones eis factas, diluit dubitationem hoc modo; Quòd incredulitas Iudæorum non reddit inanes promiſſiones Dei, quia Deus uerax eſt; & ideo eſt uerax, ut ipſe idem iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & uincat, cum iudicatur. Vnde uerba hæc. VT IVSTIFICERIS IN SERMONIBVS TVIS. *Et cætera; ſunt cum his coniungenda.* DEVS VERAX EST. *Nõ cum illis.* OMNIS HOMO MENDAX. *Non enim omnis homo mendax eſt, ut Deus iuſtus appareat; ſed magis ille eſt uerax, ut iuſtus uideatur, & iuſtificetur in ſuis ſermonibus: Et ſic perſpicue apparet, Aduerſarios perperam locum propoſitum intellexiſſe.*

QVID ERGO? PRAECELLIMVS EOS? NEQVAQVAM. CAVSATI ENIM SVMVS IVDAEOS, ET GRAECOS, OMNES SVB PECCATO ESSE.

Cum oſtendiſſet Iudæos cum Gentilibus pares eſſe in legè, et circunciſione; et cum etiam declaraſſet, Iudæos nihilo plus habere, in quo gloriarentur, quàm haberent Gentiles; niſi hoc tantum, quòd eis ante omnes alias nationes fuiſſent eloquia, & promiſſa Dei ad credendum data; Propter hoc interrogando dicit. Si igitur Iudæis primum fuerunt data eloquia, et promiſſa Dei ad credendum; nunquid nos Iudæi præcellimus, & præferendi ſumus Gentilibus, quibus huiuſcemodi

eloquia

eloquia non fuerunt ad credendum data? Cui interrogationi reſpondet dicens; minime hoc uerum eſſe, ut ob hoc Iudæus Gentili præferendus ſit. Nã ſupra diximus cauſam, & oſtendimus, quãobrem neuter alteri præferendus eſſet; quia ſcilicet uterque ſub peccato erat conſtitutus tam Gentilis, quam Iudæus; propter hoc; quia omnes uerum Dei cultum alteri magis, quàm Deo attribuerant; & ob hoc prolapſi erant in omnia genera uitiorum. Quapropter, ſi omnes peccauerunt, nulla ratione debet peccator peccatori anteferri.

SICVT SCRIPTVM EST; QVIA NON EST IVSTVS QVISQVAM, NON EST INTELLIGENS, NON EST REQVIRENS DEVM.

N*on ſat fuit Apoſtolo rationibus oſtendere, omnes tã Iudæos, quàm Græcos æque ſub peccato eſſe; ſed illud idẽ auctoritate prophetica in Pſalmis confirmat; ut, ſi Iudæi auſi fuiſſent rationibus Pauli non credere, auctoritati prophetiæ credere compellerentur; Et aduertat hoc in loco quiſquis legerit; Hæc omnia, quæ paulo infra ordinatẽ explicat, non ex uno, eodemq; Pſalmo; ſed ex diuerſis Pſalmis, ac dictis Eſaiæ cõtexta eſſe, ut propoſitam inuentionem ſuam lucidius manifeſtaret Apoſtolus. Dicit enim Propheta. Non eſt iuſtus quisquã; ideſt, ne unus quidem iuſtus eſt. Per iuſtitiam hic non intelligit uirtutẽ moralem, quæ reddit unicuique, quod ſuum eſt; ſed innocentiam animi, quæ peccato opponitur; Neque quiſquam eorum eſt intelligens Deum; Quia, quamuis Deum ex his, quæ facta ſunt unum eſſe dominum rerum intellexerint, ex operibus tamen ſuis probauerunt non habere eum in notitia; neque etiam quisquam eorum fuit requirens Deum; quia, cum debuiſſent ad Deum confugere, & illius opem requirere, ad ſimulacra, et Idola confugerunt, eorum opem, et auxilium, nõ Dei, requirẽtes.* Pſal. 13.

OMNES DECLINAVERVNT, SIMVL INVTILES FACTI SVNT; NON EST QVI FACIAT BONVM; NON EST VSQVE AD VNVM.

P*roſequitur probando, quod propoſuerat dicens, quòd omnes declinauerunt à recto uiuendi tramite: Iudæi à lege, quam acceperant: Gentiles ab ipſa lege naturæ in cordibus eorum naturaliter inſita; & ſimul omnes inutiles facti ſunt; Quia ſic declinati à uera uiuendi norma facti ſunt inutiles, infructuoſi ſibi ipſis, & cæteris hominibus; Cum nullam utilitatem percipiant ex ſuis malis operibus; Nec mirum ſi finem ultimum non ſint aſſecuti, in quo requieſcere poſſent; quia*

ab initio in ipſa finis conſtitutione, uiarumq; delectu aberrauerunt: Et *propterea omnis eorum conatus inutilis factus eſt; et, ut omnes illos deliquiſſe apertius explicaret, inquit.* Non *eſt, qui faciat bonum etiam uſque ad unum.* Per *bonum intelligens opus bonum, quod quidem ui & natura ſua poſſet hominem perducere ad intentum finem; non autem hoc dixit propter bona opera moralia; quia poſſibile erat, quòd tunc quis poſſet aliquod bonum opus morale operari, tum ex* Iudæis, *tum etiam ex* Gentilibus; *ſed illud, qualecunque eſſet, opus inualidum erat, & omnino infructuoſum; quia nemo in eo ſtatu poterat facere opus ita gratum* Deo, *ut per illud expiationem peccatorum, & uitam æternam conſequi*
Eſa. 64. *mereretur;* Opera *enim noſtra omnia ante* Chriſtum *erant ſordida, & tanquã pannus menſtruatæ in conſpectu* Domini.

SEPVLCRVM PATENS EST GVTTVR EORVM; LINGVIS SVIS DOLOSE AGEBANT; VENENVM ASPIDVM SVB LABIIS EORVM.

D*eclarat ſingulatim quibus malis detineantur homines, de quibus ſupra meminit, dicens; quòd guttur eorum ad ingluuiem eſt, ueluti ſepulcrum patens; quod ut deuorat cadauera mortuorum; ſic & iſti inſatiabili quodam, & continuato appetitu gulæ incumbunt, pauperum bona deuorant, linguis ſuis doloſe agunt, blaſphemando, improperando, ſub labijs uenenum latens habendo, rixas, inimicitias, & diſcordias excitant.*

QVORVM OS MALEDICTIONE, ET AMARITVDINE PLENVM EST; VELOCES PEDES EORVM AD EFFVNDENDVM SANGVINEM.

I*ſtorum quoq;, quorum os repletum eſt maledictis, tum contra* Deum, *tum contra homines, ueloces ſunt greſſus, ideſt præſto ſunt pedes ad neces, ad bella, & ad tumultus excitandos.*

CONTRITIO, ET INFELICITAS IN VIIS EORVM, ET VIAM PACIS NON COGNOVERVNT.

I*n uijs iſtorum, quos ſupra diximus; ideſt in eorum curriculo uitæ contritio ineſt maxima, ideſt tribulatio, qua diſtracti ſunt in uarios, multiplicesq; dolores: ineſt*

& infe

& infelicitas, quæ omne genus calamitatum comprehendit; adeo, ut in omni curſu uitæ nullam omnino pacem, nullam tranquillitatem non modo, non habere, ſed ne quidem cognoſcere potuerint.

NON EST TIMOR DEI ANTE OCVLOS ILLORVM.

Ideo tales, quales ſupra citauimus, deuorant: ideo maledicunt: ideo ſanguinem effundunt; propter quod tribulantur, & infelices ſunt; quia timor Dei, unde initium habet ſapientia omnis non eſt ante oculos eorum; Quia ſi Deum ſuorum ſcelerum ultorem fore crederent, utique timerent illum, ne iuſtis eos ſupplicijs afficeret: Sunt nõnulli tamẽ, qui aſſerant uerba illa. SEPVLCRVM PATENS. Et reliqua uſq; ad hunc locũ conſequentia non inueniri apud Hebræos.

SCIMVS AVTEM, QVONIAM QVAECVNQVE LEX LOQVITVR, IIS, QVI IN LEGE SVNT LOQVITVR.

Quia potuiſſent Iudæi dicere, hæc quæ dixit Propheta, non debere intelligi de ſe ipſis, ſed de Gentilibus; oſtendit nunc, quòd de eis quoque intelligenda maxime ſint; Quia ea, quæ in lege, & Prophetis dicta ſunt, illis, qui in lege ſunt, maxime dicta eſſe eſt arbitrandum. Propterea concludit ex hac auctoritate, quòd de Iudæis præcipue Propheta locutus fuerit, quia illi legis præcepta non obſeruauerunt, quæ præcipui ſeruare debuiſſent.

VT OMNE OS OBSTRVATVR, ET SVBDITVS FIAT OMNIS MVNDVS DEO.

Reddit nunc rationem, quamobrem præter rationes, quas adduxerat, quòd omnes æque eſſent in peccato, ſubiunxerit auctoritatem Prophetæ; Ideo enim adduxit eam auctoritatem, ut primo omnium os obſtruatur, ideſt etiam Iudæorum os claudatur; dum non habent in ſe etiam Iudæi, per quod gloriari poſſint. Secundo, ut ſua crimina cognoſcentes ſubijciant ſe miſericordiæ, & gratiæ Dei; ueluti obnoxij, & rei, propriæ ſalutis curioſi, facere ſolent; & quemadmodum cæteræ omnes gentes, & nationes mundi facere debent: Neque ex lege, neque ex circunciſione, neque ex operibus legis gloriam aucupentur: nec ſe præſtare Gentibus, aut à peccato immunes eſſe putent.

QVIA EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO, CORAM ILLO.

I deo autem omne os obſtruſum eſſe debet, & clauſum; & ideo etiã omnis homo ſeſe, tanquam reum, Deo ſubijcere debet, ut iuſtificationem conſequatur; quia opera legis, quæ ſunt opera facta, tum in lege naturæ, tum ſcripta, non poterant ſatisfacere pro peccatis; & ita mundare hominem, ut in conſpectu Dei mundus appareret. Appellat autem opera legis circunciſionem, & ea ſacrificia, quæ fiebant in lege naturæ, aut ſcripta, quæ per cæremonias fiebant; Quæ etiã carnis opera ſunt appellata; propterea quòd non niſi diuerſorum animalium cædibus, & ſanguine celebrarentur; & ex illis corporalibus, & carnalibus cæremonijs, putabant, ſe expiationem ſuorum ſcelerum poſſe conſequi; Quæ quanquam coram hominibus poſſent facere homines uideri, qui ea facerent, iuſtos, propterea, quia legi ſatisfaciebant: non illi tamen coram Deo iuſti dici poterant, propter illa opera facta, & æſtimari: Sed quomodo ex operibus legis nemo iuſtificabitur coram Deo, cum ſupra dixerit; Factores legis iuſtificandos eſſe? Eſt itaque conſiderandum quædam opera legis eſſe, quæ ſunt promiſcua etiam legi naturæ, quæ & moralia, & naturalia appellantur: Hæc autem opera ſiquis feciſſet ante aduentum Chriſti, per gratiam deinde ipſius meritoria futura erant. Quædam uero opera legis ſunt, quæ cæremonialia, et iudicialia appellamus, ut circunciſio, immolationes, et ſacrificia; quæ quidẽ opera carnis ſunt dicta, quia in corpore, & carne fiebant; quæ quanquam legi, & hominibus ſatisfacerent, tamen Deo non ſatisfaciebant; quia non erant opera ſpiritus, aut animæ; ſed carnis, & corporis: & ob hoc dixit, quòd ex operibus legis, uel carnis non iuſtificabitur omnis homo. Dixit autem omnis caro, ut per omnem carnem intelligeremus omnes homines in carne uiuentes.

PER LEGEM ENIM COGNITIO PECCATI.

Quia igitur potuiſſent dicere Hebræi; Si neque per circunciſionem, neque per legem, neque per opera carnis, quæ ſunt cæremoniæ, & ſacrificia iuſtificationẽ conſequimur, quam igitur utilitatem nobis ipſa lex præſtare poterit? Propterea dicit Apoſtolus. Quòd, licet per legem, quæ omnia ſupradicta continet, peccati expiationem non conſequamur, affert tamen lex ipſa cognitionem peccati; Vnde etſi peccatum non tollat, peccati tamen qualitatem, & conditionem manifeſtat. Quòd autem peccatum non tollat, probat ſic; quia id, quod facit ad cognitionem peccati tantum, non poteſt iuſtificare; Lex autem fuit data, & ordinata

principaliter

principaliter, ut cognoſceremus peccata, & illa uitaremus: Non enim concupiſcentia, ut infra dicit, cognoſcebatur eſſe peccatum, niſi lex dixiſſet; Lex etiam data fuit ad hoc, ut cognoſceretur grauitas peccatorum: Propterea inſtituit cæremonias, ſacrificia, et aſperſiones ſanguinis tanta diligentia obſeruandas, ut his expiationibus multiplicia, & grauia peccatorum genera purgarentur, ut deinde adueniente tempore gratiæ, hi, qui legem obſeruauiſſent, iuſtificationem conſequerentur.

NVNC AVTEM SINE LEGE IVSTITIA DEI MANIFESTATA EST, TESTIFICATA À LEGE, ET PROPHETIS.

Si itaque tempore legis non fuit nobis oſtenſa noſtra Iuſtificatio, eò quòd illa lex erat tantum manifeſtatrix peccatorum; Eſt nè quidē aliud tempus, in quo hæc ipſa noſtra Iuſtificatio oſtendatur? Eſt quidem (inquit Apoſtolus) quia nunc, ideſt in hoc tempore, & in iſto ſtatu gratiæ, poſtquam uenit plenitudo temporis ſine lege, ideſt ſine operibus legis, iuſtitia Dei manifeſtata eſt, ideſt iuſta ſatisfactio illa, qua Deus uoluit Filium ſuum morte ſua pro nobis ſatisfacere: Ille enim moriendo pœna mortis ſuæ iuſte ſatisfecit pro peccatis noſtris, ex qua quidem iuſtitia Dei omnis noſtra iuſtificatio, qua iuſtificati ſumus, uirtutem habet. Dixit autem iuſtitia Dei, ad differentiam iuſtitiæ hominum, quæ in lege continebatur, quæ ſolum iuſtificabat homines in oculis eorum; quoniam qui feciſſet legem uiuebat in illa: ſed non iuſtificabat coram Deo; ſicut iuſtitia Dei, quæ quāuis ex operibus legis eſſe non poſſet, tamen à lege longis antea ſæculis fuit prædicta, & teſtificata. Propterea Dominus in Ioanne dicebat. Si Moyſi crederetis, forſitan & mihi crederetis: Ille enim ſcripſit de me; Et non modo à lege, ſed etiam à Prophetis longe antea fuit prænunciata. Ideo dicebat Petrus in Act. Ap. Huic omnes Prophetæ perhibent teſtimonium accipere per nomen eius remiſſionem peccatorum.

Ioan. 5.
Act. 10.

IVSTITIA AVTEM DEI PER FIDEM IESV CHRISTI IN OMNES, ET SVPER OMNES, QVI CREDVNT IN EVM; NON ENIM EST DISTINCTIO, OMNES ENIM PECCAVERVNT, ET EGENT GLORIA DEI.

Iuſtitiam autem hanc Dei, quæ à lege, & Prophetis longe antea ſæculis mani-

feſtata, & prædicta fuerat, nos fideles hòc tempore per fidem, & credulitatem, quam de Chriſto Ieſu Domino noſtro habemus, conſecuti ſumus, credentes non modo, quòd ipſe à Deo miſſus ſit; ſed etiam, quòd morte ſua pro noſtris peccatis ſatisfecerit. Hæc inquam fides eſt, quæ iuſtitiam illam Dei credit factã fuiſſe propter abſolutionem peccatorum noſtrorum, quia credentes in Chriſtum credunt etiam Deum Patrem uoluiſſe Filium ſuum, qui eſt Chriſtus, pati, ut iuſte pro peccatis noſtris ſatisfaceret, et inde iuſtificationem de ſuis peccatis omnes conſequerentur. Quam quidem iuſtitiã, ne aliquis particularem putaret, & uni nationi magis, aut populo, quàm alteri donatam fuiſſe; ſicut erat lex illa Moyſi; propterea dicit. IN OMNES. quia omnibus credentibus in Chriſtũ profutura eſt. Adiunxit quoq;. SVPER OMNES. quia non ſolum iuſtitia ipſius Dei omnibus nationibus, ac populis ualitura erat; uerumetiam ſingulis quibuſcunque hominibus æqualiter ſalutem erat allatura. Vere autem omnibus gentibus, & hominibus, ſiue Iudæis, ſiue Gentilibus, qui crediderint in Chriſtum, iuſtitia hæc eſt æqualiter profutura; quia in Chriſto Ieſu non eſt diſtinctus Gentilis à Iudæo: Vterq; enim æque indiget iuſtificatione Dei, propterea, quòd omnes peccauerunt; & omnes propter peccata ſua egent, & carent gloria Dei, ideſt felicitate perpetua, quæ non niſi iuſtis conceditur. Nonnulli tamen locum hunc aliter legunt; dicunt enim legendum eſſe; Vt egeamus gratia, et non gloria Dei; quia id neque cum græca lectione conuenit, neque rationi conſentaneum eſt; Qui enim peccauerunt magis uidentur egere gratia, quàm gloria Dei; quia prius datur homini gratia, quàm gloria: finis enim gratiæ gloria eſt.

IVSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIVS.

Cum oſtendiſſet iuſtitiam, quam fecit Deus per mortem Filij ſui, nos conſecutos eſſe per fidem, quam in Chriſtum habemus, &, ipſam eandem iuſtitiam profuturam eſſe omnibus credentibus in illum. Nunc manifeſtat, quonam modo hanc iuſtificationẽ ſimus conſecuti; perinde ac ſi diceret; Ne arbitremini uos iuſtos eſſe, aut bonis operibus naturæ, aut operibus legis ſcriptæ; Ita, quòd Iuſtificatio ipſa fuerit uobis conceſſa in præmium, & mercedem operum, & laborum ueſtrorum; quandoquidem gratis uobis conceſſa fuerit. Quæ enim opera noſtra, quæ merita poterant promereri, ut Deus ipſe humanam naturam ſumeret, ac turpiſſimam mortem pro nobis ſubiret? Nullum certe opus, nullumq; meritum noſtrum tanti eſſe potuit, ut per noſmet ipſos, aut per legem iuſtificari poſſemus. Mera fuit igitur gratia, qua redempti ſumus; de qua Ap. ad Titum dicit. Non ex operibus Iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundum magnam

Tit. 3.

gnam

gnam miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. Itaq; ſola fuit gratia Dei, ut abſq; meritis noſtris ullis iuſtificationem iſtam conſequeremur.

PER REDEMPTIONEM, QVAE EST IN CHRISTO IESV, QVEM PROPOSVIT DEVS PROPITIATOREM PER FIDEM IN SANGVINE IPSIVS.

Probat nunc quòd gratis fuerimus iuſtificati per gratiam ſuã dicens, quòd ideo gratis; quia ſine aliquibus meritis, et operibus noſtris, aut aliqua alia noſtra ſatisfactione; ſed ſola benignitate, & gratia Dei ſumus liberati; propterea quòd ſolus Deus per mortẽ Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti redimit nos. Dixit autem, in Chriſto Ieſu, ut hanc redemptionem non auro, & argento: Sed paſſione & morte Ieſu Chriſti factam eſſe putaremus. Propterea Petrus dixit. Non 1. Petr. 1.
corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis; ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati; Quem Chriſtum Deus Pater propoſuit, ideſt præ cæteris omnibus alijs elegit, ut eſſet poſitus propitiator, & placator ipſius; propter enim peccata noſtra indignatus erat nobis. Propoſuit itaque illum Deus, ut in ſanguine ſuo ſibi ipſi nos conciliaret, unde firmam, atque conſtantẽ fidem haberemus, quòd iſta propitiatio facta fuerit in ſanguine ipſius, quem effudit abunde in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Propterea Dominus dicebat. Hic calix ſanguinis mei no- Math. 26.
ui, & æterni teſtamenti, qui pro uobis, & pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorum. Vnde & in primo teſtamento omnis expiatio fiebat per ſanguinẽ; Lecto enim omni mandato legis à Moyſe, & uniuerſo populo, accipiens ſanguinem hircorum, et uitulorum cum aqua, & lana coccinea, et iſopo ipſum quoq; librum, et omnẽ populum aſperſit Moyſes dicens. Hic ſanguis teſtamenti, quod Exod. 24.
mandauit ad uos Deus; & deinde tabernaculum, & omnia uaſa illa ſanguine mundauit. Et ſic omnia penè ſecundum legem ſanguine mundabantur; Hæc autem omnia facta fuerant, ut præfiguraretur, aliquando nos omnes in ſanguine Chriſti mundandos, & purgandos eſſe. Solus itaque Filius Dei præ cæteris omnibus poſitus fuit à Deo propitiator ipſius pro nobis. Non enim cum peccatum infinitum eſſet, propter hoc, quòd Deus, qui offenſus fuerat, erat infinitus, ab aliqua creatura ipſi Deo ſatisfieri poterat, cum omnis finita eſſet. Neceſſe igitur erat quod aliquis infinitæ uirtutis morte ſua ſatisfaceret pro peccato infinito. Aſſumpſit igitur Filius Dei naturam humanam, & propter unionem factam in diuina perſona, quæ erat infinita, paſſio ipſius, quæ fuit in natura humana, fuit meriti, & uirtutis infinitæ: Et ideo ſolum Filium ſuum, quia

ipſe plene ſatisfacere poterat, Deus pro peccatis noſtris propitiatorem præ omnibus alijs, et conciliatorem poſuit: Nec abſque cauſa Apoſtolus dixit, Chriſtum poſitum eſſe propitiatorem à Deo; Hoc enim dixit, ut Iudæos ad memoriam re-
Exod. 25. uocaret eius propitiatorij; quod Deus mandauit fieri, ut eſſet operculum Arcæ factum ex auro mundiſſimo, ſuper quod Deus loquebatur Moyſi; quod quidem accommodate poteſt transferri ad Chriſtum: Is enim ſolus factus fuit ex carne puriſſima, protegitq; eccleſiam ſuam, per quem etiam Deus fidelibus ſuis locutus eſt. Sed aliquis poſſet occurrere dicens: Cur ſit, quòd homo propter hoc, quòd ſe à Deo, qui eſt infinitum bonum, auerterit, peccatum fecerit infinitum; et idē poſt peccatum, cum ſe conuerterit ad Deum (ut plures ſanctiſſimos homines feciſſe legimus ante Chriſti aduentum) non potuerit propter hanc conuerſionem expiare magnitudinem ſui peccati. Quænam igitur cauſa eſt, ut auerſio hominis à bono infinito faciat peccatum infinitum, & conuerſio ad idem bonum infinitum non expiet infinitatem illius peccati? Huic quæſtioni ſatisfieri ita poteſt; quòd diſſimilis fuit conditio hominum, qui poſt peccatum editi fuerunt; et Adæ, antequam peccauiſſet: Ille enim in gratia, ac beneuolentia Dei conditus auertit ſe à Deo: Homo poſt editum peccatum, quouſque Chriſtus ueniret, ſub inimicitia, & indignatione Dei uiuebat; & natura (ut dicit Apoſtolus) eramus filij iræ, et filij tenebrarum. Iccirco nemo ante Chriſtum quanquam innocentiſſimæ uitæ eſſet, poterat conuertendo ſe ad Deum magnitudinem infiniti peccati expiare: Chriſtus uero propter hoc, quòd eſſet ſuppoſitum infinitũ, quia erat Filius Dei, morte ſua et peccatum deleuit infinitum, et nos Deo conciliauit. Ratione igitur odij, atque inimicitiæ, quæ erat inter Deum, & hominem in ſtatu illo ueteris legis, et legis naturæ non potuit homo per conuerſionem ſuam ad bonum infinitum delere infinitatem ſceleris ſui, quod primus homo fecerat. Oportuit igitur hominem prius reconciliari Deo, deinde facere operationes gratas illi. Nunc ergo, quia ſumus in ſtatu gratiæ per mortem Filij eius Deo reconciliati, etſi maxime peccamus, per conuerſionem tamen noſtram ad Deum, magnitudinem, & infinitatem noſtrorum ſcelerum abolemus.

AD OSTENSIONEM IVSTITIAE SVAE PROPTER REMISSIONEM PRAECEDENTIVM DELICTORVM IN SVSTENTATIONE DEI AD OSTENSIONEM IVSTITIAE EIVS IN HOC TEMPORE.

Cum autem Deus poſuerit Chriſtum propitiatorem in ſanguine ipſius, nunc cau-

ſa m de

ſam declarat dicens; quòd ideo uoluit, ut redimeremur ſanguine, et morte Chriſti, ut oſtenderet ipſe iuſtitiam ſuam, quia ſi remiſiſſet nobis peccata ſine Chriſti morte, oſtendiſſet ſolum miſericordiam, et non iuſtitiam ſuam, quia nemo ſatisfeciſſet pro peccatis noſtris. Ad oſtendendam igitur iuſtitiam ſuam Deus fecit Chriſtum mori pro nobis, & in hoc iuſtus apparuit reſpectu Chriſti. Quia uero nullis noſtris meritis, & operibus, ſed gratis, & per gratiam Dei fructum ipſius iuſtitiæ conſecuti ſumus; propter hoc in nobis ſuam miſericordiam demonſtrauit; et hæc quidem iuſtitia Dei, quæ in morte Chriſti eluxit, facta fuit propter abolitionem peccatorum ſtatum gratiæ præcedentium, illorum hominum ſcilicet, qui in lege naturæ, et in lege ſcripta uixerunt: quia nullum aliud opus, nulla alia iuſtitia poterat, tum in lege naturæ, tum etiam ſcripta nos à peccatis mundare. In ſuſtentatione Dei, ideſt in remiſſionem eorum peccatorum, quæ Deus tolerare poterat: Non enim omnia peccata præcedentia per mortem Chriſti deleta fuerunt; ſed ea tantum, quæ Deus ſua bonitate poterat ſuſtinere, & tolerare; ut ea aliquando ſanguine Filij ſui poſſent expiari: Hoc ideo dixit, quia damnatorum ſcelera, & peccata non ſuſtinentur à Deo, neq; tolerantur, propter hoc; quia ſtatim damnati in pœnam æternæ damnationis incurrunt, quia iam iudicati ſunt; & non modo Deus poſuit Chriſtum propitiatorem ad oſtendendam iuſtitiam ſuam pro remiſſione præteritorum peccatorum, uerumetiã poſuit eundem propitiatorem ad oſtendendam iuſtitiam ſuam in hoc tẽpore, ideſt in ſtatu gratiæ, pro remiſſione peccatorum, quæ poſſunt fieri in hoc eodẽ ſtatu; eorum (inquam) peccatorum, quæ ſimiliter ab eodem ſuſtineri poſſunt, & tolerari. Ex his itaque perſpicue conſtat, quòd meritum ſanguinis Chriſti nõ ſolum uim habet ſaluandi nos, qui in hoc ſtatu gratiæ inuenimur, ſed etiam illos, qui ante nos recte uixerunt, tum in lege naturæ, tum etiam in lege ſcripta.

VT SIT IPSE IVSTVS, ET IVSTIFICANS EVM, QVI EST EX FIDE IESV CHRISTI.

Ideo Deus uoluit oſtendere iuſtitiam ſuam in ſanguine Filij ſui, ut non modo ille iuſtus uideretur ſeruando iuſtitiam ſuam, dum uoluit Chriſtum mori pro noſtris peccatis, uerumetiam, ut ex iſta iuſtitia ſua ſeruata iuſtificaret eos, qui crederent in Chriſtum: Deus enim præſtitit nobis, ſi crediderimus in eundẽ Chriſtum, ut fructum iuſtitiæ, & ſatisfactionis conſequeremur. Quare iuſtificatio noſtra non eſt ex lege, ſed ex iuſtitia Dei, quæ nobis communicata fuit per fidem Ieſu Chriſti in ſanguine illius, ſine qua impoſſibile eſt aliquem poſſe iuſtificari.

VBI EST ERGO GLORIATIO TVA? EXCLV-SA EST. PER QVAM LEGEM? FACTORVM? NON, SED PER LEGEM FIDEI.

Cum oſtendiſſet Apoſtolus iuſtificationẽ ſolum eſſe per fidem Chriſti, & non per legem ſcriptam, aut circunciſionem, concludit nunc dicens. ô Iudæe ubi eſt ergo tua gloriatio? ac ſi diceret; nihil tibi relinquitur, quo glorieris in lege; quia per legem non potes habere iuſtificationem: Inanis ergo eſt gloriatio tua; propterea ſubdit. EXCLVSA EST. Ideſt terminata eſt, & finẽ habuit gloriatio tua; Nam uti figura cedit figurato, cum illud aduenit: ſic lex tua, quæ figura erat legis gratiæ, ceſſit illi, cum ea aduenit: Propterea ſubdit; per quã legem excluſa eſt? ac ſi diceret. Quæ lex legem tuam terminauit? Eſt'ne hæc per legem factorum terminata? minime; ſed per legem fidei, quam fidẽ de Chriſto habemus; & per eius legem Euangelicam, cui credimus. Duplex igitur ex ijs, quæ dicta ſunt, lex eſt, una factorum, altera uero fidei; Lex factorum uetus eſt, & ſcripta; Vere factorum, quia in cæremonijs exterioribus, ac obſeruationibus lex ipſa conſiſtebat; Vt in immolatione animalium, obſeruatione dierum, purificatione exteriori corporum; & in his huiuſmodi tota ferè uerſari uidebatur; Lex uero fidei Chriſti eſt, quæ non in litera, non in cultu exteriori; ſed in ſpiritu, & ueritate, in qua adoramus patrem, conſiſtit. Vere enim lex Chriſti fidei appellatur, non factorũ, quia fides (ut ipſe Apoſtolus ad Hebræos inquit) eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentiũ. Heb. 11. Proprie igitur fides eorum eſt, quæ non uidentur, aliter fides non eſſet fides. Cum igitur omnia, quæ in ueteri lege mandata erant, ſenſibus ipſis ſubiecta eſſent, merito dicta eſt lex factorum; Chriſti uero lex, cum omnia quæ ſunt in illa, in ſpe conſtent, ideo lex fidei appellatur.

ARBITRAMVR ENIM IVSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM SINE OPERIBVS LEGIS.

Reddit nunc rationem, quare ſit excluſa, & terminata gloriatio Iudæorum dicens; Arbitramur, & pro certo iudicamus nos, qui credimus in Chriſtũ, quòd per ſolam fidem Chriſti, ſine operibus legis ſcriptæ, quiſque poſſit iuſtificari, ideſt iuſtus fieri, quod eſt omnibus uirtutibus excellere, ſpirituq; in Chriſto uiuere, & eius uitam imitari ſine operibus inquam legis, ueluti ſine circunciſione, cæremonijs, & cæteris in lege illa tantum obſeruari mandatis. Quæ ideo legis opera dicebantur, quia illi tantum populo, & non omnibus gentibus erant ad

obſeruandum inſtituta. Nec intelligit hic Ap. per opera legis opera moralia, quãetumcunque illa etiam in eadem lege contineantur; quia hæc non dicuntur proprie opera legis, ſed magis opera naturæ; quandoquidem à naturali lege excitemur ad eorum obſeruationem, & ante æditam legem ſcriptã ea homines ſeruare tenerentur. Quare quamuis iuſtificatio poſſit eſſe ſine operibus legis ſcriptæ, non tamen eſſe poteſt ſine operibus moralibus, & ſine ijs, quæ in lege gratiæ fieri præcipiuntur.

AN IVDAEORVM DEVS TANTVM? NONNE ET GENTIVM? IMMO ET GENTIVM, QVONIAM QVIDEM VNVS EST DEVS, QVI IVSTIFICAT CIRCVNCISIONEM EX FIDE, ET PRAEPVTIVM PER FIDEM.

Dixi Iudæe, quòd putamus hominẽ, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis fuerit, ex fide Chriſti, & non ex operibus legis iuſtificandum eſſe: Si enim opera legis hominem iuſtificarent, cum Gentilis hanc legem non habeat, dicendum eſſet, quòd non poſſet iuſtificari; & ſic Deus, qui uobis tantum dedit legem, Deus eſſet tantum Iudæorum, & non Gentilium. Quòd ſi hoc uos Iudæi arbitramini, plurimũ quidem aberratis, quia Deus non tantum Iudæorum, ſed et Gentiliũ Deus eſt; Quod ex hoc apparet, quia omnes una, eademq; cauſa, quæ eſt fides Ieſu Chriſti, æque iuſtificantur; Saluat enim Iudæũ, qui circuncifus dicitur, ex fide, ſcilicet Abrahæ, credendo id, quod ille credidit; & Gentilẽ, qui præputium propter eius incircuncisionem appellatur, per eandem fidem iuſtificat. Recte autem ex fide iuſtificatos dicit eſſe Iudæos, quia ex fide factæ promiſſionis in lege de Chriſto, in eum uenturum credentes iuſtificati ſunt; quæ quidem iuſtificatio figurata, & promiſſa illis quoque fuit ex fide Abrahæ. Per fidem quoque iuſtificatum eſt præputium, ideſt Gentilis; nam, cum prius non habuiſſent promiſſionem ullam de Chriſto in lege naturæ, recte non ex fide promiſſionis, ſed per ſolam Ieſu Chriſti fidẽ iuſtitiam conſequi meruerunt. Quid ergo prodeſt lex ipſa ſcripta? Quid circuncisio? aut quid obeſt præputium; Cum omnis iuſtificatio noſtra in omnibus ex ſola Ieſu Chriſti fide prouenire uideatur?

LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER FIDEM? ABSIT, SED LEGEM STATVIMVS.

Si igitur opera legis non poſſunt huminem iuſtificare, ſed ſola fides Chriſti, ut

ſupra demonſtratum eſt; uidetur ergo, quòd per fidem Chriſti legem deſtrudamus, quandoquidem ipſa neceſſaria non ſit, cum ſine illa arbitremur nos poſſe iuſtificari. Cui obiectioni reſpondens Ap. dicit; Nequaquam dicimus hoc eſſe uerum, immo magis per ea, quæ dicta ſunt, lex ipſa confirmari, & ſtabiliri uidetur; Quia dum dicimus, quòd per fidem Chriſti iuſtificatio noſtra futura ſit, quod tum à lege, tum à Prophetis prænunciatum fuerat, ex hoc illud ſtatuimus, & confirmamus. Nam confirmamus eam, quando, quod in ea prædictum fuit, iam iam ueniſſe teſtamur: Non enim legis Euangelicæ lator Chriſtus legem ſcri-
Math. 5. ptam deſtruxit, ſed illam potius adimpleuit, ut de ſe ipſo dicit. Non enim ueni ſoluere legem, ſed adimplere.

CAPVT. QVARTVM.

QVID ERGO DICEMVS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRVM SECVNDVM CARNEM?

Poſtquam oſtenderat Ap. quòd nec lex, nec opera carnis poſſent hominem iuſtificare, quia ſolus Deus eſt, qui per gratiã in fide Chriſti nos iuſtificat, dicit nunc. Si igitur ita eſt, ut tu aſſeris, quid dicemus de patre noſtro Abraham? Quid enim inuenit ille apud Deum ſecundum carnem, ideſt ex circunciſione, atq; alijs operibus carnis, quæ illum tanta religione, ac cultu legimus obſeruauiſſe; ſi iam, (ut dictum eſt) per eiuſmodi opera legis iuſtificationem conſequi non ualemus? Patrem autem Abrahã præ cæteris omnibus appellauit, quia illi primo dictum fuit,
Gen. 17. quòd futurus eſſet pater multarum gentium; quod etiam ipſa nominis ſignificatio importare uidetur.

SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBVS LEGIS IVSTIFICATVS EST, HABET GLORIAM, SED NON APVD DEVM.

Reſpondet nunc prædictæ interrogationi, quam fecit, ſcilicet quid inuenerit Abraham pater noſter ſecundum opera carnis, et probat, quòd nihil inuenerit apud Deum, ut propter hoc iuſtificaretur, dicens. Si Abraham per opera carnis, quæ ipſe fecit, iuſtificatus eſſet, non haberet gloriam apud Deum, ſed tantum apud

homines;

homines; Quia quantucunque feciſſet ea opera, quæ illi Dominus præceperat eſſe facienda, quemadmodum circunciſionē, et c. non propter hoc in conſpectu Dei iuſtificatus erat, quia per opera illa ſua, quanquam bona, non ſubigebat tamen carnem ſpiritui in Chriſto Ieſu, ita ut iuſtus appareret in conſpectu Dei: Sed iuſtificatus erat corā hominibus, cum ea opera feciſſet, quæ Dei præcepto conueniebant: & licet haberet, unde apud homines poſſet gloriari, non tamen habebat, unde poſſet gloriari apud Deum, cum nondum apud illum iuſtificatus eſſet, ut gloria Dei dignus eſſe iudicaretur.

QVID ENIM DICIT SCRIPTVRA? CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM.

Cum declarauerit, quòd Abraham nullam conſecutus ſit iuſtificationem corā Deo ex operibus carnis; nunc demonſtrat per quam cauſam fuerit iuſtificatus; et dicit, quòd cauſa ſuæ iuſtificationis fuit fides, & non fuerunt opera carnis; & ad hoc probandum utitur auctoritate ſcripturæ, quæ dicit, quòd Abraham credidit Deo, et reputatum eſt illi ad iuſtitiam; Gen. 15. *Credidit enim Deo promittenti multiplicationem ſeminis ſui: Nam eodem loco legimus de Abraham, quòd ad Deū dixerit. Mihi autem non dediſti ſemen, et ecce Vernaculus meus hæres meus erit: ſtatimq; ſermo domini factus eſt ad eum dicens. Non erit hic hæres tuus, ſed, qui egredietur de fœmore tuo, ipſum habebis hæredem. Vnde credidit, et fides illius reputata eſt illi ad iuſtitiam: hoc eſt ad omnē uirtutem, præcipue ad pietatem, & cultum Dei, propter quem iuſtus in conſpectu illius meruit appellari, credendo enim multiplicationem, quam ſibi promiſerat Deus, fuit iuſtificatus: Fides igitur fuit cauſa ſuæ iuſtificationis, et non opera, quæ Abraham exactiſſime ſemper iuxta Dei præcepta obſeruauit.*

EI, QVI OPERATVR, MERCES NON IMPVTATVR SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM.

Probat nunc, quòd Abraham non fuerit iuſtificatus ex operibus carnis, & utitur tali ratione; ei, qui operatur, ſcilicet opera carnis, ut circunciſionem, & alia ſacrificia, non imputatur, nec attribuitur præmium, aut retributio ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum; nā operanti, & laboranti ex debito merces debetur; at uero, quia quicquid per gratiam alicui conceditur, id gratis, et

ſine operibus ſuis datur. Cum igitur iuſtificatio, ut paulo ante dictum fuit, per gratiam Dei concedi ſoleat, igitur Abraham per opera ſua bona non potuit iuſtificari. Quare ſi Abraham pater ueſter ex operibus ſuis bonis, ſecundum carnem non fuit iuſtificatus coram Deo, multo igitur minus uos Iudæi ex operibus ueſtris ſecundum legem factis, iuſtificabimini.

EI VERO, QVI NON OPERATVR, CREDENTI AVTEM IN EVM, QVI IVSTIFICAT IMPIVM, REPVTATVR FIDES EIVS AD IVSTITIAM SECVNDVM PROPOSITVM GRATIAE DEI.

Si igitur Abraham non fuit iuſtificatus ex operibus carnis, unde igitur fuit iuſtificatus? dico quòd per fidem, et credulitatem ſuam iuſtificatus fuit; quia, ſicuti ille, qui operatur, non habet pro retributione gratiam, ſed meritum, debitum, atque mercedem; ita etiam, qui non operatur, & tamen crediderit in eum, ſcilicet Deum, qui habet poteſtatem iuſtificandi impium, fides ſua imputatur, & attribuitur illi, ad conſequendam iuſtitiam: Abrahã uero teſte ſcriptura (ut paulo ante dictum eſt) credidit; & habuit fidem in Deo: Igitur ex ipſa ſua fide, & non ex operibus ſuis carnalibus fuit iuſtificatus: Operans igitur non meretur niſi retributionem, et mercedem, quam in lege legimus Iudæis fuiſſe promiſſam: Credens uero meretur iuſtificationem; quare fides, & non opus carnis iuſtificat. Dixit autem, quòd ei, qui operatur, merces imputatur pro debito, quod ad Iudæos referendum eſſe cenſemus, qui in operibus legis ſcriptæ ſpem omnem ſitam habebant; quod dixit, ut ex illis nunquam ſperarent, ſe iuſtificationem adepturos: Dixit etiam ei, qui non operatur, credenti tamen in eum, qui iuſtificat impium propter Gentiles, qui cum opera legis non feciſſent, & tamen in Deum, qui iuſtificat, crediderint, meruerunt ab eodem iuſtificari; et hoc tamen dicit, concedi credentibus in illum, ſecundum tamen propoſitam gratiam, ideſt ſecundum gratiam, quam ab æterno Deus propoſuerat dare iis, qui credituri eſſent in illum, tanquam eorum iuſtificatorem. Hæc autem uerba, ſecundum propoſitum gratiæ Dei, ab aliquibus perhibentur non inueniri in uetuſtis exemplaribus.

SICVT ET DAVID DICIT BEATITVDINEM HOMINIS, CVI DEVS ACCEPTO FERT IVSTITIAM SINE OPERIBVS; BEATI, QVO-

rum

RVM REMISSAE SVNT INIQVITATES, ET QVORVM TECTA SVNT PECCATA; BEATVS VIR, CVI DOMINVS NON IMPVTAVIT PECCATVM.

Dixerat, quòd credenti in eum, qui iuſtificat impium, ſola illius fides eſſet reputata illi ad iuſtificationem ſine operibus carnis: Nunc illud, quod dixerat, probat auctoritate Dauidis: Ille enim dicit, quòd beatitudo, quæ eſt finis noſtræ iuſtificationis, ſine operibus à Deo conceditur, & primo proponit ſenſa uerborum ipſius dicens, quòd pro conſtanti Dauid aſſerit hominis beatitudinem dari ei, cui Deus accepto fert, ideſt gratam accipit iuſtitiam illius abſque operibus, quoniã fides illius ſecundum propoſitum gratiæ, & benignitatis Dei, illi imputatur ad iuſtificationem abſque operibus ſuis; et cum de operibus loquatur, exiſtimandum eſt, quòd intelligat de operibus cæremonialibus illius legis, in qua erat. Aliter autem dicendum arbitramur de ſtatu gratiæ, in quo opera noſtra, ut antea dictum fuit, neceſſaria ſunt ad ſalutem, quoniam in omnibus penè locis nouæ legis, beatitudo noſtra ponitur præmium bonorum operum, & obſeruationum mandatorum Dei: Omnes enim beatitudines illæ, quas Chriſtus docuit primum Apoſtolos, datæ ſunt in præmium ijs, qui facerent præcepta ſua, dum dicit toties: Beati pauperes ſpiritu, & Beati mites &c. Vnde in ſingulis beatitudinibus opera præexiguntur. Propterea nunc, ut explicaret Apoſtolus, quòd beatitudo homini daretur ſine operibus legis per ſolam uoluntatẽ, ſolumq; propoſitum gratiæ Dei, dicit, quòd ille uere beatus eſt, cui Deus propria miſericordia iniquitates ſuas remittit: remittendo enim condonat illi omnia ſcelerũ genera, quia nullum ſcelus eſt, quod iniquum non ſit; & non ſolum remittit, ſed etiam eadem ſua miſericordia uult peccata tegere, & occultare, ut ea non reuelentur, ſicut per Prophetam ad Dauid dicebat. Tu ſecreto feciſti, & ego cunctis manifeſtabo; & non modo remittit, et tegit pro miſericordia ſua, uerumetiam non imputat, & non adſcribit peccatori peccatum. Quare apparet, quòd beatitudo ipſa, quæ iuſtificationem conſequitur, à Deo condonetur, ei qui crediderit in eum, qui iuſtificare poteſt impium ſine operibus illius, qui iuſtificatur.

Pſal. 31. Math. 5. 2. Reg. 12.

BEATITVDO ERGO HAEC IN CIRCVNCISIONE TANTVM MANET, AN ETIAM IN PRAEPVTIO? DICIMVS ENIM QVIA REPVTATA EST FIDES ABRAHAE AD IVSTITIAM: QVO MODO ERGO REPVTATA EST? IN CIRCVN-

CISIONE, AN IN PRAEPVTIO? NON IN CIRCVNCISIONE, SED IN PRAEPVTIO.

Cum oſtendiſſet, quòd beatitudo, quæ eſt finis iuſtificationis, non eſt ex operibus ſeruatæ legis; nunc uero illud idem probat exemplo Abrahæ, & dicit interrogando; An beatitudo hæc, quæ remiſſionem, & tectionem, & non imputationem peccati conſequitur, ſit data homini per circunciſionem, ideſt quòd propter hoc Deus, quòd homo ſe circunciderit, peccatum illi remittat, tegat, et non imputet, an Deus talem beatitudinem iis etiam donet, qui ſe non circunciderint; In quo igitur ſtatu beatitudo hæc Abrahæ conceſſa fuit? an dum circunciſus eſſet, an dum in præputio reperiretur? Cui quæſtioni reſpondens dicit. Nos itaque per ſcripturas confitemur, quòd prius Abraham reputatus fuit iuſtus ex fide, quam ex operibus, quia ante omnem operationem ſecundum carnem, fides illius fuit illi reputata ad iuſtitiam. Nam prima operatio ſecundum carnem facta ab ipſo Abraham fuit obſeruatio legis circunciſionis, & tamen ante illam diem in præputio, ideſt dum incircunciſus exiſteret, dictum fuit illi: Credidit Deo Abrahã, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Igitur non opera carnis, quorum præcipuum fuit circunciſio, hominem iuſtificabant, ſed ſola fides.

Gen. 15.

ET SIGNVM ACCEPIT CIRCVNCISIONIS, SIGNACVLVM IVSTITIAE FIDEI, QVAE EST IN PRAEPVTIO, VT SIT PATER OMNIVM CREDENTIVM PER PRAEPVTIVM, VT REPVTETVR ET ILLIS AD IVSTITIAM, ET SIT PATER CIRCVNCISIONIS, NON IIS TANTVM, QVI SVNT EX CIRCVNCISIONE, SED ET IIS, QVI SECTANTVR VESTIGIA FIDEI, QVAE EST IN PRAEPVTIO PATRIS NOSTRI ABRAHAE.

Si igitur circunciſio nihil Abrahæ ad iuſtitiam conſequendam, ſed ſola fides profuit: poſſet aliquis quærere; Quid igitur contulit Abrahæ ipſa circunciſio? & quã ob cauſam ſe ipſum circuncidit? Cui quæſtioni reſpondendo dicit, quòd ideo ſe circuncidit, non quòd ipſe per illam aliquam iuſtificationem corã Deo ſuſceperit, ſed ideo hoc fecit, ut ſignum illud, & nota illa præciſionis, & circunciſionis illius acciperetur ab eo in ſignaculum, & monumentum quoddam iuſtitiæ illius, quam prius per fidem conſecutus erat in præputio exiſtens, ſcriptura

ſic teſt

ſic teſtante. Circunciſio autem eadem fuit ſignum, quia data fuit Abrahæ in ſignum fœderis inter Deum, & hominem: ut in Geneſi legimus, ubi Dominus dixit. Circuncidetis carnem præputij ueſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me, & Gen. 17.
uos. Eadem quoque fuit ſignaculum, quia fuit data in memoriam, & recordationem illius iuſtitiæ, quam Abraham adeptus erat. Sicut enim baptiſmus Ioānis non iuſtificabat, ſed erat ſignum futuræ iuſtificationis (Nam per gratiam Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, iuſtificamur) Ita circunciſio non iuſtificauit Abraham, ſed fuit ſignum futuræ iuſtificationis, quam aliquando adepturus erat. Accepit autem circunciſionem Abrahā, dum in præputio exiſteret, propter hoc, ut ipſe eſſet pater omnium eorum futurus, qui crediſſent per præputium, ideſt omnium eorum, qui in ſtatu præputij, & incircunciſionis fidem eſſent illius imitaturi; quia & ipſe in eodem ſtatu incircunciſionis credidit; ut quemadmodum fides, & credulitas Abrahæ in eo ſtatu reputata fuit illi ad iuſtitiam, ſic etiam & ipſis in eodem ſtatu exiſtentibus fides eorum ad ſuam iuſtificationem adſcriberetur. Ille quoque idem Abraham circunciſionem accepit, ut etiam eſſet pater eorum, qui deinde circunciſionem ſuſcepiſſent; non autem eorum ſolum, qui ſe tantum circuncidunt, & fidem illius non imitantur; ſed eorum etiam, qui circunciſi ſunt, & per impreſſa ueſtigia fidei progrediuntur, quam ipſe in præputio exiſtens conſecutus eſt; & ſic Abraham pater eſt utrique populo tam Gentili, quàm Iudæo, ſiue in præputio, ſiue in circunciſione exiſtenti, dummodo uterque eorum fidem ipſius fuerit imitatus. Eſt itaque Abraham pater per fidem, quia & ijs, qui credunt in præputio, & etiam ijs, qui in circunciſione credunt, pater eſt. Cum autem fides, per quam pater eſt, ſit communis utriq; populo, merito igitur hac ratione pater omnium credentium eſt appellatus; Signum autem circunciſionis præceptum fuit Abrahæ, in ea parte corporis imprimendum, ut, cum credidiſſet promiſſioni de progenie propaganda, in ea parte eſſet nota circunciſionis, per quam generatio fieri ſolet.

NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHAE, AVT SEMINI EIVS, VT ESSET HAERES MVNDI, SED PER IVSTITIAM FIDEI.

Oſtenſo, quòd Abraham per fidem pater eſſet tam Gentilium, quàm Iudæorum, quia fides communis erat utrique populo; Nunc illud idem probat ratione hæreditatis, & utitur diuiſione, ac ſi diceret. Aut enim Abraham, & ſemen eius hæreditatem mundi conſecuturum erat per legē circunciſionis, aut per promiſſionem; Sed non eſt dicendum, quòd per legem, quia nuſquam legitur in ſcri-

pturis ſanctis, quòd per legem circuncíſionis fuerit ſibi promiſſa hæreditas mundi: Igitur per promiſſionem, quã ex eo, quòd credidit, à domino conſequi meruit. Legimus enim in Geneſi, quòd poſtquam ille credidit Deo, & fides illius reputata fuit illi ad iuſtitiam, factæ ſunt illi promiſſiones à Domino, ut ſemini ipſius hæreditas mundi concederetur: Legem autem hanc diximus eſſe legẽ circuncíſionis, & non ſcriptam, quia illa nondum per Moyſem data erat; neque etiam dicimus legem hanc fuiſſe legem naturæ, quia in ea nulla erat præuaricatio; Vbi enim lex, ibi præuaricatio exiſtit (ut paulo poſt dicit) quia proprie præuaricari eſt transgredi: Transgredimur autẽ proprie, quando ea, quæ ſunt nobis mandata, & præcepta non obſeruamus; In lege autem naturæ nullum erat mandatum, aut præceptum, ſed homo ad opera moralia natura ipſa docente tenebatur, ut ſupra latius fuit explicatum. Dixit etiã Abrahæ, aut ſemini eius, quia promiſſio hæc non fuit completa in Abraham, aut in Iſaac, ſed in ſuo ſemine, qui eſt Chriſtus, quem Deus conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit & ſæcula: Non enim in ullo alio, præterquàm in Chriſto, omnes nationes terræ fuerunt benedictæ hæreditate perpetua, de quo ſemine Galatis, et Hebræis ſcribens multa copioſiſſime declarauit. Dixit autem Iuſtitiam fidei, ut oſtenderet differentiam inter hanc, & iuſtitiam legis, quia per hanc tantum, & non per illam legis, fuit facta Abrahæ promiſſio hæreditatis; quia hæc coram hominibus, Iuſtitia uero fidei coram Deo iuſtificare ſolet.

Gen. 15.

Gal. 3.

SI ENIM QVI EX LEGE HAEREDES SVNT, EXINANITA EST FIDES. ABOLITA EST PROMISSIO, LEX ENIM IRAM OPERATVR, VBI ENIM NON EST LEX, NEC PRAEVARICATIO.

Probat, quod propoſuerat, per legem ſcilicet non fuiſſe Abrahæ datam hæreditatẽ mundi, aut ſemini illius; Quia, ſi per legem circuncíſionis homines conſequerentur hæreditatem mundi, inanis, et ſine fructu fuiſſet fides Abrahæ, quia non per fidem, ſed aliunde, hoc eſt per obſeruantiam legis; conſecutus fuiſſet hæreditatem mundi: Irrita quoque, & uana fuiſſet promiſſio Dei, ſi per aliud, quàm per fidem eandem hæreditatem habere Abraham potuiſſet. Vt autẽ omnino oſtenderet per ſolam fidem, & non per legem habendam eſſe hæreditatem mundi, ratione demonſtrat, ac ſi diceret. Quod dat impedimentum ad hæreditatem conſequendam non præſtat hæreditatẽ: Lex autem cum iram pariat, præſtat impedimentum conſecutioni hæreditatis: Igitur ſi per legem facta fuiſſet

Abrahæ,

Abrahæ, aut ſemini illius promiſſio hæreditatis mundi, tum fides illius, tum etiam promiſſio Dei uanæ fuiſſent, quia per legem, & non per fidem hæreditatem mundi conſecutus eſſet. Quòd autem lex iram operetur, oſtendit dicens, quòd ubi nulla eſt lex, nulla etiam erit præuaricatio ipſius, & ſic ex contrario; ubi fuerit lex, ibi quoque neceſſe eſt eſſe præuaricationem: Præuaricatio autem legis iram, et indignationẽ Dei parit, propterea quòd transgreſſores ipſius à Deo meritis pœnis puniuntur: et ſic apparet, quòd hæreditas ipſa ex lege nõ cõcedatur.

IDEO EX FIDE, VT SECVNDVM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI, NON EI, QVI EX LEGE SOLVM, SED ET EI, QVI EX FIDE EST ABRAHAE.

Cum ſupra probauiſſet, quòd hæreditas promiſſa Abrahæ, & ſemini eius non erat ex lege, conſequenter reſtabat dicere, quòd ex fide eſſet. Igitur quare ex fide eſſet, etiã rationem adducit dicens, quòd ideo eſſet ex fide, ut ſecundum gratiam Dei, & non ſecundum debitum conſtans, & immobilis perſeueraret promiſſio illa facta Abrahæ, & omni ſemini ipſius, ideſt tam Gentili, quàm Iudæo. Quia non eis, qui ex lege tantum eſſent, prout erant Iudæi, qui legem habebant, & ex ſemine Abrahæ oriundi erant, facta fuit promiſſio hæreditatis; ſed etiam Gentilibus eadem facta fuit, qui quamuis ex lege non eſſent, neque ex ſemine Abrahæ, ipſius tamen fidem erant imitaturi; Vt ſicut ille per fidem meruit habere promiſſionem hæreditatis, ſic quicunque poſt eum fidem illius conſecutus fuerit, eandem quoque promiſſionẽ conſequi mereatur: Et hoc ſecundum gratiam Dei, quia ſi ſecundum legem eſſet, promiſſio hæreditatis ex debito, & non ex gratia eſſe uideretur. Et hoc modo non eſt exinanita fides, neque abolita promiſſio Dei; Quæ quidem fides cum ſit communis utrique populo, lex uero circunciſionis uni tantum populo ſit propria, optime dictum fuit, quòd promiſſio firma futura ſit omni ſemini, ideſt tam Gentili, quàm Iudæo habenti fidem Abrahæ.

QVI EST PATER OMNIVM NOSTRVM, SICVT SCRIPTVM EST, QVIA PATER MVLTARVM GENTIVM POSVI TE ANTE DEVM, CVI CREDIDISTI.

Dixerat, quòd promiſſio facta Abrahæ firma futura eſſet omni ſemini credenti,

& non uni tantum: Nunc quia potuiſſent dicere Iudæi; quomodo uis, ut Gentiles conſequantur hæreditatem, & benedictionem promiſſam Abrahæ, cum illi non ſint ex ſemine Abrahæ? huic obiectioni reſpondens Apoſtolus oſtendit, quòd Gentiles erant etiam in ſemine illius, quia Abraham pater illorum etiam dictus fuit teſte ſcriptura. In Geneſi enim ſcriptum eſt, quòd Deus dixit ei. Ego ſum,
Gen. 17. & ponam pactum meum tecum, erisq; pater multarum gentium, & non dixit unius gentis. Addidit autẽ Apoſtolus iſta uerba. POSVI TE ANTE DEVM, CVI CREDIDISTI: Quæ in litera eius loci ſcripta non ſunt, ut oſtenderet, quòd quamuis futurus eſſet pater multarum gentium, & eo tẽpore filium legittimum non haberet, erat tamen iam ante Deum, ideſt in conſpectu Dei pater multarum Gentium, etſi non adhuc eſſet in conſpectu hominum, quia omnes futuri filij Abrahæ in ipſa Dei æternitate preſentes ipſi Deo exiſtebant: Quòd enim eſſet futurus pater factum fuit uirtute Dei, quia naturalis uirtus generandi defecerat iam in illo. Dixit autem. CVI CREDIDISTI. Vt oſtenderet, munus hoc generandi, atq; habendi tã copioſam ſeminis multitudinẽ, fuiſſe illi à Deo datum propter ipſius fidem, et credulitatem.

QVI VIVIFICAT MORTVOS, ET VOCAT EA, QVAE NON SVNT, TANQVAM EA, QVAE SVNT.

Quia dixerat, quòd Abraham erat pater multarum gentium poſitus ante Deum; Nunc probat, quomodo ſit factus pater ante Deum, & dicit, quòd propter hoc erat factus pater ante Deum, quia Deus poteſt reddere uitam rebus mortuis, & extinctis: Virtus autem generandi in Abraham propter ipſius longæuam ætatem iam mortua erat; propter quod non poterat amplius eſſe pater in conſpectu hominum, ſed bene poterat eſſe pater ante conſpectũ Dei, quia Deus poterat in illo uirtutem generandi emortuam reſuſcitare. Dixerat deinde eundẽ poſitum eſſe multarum gentium patrem apud Deum; Sed quomodo Abraham, cum eo tempore neque filium legitimum (ut paulo ante diximus) haberet, neque gentes ullas ex ſe iam natas eſſe conſpiceret, multarum tamen gentium pater potuit appellari? Huic dubitationi reſpondens Apoſtolus dicit, quòd ideo contigit, quia Deus, quæ neque exiſtunt, neque nobis præſentia ſunt, uocat tamen ea, ac ſi exiſterent, & nobis præſentia eſſent. Quanquam igitur Abraham eo quidem tempore non eſſet pater multarum gentium, eum tamen patrem multarum gentium appellauit. Nec mirum hoc alicui uideri debet, quoniam futura omnia Deo præſentia ſunt, Cum æternitas Dei, qua ille res omnes præſentes habet,

habet, nullam habeat temporum uiciſſitudinem, atque ſucceſſionem.

QVI CONTRA SPEM IN SPEM CREDIDIT, VT FIERET PATER MVLTARVM GENTIVM, SECVNDVM QVOD DICTVM EST ILLI. SIC ERIT SEMEN TVVM, SICVT STELLAE COELI, ET ARENA MARIS.

Cum ſupra probaſſet, Abraham patrem eſſe poſitum à Deo multarum Gentium per fidem ſuam: Nunc declarat, quid ille crediderit, ſimulac oſtendit magnitudinem fidei ipſius, dicens, quòd tanta fuit fides Abrahæ, ut contra omnẽ ſpem naturæ, qua iam ſe pœnitus inualidum ad generãdum cognoſcebat, in ſpem diuinæ promiſſionis, ac ueritatis erectus ita crediderit Deo, ut ſe generaturum non dubitaret, & multarum gentium ſe futurum patrem firmiſſime exiſtimaret. Credidit autem tunc Deo, cum ille ipſi Abrahæ ſemen ſuum in multitudine ſtellas cœli, & arenam maris ſuperaturum pollicebatur. Sapienter quidem Deus ſemen Abrahæ, & ſtellis cœli, & arenæ maris comparauit, ut per comparationem ſtellarum, excellentiam, ac præſtantiam multorum ab eo gignendorum futuram in hac ſucceſſione declararet; & per arenam maris multitudinẽ prorſus innumerabilem ab eodem procreandam ſignificaret. Verum à quibuſdã hoc in loco dubitari ſolet, quia uidetur Apoſtolus, quòd nõ recte inferat Abraham futurum patrem multarum gentium per fidem, ex eo, quòd fuerit pater earum ſecundum carnem, quia dicunt, ex paternitate ſecundum carnem non debere inferri paternitatem ſecundum fidem, ut hoc loco Apoſtolus inferre uidetur. Cui dubitationi reſpondemus, quòd Apoſtolus hoc non intendit probare; Sed magis, quòd ex fide illius utraque paternitas ſit ſecuta; ex eo enim quòd credidit, meruit habere filium ſecundum carnem; & ex eo etiam, quòd credidit, meruit eſſe pater omnium credentium, eorum ſcilicet, qui eſſent eodẽ modo credituri per fidem, quo ille credidit, qui Filium Dei naſciturum credidit, et meruit per fidem credendo uidere in ſpiritu diem natiuitatis ſuæ, ſicut Veritas dicebat. Abraham uidit diem meum, & gauiſus eſt. Ioan. 8. *Quare ſecundum carnem fuit pater Iudæorum, ſecundum uero fidem fuit pater omnium credentium tam Iudæorum, quàm Gentilium.*

ET NON INFIRMATVS EST IN FIDE, NEC CONSIDERAVIT CORPVS SVVM IAM EMORTVVM, CVM FERÈ CENTVM ESSET ANNO-

RVM, ET EMORTVAM VVLVAM SARAE.

Adducit cauſam, quare Abraham in ſpem contra ſpem crediderit, laudando ſimul magnitudinem fidei ipſius. Cauſa igitur fuit, quia nunquam uacillauit in fide, ſed firmiſſime Deo credidit, promittenti ſibi filium, quanquã corpus ſuum factum eſſet, propter longæuam ætatem, ad generationem inualidum; quia non modo in illo, ſed etiam in Sara coniuge ſua ſpes omnis ſuſcipiendæ prolis extincta erat. Magnum enim miraculum fuit, ut, cum Abraham centum eſſet annorum, generare potuiſſet, præſertim, cum anni illi tales eſſent, quales nunc ſunt noſtri. Nam licet Arcades tribus, Aegyptij quatuor, & Latini ſex menſibus annos terminauerint; Alij autem hyeme, alij æſtate eoſdem concluſerint; Imperitius tamen aliqui unius menſis ambitu annũ finire uoluerunt; et propterea nongẽtos annos non amplius, quàm nonaginta eſſe uoluerunt; Quorum perridiculam
Gen. 5. opinionem facile ex libro Geneſis poſſumus refellere, tum ex generatione hominum, quia legimus de Seth filio Adæ, quando genuit Enos, quòd erat centum, & quinq; annorum; & propterea ſi centum menſes centum anni fuiſſent, ante undecimum annum generauiſſet. Canaam quoque eius filius genuit Malaleelem, cùm eſſet ſeptuaginta annorum, & ſic ſeptennis generare potuiſſet, quod ueriſimile eſſe non poteſt. Tum etiam hoc quoq; comprobari poteſt ex octauo cap.
Gen. 8. eiuſdem libri. Legimus enim quòd ſexenteſimo anno uitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptima & uigeſima die menſis, facta eſt aqua diluuij ſuper terram; & paulo infra ſic legitur. & ſedit Arca menſe ſeptimo, ſeptima & uigeſima die mẽſis, ſuper montes Arach; aqua autem minuebatur uſque ad decimum menſem: in decimo autem menſe, prima die menſis, apparuerunt cacumina montium. Quare ex his colligi poteſt, cum tales illi menſes fuerint, quales modo ſunt noſtri, neceſſe quoque eſſe, ut tales tunc annos fuiſſe dicamus, quales nunc eſſe uidemus. Vnde confitendum eſt, antiquos illos patres tam longos annos uixiſſe, quantos nunc nos eſſe experimur. Verum poſt diluuium hæc diuturnitas uiuendi ſic imminuta fuit, ut centum annis in hominibus uis generandi extingui uideretur. Propterea in Abraham quoq; uim iſtam iam mortuã fuiſſe credendum eſt. Itaq; non ſua, ac naturali, ſed Dei uirtute in tam prouecta ætate generauit. Vnde propter hoc, quòd Deo promittenti ſibi filium credidit, meruit ab eo, ut uirtus generandi mortua iam in eo ſuſcitaretur, & non ſolum ex Sara uxore ſua Iſaac filium ſuſciperet, ſed etiam ex Cetura filios procrearet.

IN REPROMISSIONE ETIAM DEI NON HAESITAVIT DIFFIDENTIA, SED CONFORTAtus eſt

TVS EST FIDE DANS GLORIAM DEO, PLENISSIME SCIENS, QVIA QVAECVNQVE PROMITTIT DEVS, POTENS EST, ET FACERE; IDEO ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM.

Commendat nunc perſeuerantiam fidei Abrahæ, quia non modo ille credidit Deo ſibi promittenti filium, & multiplicationem ſui ſeminis, longiſſimis ſæculis propagandam, ſed ſuſcepto iam filio denuo etiam credidit Deo promittenti ſibi, tum multitudinem innumerabilem ex ſemine ſuo naſcituram, tum etiam in eodé ſemine ſuo omnes gentes benedicendas eſſe, & ſemen ipſius poſſeſſurum portas inimicorum ſuorum. Quæ omnia credidit ita conſtanter, ut nunquam in promiſſione Dei dubitauerit deſperando, quin ea, quæ ſibi promiſerat Deus, aliquando eſſet ipſe conſecuturus. Quæ omnia quanquam uiuens uidere non potuiſſet, confortabatur tamen per fidem, & certam credulitatem ſe conſecuturum aliquando ea, quæ Deus in ſua repromiſſione ſibi pollicitus fuiſſet. Præcipuum uero ſignum ſuæ firmiſſimæ credulitatis fuit, quòd ſemper Deo gloriam reddiderit credendo, obediendo, ſacrificando; quia firmiſſime ſciebat propter infallibilem ſuam ueritatem, & uirtutem, atque potentiam Deum omnia factu rum, quæ ſibi promiſiſſet, propter cuius firmiſſimam fidem, ac conſtantiſſimam credulitatem, hoc, quod credidit, reputatum fuit illi ad iuſtitiá; Ita quòd propter magnitudinem, & firmitatem fidei ſuæ iuſtus meruerit appellari. Quá deinde perfectam, atque abſolutam iuſtificationem per Chriſtum, quem uenturum eſſe crediderat, pleniſſime erat conſecuturus. De fide etiam Abrahæ Philo doctiſſimus Hebræorum ſcripſit in lib. biblicarum antiquitatum. Dicit enim illum in caminum igne ardentem coniectum fuiſſe, eo quòd noluiſſet ſaxis inſculpere nomen ſuum in ædificatione Turris, ſicut & cæteri fecerant: Hunc enim honorem ſoli Deo putabat attribuédum. Propter igitur illius ſingularem fidé Deus caminum illum terræ motu aperuit, flammáq; late diſperſa multos ex illis, qui nomina ſua ſaxis inſculpſerant, combuſit, Abraham è camino ignis incolumi educto: Fide igitur non modo filium conſecutus eſt, ſed etiam incendia uicit, & uitam conſeruauit: Hanc autem fidem, firmitatemq; credendi Deo non modo Abraham, uerumetiam ueteres illi Philoſophi commendare ſoliti ſunt; Ná Pythagoras ſententiam illam Lini frequenter habebat in ore: Credere oportet omnia, quoniam nihil eſt incredibile: Omnia Deo facilia ſunt, & nihil impoſſibile Deo. Plato etiam in Phedro, ac legibus, hominem incredulum in diuinis deteſtatur.

Philo.

Pythagoras.

Plato.

NON EST AVTEM SCRIPTVM TANTVM PROPTER IPSVM, QVIA REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM; SED ET PROPTER NOS, QVIBVS REPVTABITVR CREDENTIBVS IN EVM, QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM A' MORTVIS.

Supra demonſtrauerat, quòd Abraham per fidem factus erat Pater omnium noſtrum, tam ſecundum carnem, quàm ſecundum fidem, quæ reputata fuit illi ad iuſtitiam; Nunc oſtendit, illud idem, quod ſcriptura de Abraham dicit, ſcilicet, quòd fides illius reputata fuerit illi ad iuſtitiam, de nobis quoque uerificari poſſe, quia illius filij ſumus, & hæredes, ſi ea tamen crediderimus, quæ ille credidit. Illum autem Deus exemplar, & ducem omnibus gentibus credituris conſtituit, ut ſi, quod ille credidit, nos quoque crederemus, ad illius ſimilitudinem nobis quoque pia fides ad Iuſtitiam reputaretur. Præcipuum autẽ, quod credidit, fuit illud, quòd in effœto corpore ſuo propter longæuam ætatem, poſſet Deus iterum uirtutem generandi mortuam iam, & extinctam ſuſcitare. Similiter quoque et nobis reputabitur ad iuſtitiam, ſi nos quoq; crediderimus Deum è mortuis ſuſcitauiſſe Ieſum Chriſtum dominum noſtrum; In hoc enim imitati erimus fidem Abrahæ, & ſic iuſtitiam fidei, ſicut ille conſecutus eſt, nos quoq; conſequemur. Ex hoc igitur apparet ſimilitudo fidei noſtræ, cum fide Abrahæ, quia tam ille, quàm nos credimus, Deum poſſe ea, quæ extincta ſunt, et mortua, denuo ſuſcitare. Dixit autem, quòd & nobis reputabitur ad Iuſtitiam, ſi crediderimus, Deum ſuſcitauiſſe Ieſum Chriſtum à mortuis, quia illud, quod præcipuum credidit Abraham, unde iuſtificationem eſt conſecutus, fuit hoc, quòd reſurrectionem emortuæ uirtutis generatiuæ crediderit: Ita etiam et illud, quod nos potiſſimum credere debemus, unde iuſtificationem ſumus conſecuturi, eſt hoc, quòd Chriſtus à mortuis reſurrexerit: Niſi enim hoc crediderimus inanis eſt fides noſtra, ut ipſe quoque Corinthijs ſcribebat. (1. Cor. 15.) *Nihil enim mors Chriſti nobis profuiſſet, niſi ille reſurrexiſſet, & niſi ſpem quoque nobis reſurgendi certiſſimam dediſſet.*

QVI TRADITVS EST PROPTER DELICTA NOSTRA, ET RESVRREXIT PROPTER IVSTIFICATIONEM NOSTRAM.

Cum dixiſſet, ſi crediderimus, Deum ſuſcitauiſſe Ieſum Chriſtum à mortuis, quòd

talis

talis fides reputabitur nobis ad iuſtitiam. Nunc poſſet aliquis quærere; Quamobrem Chriſtus mortuus ſit, & cur etiam idem mortuus reſurrexerit; cui quæſito reſpondet dicens. Ideo enim Chriſtus mortuus eſt, quia tum à Patre, tum à ſe ipſo datus eſt ad mortem pro expiatione peccatorum noſtrorum, ut ille morte, & ſanguine ſuo pro peccatis noſtris ſatisfaceret; qui deinde reſurrexit, ut fructum iuſtitiæ, & ſatisfactionis ſuæ pro nobis factæ conſequeremur, & iuſtificationem haberemus; Nam per mortem ipſius Iuſtitiæ Dei ſatisfactum eſt, quia ille pro nobis omnibus ſatisfecit morte ſua. Per reſurrectionem uero ſuam dedit nobis ſpem noſtræ futuræ reſurrectionis. Si enim non reſurgeremus, nullo modo fructus noſtræ iuſtificationis conſequi poſſemus. Quare perſpicuum eſt, quòd omnis noſtra Iuſtificatio non ex lege circuncisionis, non ex Abraham, neque ab aliquo alio, ſed ab uno ſolo Ieſu Chriſto facta fuit, qui ſolus mortuus eſt ad delendas iniquitates noſtras, & etiam primus non amplius moriturus reſurrexit, ut ex ſua reſurrectione noſtram quoque reſurrectionem futuram ſperaremus, & crederemus, ex illa fructus noſtræ iuſtificationis nos conſequi poſſe. Tunc enim uere iuſtificati apparebimus, cum ſuſcitatis corporibus noſtris ſimiles Chriſto effecti immortalitatem adipiſcemur.

CAPVT. QVINTVM.

IVSTIFICATI ERGO EX FIDE PACEM HABEAMVS AD DEVM PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, PER QVEM HABEMVS ACCESSVM PER FIDEM IN GRATIAM ISTAM, IN QVA STAMVS, ET GLORIAMVR IN SPE GLORIAE FILIORVM DEI

Poſtquam Apoſtolus demonſtrauit rationibus, & auctoritatibus, quòd neque circunciſione, neque etiam operibus legis, ſed ſola fide iuſtificamur, quod quidem commune eſt tum Gentili, tum Iudæo. Nunc ſedata ſuper has contentiones diſſenſione, quæ ſcribendi Apoſtolo occaſio fuit, ad pacem eos hortatur dicens. Si itaque ſic eſt, ut nos omnes iuſtificati ſimus per fidem, quam habemus de Chriſto, propterea quòd ipſe morte ſua expiauerit delicta noſtra, & reſurrexerit,

ut fructus noſtræ iuſtificationis inde adipiſceremur. Habeamus igitur pacē, & nulla inter nos ſit diſcordia, quando omnibus nobis una, atq; æqua ratio ſit conſequendæ ſalutis; quando omnes in fide, omnes in gratia, & iuſtificatione conſequenda pares inueniamur. Pacem igitur habeamus ad Deum, quia ante iſtam fidem eramus inimici Deo, quia filij non pacis, ſed iræ fuimus. Sed ille per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ueluti per mediatorem Dei, & hominū conciliatus eſt nobis. Ipſe enim eſt pax noſtra, ut Apoſtolus Epheſijs ſcripſit, & idē auctor gratiæ, & noſtræ iuſtificationis extitit; Per quem etiā eundem habemus apertum aditum per fidem, credendo in gratiam iſtam iuſtificationis, quia diuina gratia nobis donatum fuit, ut fides noſtra nobis imputetur ad noſtrā iuſtificationem, in qua gratia ſtamus ſtabiles, & firmi, ita quòd de noſtra ſalute nullo modo hæſitamus, aut formidamus: immo gloriamur in ſpe non filiorum carnis, ut Iudæi faciebant, qui iactabant, ſe eſſe filios Abrahæ; ſed magis gloriamur in ſpe filiorum Dei. Nulla enim maior gloria eſt, quàm, ut, ex filijs carnis, facti ſimus Filij Dei. Recte autē dixit. GLORIAMVR IN SPE GLORIAE FILIORVM DEI. Et non dixit in ſpe gloriæ Dei, quoniam iſta gloria infinita eſt, & nulli creaturæ communicabilis; Illa autem altera noſtra eſt, in qua noſtram felicitatem conſiſtere arbitramur.

Eph. 2.

NON SOLVM AVTEM, SED ET GLORIAMVR IN TRIBVLATIONIBVS SCIENTES, QVÒD TRIBVLATIO PATIENTIAM OPERATVR, PATIENTIA AVTEM PROBATIONEM, PROBATIO VERO SPEM, SPES AVTEM NON CONFVNDIT, QVIA CHARITAS DEI DIFFVSA EST IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST NOBIS.

Cum gloriemur per ſpem ex fide ortam in gloria filiorum Dei, per eandē quoque ſpem ab eadem fide productam gloriamur, & lætamur in tribulationibus huius gratia ſuſceptis. Magnum enim argumentum fidei noſtræ eſt, in tribulationibus non modo non dolere, non animo deijci, ſed magis gloriari, & exultare. Dum enim præſentes calamitates patienter toleramus, per fidem credimus maiorem felicitatē nos aliquando conſecuturos. Qua fide, et ſpe adducti Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij, gloriantes in hoc, quòd digni habiti eſſent pro Chriſti nomine contumeliam pati. Gloriamur itaque in tribulationibus non opinantes quidem, aut more mortalium ſuſpicantes, ſed certo ſcientes, quòd

Act. 5.

quòd tribulationes ſunt in cauſa, ut patientes efficiamur (niſi enim tribulationibus affligeremur, patientia in nobis non demonſtraretur) Ex ipſa quoq; patientia probamur: quoniam, qui patienti, ac forti animo tribulationes huius mundi ſuſtinet, in fide probatus eſt. Cum autem fidelis in tribulationibus, ac tolerantia ipſarum probatus fuerit, in eo certa quædam naſcitur ſpes conſequendæ felicitatis. Quemadmodum in fortiſſimo milite, deuictis hoſtibus, ex laboribus, atq; difficultatibus ſuperatis, certa oritur ſpes conſequendi triumphũ. Et ob hanc cauſam Paulus Timotheo ſcribebat. Bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, opus conſumaui, in reliquo repoſita mihi eſt corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex: Quæ ſpes, quia non eſt uana, non incerta, nõ fallax, propter hoc non confundit, non pudefacit, & non decipit, ut inde unquam contingat ſperantem aliquo rubore, aut ignominia ulla torqueri, aut pœnitentia affici, quòd ſperauerit. Iccirco Propheta dicebat. In te domine ſperaui, non confundar in æternum. Quia illa maxima Dei charitas, qua Filium ſuum mori pro peccatis noſtris uoluit, diſſeminata, atque inſerta eſt in cordibus, atq; pectoribus noſtris. Quis enim eſt, qui certe non ſperet, ſe gloriam conſecuturum cœleſtem, quando iam ſecurus ſit de iſta maxima Dei charitate? Hæc autẽ diſſeminatio, atque inſitio facta eſt per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis in baptiſmate. Ille enim certos nos facit, qua magna charitate nos dilexerit Deus, qui proprio Filio ſuo non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illũ. Spes autem iſta nullam aliam ob cauſam perſeuerat, fortiterq; conſiſtit, niſi quia alitur, uegetaturq; amore diuino, quo ſanè amore illius, qui ſperat, mens eſt inflãmata. Quapropter præclare Dionyſius Areopagita, auctore Hierotheo, amorem diuinum quendam motum circularem ſignificare arbitrabatur, ab ipſa bonitate diuina manantem, inq; animum noſtrum inſtillantem, atque hinc in eandem diuinam bonitatem, ut in fontem, ex quo fluxerat, retrolabentem. Nam motus animi noſtri ad infinitam illam Dei bonitatem tendens, cũ nequeat ab exigua animi noſtri uirtute proficiſci, ab ipſo eodem infinito bono alacritatem quandã ſortitur, ut finis tandem cum ſuo principio coniungatur. Quare ſi charitas noſtra, qua Deum amamus, ab ipſa Dei erga nos charitate procedit, conſentaneũ eſt, ut reliquæ uirtutes, quæ charitati neceſſariæ ſunt, ut ſpes, & fides ab eadem Dei charitate profundantur. Quòd enim charitas noſtra à Dei charitate procedat, ex ea re potiſſimum confirmari poteſt, quia omnia quæ in terris ſunt mortalia, rebus diuinis aduerſantur, animumq; noſtrum incitant ad appetendas terrenas uoluptates, ut non poſſit anima uoluptatibus mortalibus immerſa ad diuinas res ſe ipſam erigere, niſi à diuina bonitate ſubleuetur. Itaque Apoſtolus præclare dixit, charitatem in cordibus noſtris diffuſam eſſe, ueluti diceret, ex

2. Tim. 4.

Pſal. 30.

Diony. Areo. Hierotheus.

charitate diuina, quaſi ex igne. Charitas in nobis, quaſi flamma ex igne ſcintillante accenditur, quæ quidem dicitur per Spiritum ſanctum nobis communicari, ut eo afflante quaſi quidam amatorius ignis in nobis inflammetur. Hãc igitur ſpei firmitatem, & charitas Dei nobis per Spiritum ſanctum data, qua in eum accendimur, & mors ipſius Chriſti alere, & nutrire uidentur. Spiritus igitur ſanctus datus eſt nobis, qui eſt amor Patris, & Filij, quia ad illius amoris participationem adducimur, qua quidem participatione amatores Dei facti ſumus. Hæc igitur charitas in nobis eſt per Spiritum ſanctum diffuſa, quia hinc uniuerſum flumen omnium donorum Spiritus ſancti ſe profundit. Ex his itaq; perſpicuum eſt, ſpem eiuſmodi noſtram falli non poſſe, nã quia Deus nos amat, quia Filium ſuum nobis dedit, ſe ipſum non negabit; & quia nos illum diligimus, ſperare poſſumus eum nobis felicitatem perpetuam conceſſurum, & ſic ſpes noſtra nos non pudefaciet.

VT QVID ENIM CHRISTVS, CVM ADHVC INFIRMI ESSEMVS SECVNDVM TEMPVS, PRO IMPIIS MORTVVS EST? VIX ENIM PRO IVSTO QVIS MORITVR? NAM PRO BONO FORSITAN QVIS AVDEAT MORI?

Vere charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, Vt quid enim ideſt, propter quid aliud Chriſtus mori uoluit pro nobis, ſecundum tempus à Deo deſtinatum, quod deinde à Prophetis multis oraculis fuit pronunciatum, niſi, ut oſtenderet nobis illam ſuam infinitam charitatem? Cum adhuc nos infirmi, et egentes medico eſſemus, quia in ſtatu, & tempore legis poſiti eramus, quæ infirma erat, ut ipſe paulo poſt dicet; quòd impoſſibile erat legi, quæ infirmabatur per carnem, quia concupiſcentia carnis trahebat hominem ad peccatum, à quo illum lex liberare non poterat, propter hoc, quòd illa gratiam non conferebat: mori itaque uoluit Chriſtus pro impijs, & ſceleratis, non quidem ob aliam cauſam, quàm ut ſuam immenſam, & ineffabilem charitatem (ut ſupra diximus) nobis demonſtraret. Quæ enim ulla maior charitas aut dici, aut excogitari poteſt, quàm pro impijs, & ſceleratis morti ſe exponere. Rarus enim aut nullus unquam inuenitur, qui moriatur pro iuſto, ideſt pro homine innocenti, qui nemini noceat, aut nocuerit. Nam forſitan poteſt inueniri aliquis, qui miſericordia motus pro bono, hoc eſt, pro uiro liberali, auderet eligere ſibi mortem. Id enim bonitatis proprium eſſe cenſetur, ut ſua alijs communicet. Sed tamen nunquam aliquis inuentus fuit, qui pro impijs, & ſceleratis morti ſe expoſuerit. At quamuis

nullus

nullus unquam talis fuerit, unius tamen huiuſmodi inuentus fuit Ieſus Chriſtus. Tanta enim fuit charitas illius, ut non pro iuſtis, ac innocentibus, et bonis; Sed pro impijs, ac ſceleratis mori uoluerit: Pro impijs quidem, et ſceleratis mortuus eſt Chriſtus, quia ad delenda eorum peccata mortuus eſt; Vnde proprie impij dicuntur peccatores, quòd ſine pietate ſint, quæ quidem eſt cultus Dei. Quare cum nullam maiorem charitatem Deus nobis oſtendere potuerit, quàm quòd Chriſtus pro nobis ſceleratis, & impijs mori uoluerit, merito ipſius amor, & charitas diffuſa eſt, & in cordibus noſtris inſerta.

COMMENDAT AVTEM CHARITATEM SVAM DEVS IN NOBIS, QVONIAM SI CVM ADHVC PECCATORES ESSEMVS, SECVNDVM TEMPVS CHRISTVS PRO NOBIS MORTVVS EST.

Si mori pro impijs eſt maximæ charitatis indicium, uere maxima commendatione, & omni laude dignam Deus demonſtrauit ſuam charitatem in nobis, quia non propter opera noſtra, & uirtutes noſtras Chriſtus pati uoluit. Nam dum adhuc in ſtatu illo eſſemus, in quo nulla erat iuſtificatio, & peccatis inuoluebamur, ſecundum quod tempus illud inimicitiæ, & iræ poſtulabat, uel ſecundum tempus præfinitum à patre, Chriſtus non pro iuſtis, & innocentibus, ſed pro nobis impijs, ac ſceleratis mori uoluit. Quare charitas Dei omnem amorem alium ſuperauit, & ideo ſpes non confundet nos, quando charitas iſta Dei in cordibus noſtris fixa manet.

MVLTO IGITVR MAGIS NVNC IVSTIFICATI IN SANGVINE IPSIVS SALVI ERIMVS AB IRA PER IPSVM. SI ENIM, CVM INIMICI ESSEMVS, RECONCILIATI SVMVS DEO PER MORTEM FILII EIVS, MVLTO MAGIS RECONCILIATI SALVI ERIMVS AB IRA PER IPSVM.

Si ſic igitur eſt, quòd cum impij eſſemus, & peccatores iuſtificauerit nos Chriſtus, ſua morte liberando nos à peccato, non'ne nunc, ideſt in iſto ſtatu gratiæ multo magis nos iuſtificatos ſaluabit ab omni ira, & indignatione æternæ damnationis, quod probat dicens? Si enim in ſtatu inimicitiæ, ideſt quando ſub

peccato fuimus (Nam totum tempus illud, quod interceſſit inter peccatum Adæ, & mortem Chriſti, appellatum fuit tempus inimicitiæ) Chriſtus morte ſua reconciliauit nos Deo patri ſuo, non'ne multo magis in ſtatu amicitiæ, & gratiæ ſaluabimur ab illo in uita ipſius, ideſt poſt ſuam reſurrectionem? Et quoniam hic Apoſtolus de reconciliatione meminiſſe uiſus eſt, alio fortaſſis modo locus iſte exponi poſſe uidetur, ut dicatur ſic. Si peccatores iuſtificati fuimus ab illo per ſanguinem ſuum in ſtatu peccati, non'ne magis ſalui erimus, ſi peccauerimus poſt redemptionem, modo nos pœniteat peccatorum noſtrorum: Quoniam ſi in ſtatu inimicitiæ potuimus conſequi reconciliationem per mortem ipſius, multo magis in uita illius, ideſt poſt reſurrectionem ipſius reconciliabimur Deo, ſi tamen peccata noſtra defleuerimus; quod erit eius charitatem in nobis abundantius demonſtrare.

NON SOLVM AVTEM, SED ET GLORIAMVR IN DEO PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, PER QVEM NVNC RECONCILIATIONEM ACCEPIMVS.

Cum dixiſſet, quòd non modo in ſpe gloriæ filiorum Dei, ſed etiam gloriandum nobis eſſet in tribulationibus, quia ex illis oritur in nobis quædam certa ſpes conſequendæ felicitatis, propter illam maximam Dei charitatem diffuſam in cordibus noſtris. Nunc autem dicit, quòd non ſolum in his ſupradictis tantum, ſed etiã gloriandum nobis eſt in Deo per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum; & ideo dicit. Non enim ſolum ſpes facit nos gloriari de tribulationibus, ac de conſequẽda gloria filiorum Dei, ſed etiam facit nos gloriari in Deo de Domino noſtro Ieſu Chriſto, quem nunc, ideſt hoc tempore, & ſtatu gratiæ reconciliatorem, & auctorem noſtræ ſalutis accepimus, ut copioſe ſuperius demonſtrauit; et hæc gloria cæteris rebus omnibus, quas ſupra memorauimus, antecellit. Nã, ſi gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, quanto magis nobis gloriandum eſt in Filio Dei, per quem omnem gloriam noſtram conſecuturi ſumus; &, ſi gloriamur in tribulationibus noſtris, quibus affligimur, et excruciamur, non'ne multo magis nobis gloriandum eſt in illo, qui omnium tribulationum genera ſuſtinuit, quibus non modo nobis ſempiternam gloriam, atque felicitatem comparauit, ſed etiam omnibus eum ſecuturis exemplum tolerandarum tribulationum imitandum propoſuit.

PROPTEREA SICVT PER VNVM HOMINEM

In hunc

IN HVNC MVNDVM PECCATVM INTRAVIT, ET PER PECCATVM MORS, ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT, IN QVO OMNES PECCAVERVNT.

Cum dixiſſet, quòd per Chriſtum ſumus Deo reconciliati, nunc oſtendit propter quam cauſam egebamus reconciliatione, & etiam quomodo per Chriſtum reconciliati fuimus, dicens. Propterea, ideſt iccirco, & propter iſtam cauſam egebamus reconciliatione, quia ſicut per unum hominem, Adam, non obedientem Deo, primo peccatum intrauit in mundum, & per illud peccatum mors deinde, tanquam pœna ipſius, ſecuta eſt, quæ mors in nos omnes, qui ab illo per originationem carnis deſcendimus, ſerpere cœpit. Et quemadmodum ille pro peccato, quod fecit, mortuus fuit, Ita quoque nos omnes, qui ex illius ſtirpe nati ſumus propter hoc, quòd in ipſo peccante peccauimus, moriamur. Aliter tamen ille, aliter nos peccauimus in illo: Peccauit quidem ille per inobedientiã, quia interdictæ arboris fructum manducauit, propter quod transgreſſor factus fuit diuini mandati, & ſic propter hanc transgreſſionem mortis pœna mulctatus eſt. Nos uero in illo peccauimus, quia ipſius pœnæ, quam ille inobediendo contraxit, participes facti ſumus, nam munere illo immortalitatis, quo donatus erat Adam, nos quoque priuati fuimus, & una cum illo inimici Deo facti extitimus. Peccauimus igitur nos in illo, quia nos peccati ipſius pœna affecti ſumus (niſi enim ille peccauiſſet, neque ille, neque nos mortui eſſemus) Immortalitas autem illa naturalis non erat, quia Adam, ſicuti cæteri homines, ex quatuor elementis formatus fuit. Omne autem compoſitum ex elementis propter eorum qualitates contrarias naturaliter corruptibile exiſtit. Quamobrem homo naturaliter corruptibilis in eo ſtatu fuiſſet, niſi per gratiam, & donum Dei immortalitatem habuiſſet. Immortalitas igitur illa fuit ipſi per gratiam, & non per naturam conceſſa, ut tamdiu homo immortalitate uigeret, quãdiu Deo obediret. Cum igitur Deus homini mortem comminatus eſſet, cum dixit. In quacunque die comederis de ligno hoc, morte morieris. Putandum eſt, quòd homo iam per gratiam Dei immortalitatem illam conſecutus fuiſſet, quam per naturam non habebat. Non enim ſibi comminatus Deus fuiſſet, illum ſe immortalitate priuaturum, niſi iam homini per gratiam ſuam immortalitatis munus conceſſiſſet: Priuatio enim eſt carentia illius rei, quam antea poſſidebamus. Hanc autem immortalitatem à Deo ſuſceperat, ut illam cum natura humana, ſi in obedientia permanſiſſet, cæteris ab eo per originem naſcituris communicaret. Quãdiu enim ille, & poſteri ipſius in fide obedientiæ ſtabiles permanſiſſent, tamdiu ille,

Gen. 2.

& poſteri ipſius immortales extitiſſent. Quemadmodum enim Principes, ac reges oppidum, aut urbem alicui, & poſteris ipſius poſſidendam donant, ut tamdiu ipſe, poſteriq; ipſius eam poſſideant, quãdiu Principi aut regi fideles permãſerint. Quòd ſi pater illorum infidelis fieret, non modo Princeps, aut Rex ille ipſum eorum patrem, ſed etiam omnes ab eo naſcituros ciuitate ſpoliaret: Atque ita peccato parentis cæteri omnes ab eo naſcituri imperio ciuitatis priuarentur. Hoc itaque modo Adæ fuit conceſſa per gratiam immortalitas, ut ipſe, & ab eo naſcituri (ſi tamen tam ipſe, quàm illi fideles Deo perſtitiſſent, eiuſque præcepta ſeruauiſſent) immortalitate fruerentur. At ubi ille interdictæ arboris fructum manducauit, obedientiamq; contempſit, & fidem uiolauit, immortalitatem non modo ipſe, ſed etiam nos omnes poſteri ſui cũ illo amiſimus: Factumq; fuit, ut Adam in pœnam peccati moreretur, qui per gratiam erat, ſi nõ peccaſſet, futurus immortalis. Mors igitur in pœnam homini data fuit, quia immortalitas data fuit illi per gratiam, ipſaq; deinde naturalis & illi, & poſteris ſuis facta fuit. Quia omnes homines ex quatuor elementis compoſiti naturaliter ſunt corruptibiles, & mortales. Itaque ut in patrefamilias rebellante Regi omnes illius filij rebellionis pœna mulctantur: Sic nos omnes in uno Adam peccante peccauimus, quia pari pœna cum illo affecti ſumus. Dixit etiam in quo homine omnes homines peccauerunt, & non in qua muliere; quia ſi tãtum Eua peccauiſſet, & non Adam, mortui non eſſemus; tum quia uirtus generandi actiua nõn eſt in muliere, ſed in uiro tantum, tum etiam quia præceptũ Dei de non manducando fructum arboris uetitæ cum mortis comminatione fuit datum Adæ, & non Euæ. Antequam enim mulier formata fuiſſet, legimus, Deũ Adæ dixiſſe. In quacunq; die comederis de ligno hoc, morte morieris.

Gen. 2.

VSQVE AD LEGEM ENIM ERAT PECCATVM IN MVNDO, PECCATVM AVTEM NON IMPVTABATVR, CVM LEX NON ESSET. SED REGNAVIT MORS AB ADAM, VSQVE AD MOYSEN, ETIAM IN EOS, QVI NON PECCAVERVNT IN SIMILITVDINEM PRAEVARICATIONIS ADAE, QVI EST FORMA FVTVRI.

Quia dixerat omnes homines in Adam peccauiſſe, nunc autem probat hoc dicens, Quòd ideo nos omnes peccauimus in Adam, quia, uſque ad tempus legis datæ per Moyſen, peccatum illud inobedientiæ, in quo Adam peccauerat, regnabat in

omnibus;

omnibus (ut paulo poſt dicet, quòd per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi.) Quòd ſi aliquis diceret, quomodo eſſe poteſt peccatum inobedientiæ ante tempus legis? Cum ubi non ſit lex, non poſſit quoq; eſſe transgreſſio, neque etiam peccatum inobedientiæ, cum illa non imputetur, neque adſcribatur ad peccatum lege non exiſtente. Cui obiectioni reſpondet, et probat, quòd ante ipſam legem (ut dictum fuit) erat peccatum, quod quidem demonſtrat ab ipſa pœna peccati dicens. Si mors, quæ data fuit à Deo in pœnam peccati illius ſcilicet inobedientiæ Adæ, habuit dominium ſuper omnes homines, ita quòd omnes inde mortui ſint ab ipſo Adam, uſque ad Moyſen legis latorem. Igitur neceſſe eſt confiteri omnes homines ab Adam uſque ad legem datam peccauiſſe, & non ſolum illos mortuos eſſe, qui peccauerunt in ſimilitudinē peccati Adæ, qui Deo parere noluerunt, ſicut Adam fecit; Verumetiam illos mortuos eſſe, qui non peccauerunt peccato inobedientiæ, ſicut peccauit Adā: Eiuſmodi enim fuerunt uiri iuſti, & ij, qui caruerunt uſu propriæ libertatis. Quare manifeſtius iam apparet, omnes homines in uno Adam peccauiſſe. Peccauerunt igitur omnes homines in uno Adam, quia ipſe fuit forma, & exemplar, & figura omnibus hominibus futuris, & ab eo naſcituris. Nam quemadmodum ea, quæ finguntur ad ſimilitudinem alicuius formæ, habent ſimilitudinem in illa forma, ita cæteri homines, qui deſcenderunt per originationem ab Adam, facti ſunt ad ſimilitudinem illius: Adam autem propter peccatum mortuus eſt, iccirco cæteri homines, qui ab eo deſcēderunt, peccato illius morti ſubiecti fuerunt; Vt quēadmodum ille peccauit, & mortuus eſt, ita & nos in eo ipſo uno peccaremus, & moreremur. Sed occurrit quæſtio ſatis inuoluta propter ea, quæ Apoſtolus hoc loco dixit. Ille enim oſtendit ex effectu mortis, peccatum ante legem fuiſſe in mundo; idemq; paulo poſt declarat, etiam poſt legem editam extitiſſe propter eandem uim effectus, quia etiam poſt legem uis mortis regnabat in homine. Cum itaque mors ſit effectus peccati, eademq; mors etiam poſt Chriſtū ſæuiat in homines, rationabiliter dici poſſe uidetur, quòd etiam idem peccatum, quod eſt cauſa mortis, per Chriſtum extinctum non ſit; & ſicut ante legē, & poſt ipſam regnauit peccatum in homine, ita quoque nunc poſt Chriſtum idem peccatum in nobis regnare uideatur. Hanc itaque quæſtionem hoc modo putamus diſſolui poſſe; quòd, licet ante, & poſt legem mors regnauerit in omnes homines; quia nondum peccatum abolitum eſſet, quod erat cauſa mortis, tamen nunc in hoc alio ſtatu gratiæ poſt mortem Chriſti peccatum extinctū eſt, propter quod mors non habet dominium ſuper omnes. Chriſtus enim etſi mortuus fuerit, propria tamen uirtute reſurrexit, nunquam amplius moriturus; & iccirco in illo mors extincta iacuit, qui reſurrectione ſua dedit nobis ſpem noſtræ reſurre-

ctionis; Vt quemadmodum ille reſurgendo mortem uicit, ita in noſtra reſurre-ctione nos omnes mortem uincamus: Et ſic apparet, poſt paſſioné Chriſti mor-tem extinctam fuiſſe; Quia fuit unus Ieſus Chriſtus, qui mortis imperio deti-neri non potuit, quin reſurgeret, nũquam amplius moriturus, ad cuius ſimili-tudinem nos etiam, poſt mortem noſtram, poſtquam reſurrexerimus, imperio
1. Cor. 15. *mortis non detinebimur; Sicuti ille Corinthijs ſcribens copioſius declarauit.*

SED NON SICVT DELICTVM ITA ET DONVM. SI ENIM VNIVS DELICTO MVLTI MORTVI SVNT; MVLTO MAGIS GRATIA DEI, ET DONVM IN GRATIA VNIVS HOMINIS IESV CHRISTI IN PLVRES ABVNDAVIT.

Oſtenderat ſuperius, quòd peccatum Adæ tanti fuerat, ut illi etiam, qui nõ pec-cauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, mortui ſint propter peccatum ipſius. Nunc autem oſtendit, quamuis peccatum Adæ ſit tam magnum, quòd tamen multo maior ſit gratia, & donum Ieſu Chriſti; & ideo dicit, quòd ma-gna quidem eſt diſſimilitudo inter peccatum Adæ: & gratiam, & donũ Chri-ſti. Quia peccato Adæ multi quidem mortui ſunt: ſed gratia, & donum Dei, quod eſt noſtra iuſtificatio, quæ ex pura Dei miſericordia, & liberalitate nobis donata fuit, in gratiam unius hominis Ieſu Chriſti, hoc eſt propter amorem il-lius, in plures homines defluxit, & exhuberauit. Ita quòd plures gratia Dei pro-pter amorem Ieſu Chriſti iuſtificati ſunt, quàm peccato Adæ mortui. Sed hoc, quod dixit, maximam in ſe dubitationem habet; quia peccato Adæ non ſolum multi, ſed omnes homines mortui ſunt (ut paulo ante ipſemet dixit) quòd mors pertranſiuit in omnes. Quomodo igitur gratia Dei in plures exhuberauit, cum omnes homines moriantur, & tamen non omnes iuſtificentur per gratiam Dei, & Ieſu Chriſti? Cui dubitationi reſpondentes dicimus, Quòd ideo dixit peccato Adæ multos mortuos eſſe, quia per hos, illos tantum intellexit, qui ſolo illius pec-cato, & non proprio, mortui ſunt, in quibus tantum potuit illud crimen Adæ, ut, quãquam in ſimilitudinem peccati ipſius non peccauerint, propter tamen illius peccati magnitudinem mortui ſint; ſicut illi, qui nullum peccatum fece-runt actu, & operatione propria, ut fuerunt infantes, immaturo funere ex-tincti. At gratia Chriſti non modo in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudiné præuaricationis Adæ, Verumetiam in alios, qui in ſimilitudinem ſui erroris de-liquerunt, copioſiſſime exhuberauit; quia per gratiam Chriſti, non modo, qui

non pecca

non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, ſed etiam multi ex illis, qui peccauerunt ad illius ſimilitudinem, ſalui facti ſunt. Multo igitur maior eſt gratia Chriſti, quàm fuerit uis peccati Adæ. Dixit autem non modo gratia Dei, ſed etiam adiunxit in gratiam unius hominis Ieſu Chriſti, ut non modo auctorem gratiæ, ſed etiam inſtrumentum, per quod gratia Dei ad nos defluxit, ſignificaret. Ipſe ſiquidem Deus eſt auctor gratiæ, Chriſtus uero, ut homo, eſt ipſum inſtrumentum gratiæ, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Ipſe nanque & ueritatem, & gratiam diuinam nobis communicauit. Hoc etiã dixit, ut oſtenderet, quid ille homo peccato ſuo nobis attuliſſet, & quid Chriſtus Ieſus homo nobis morte ſua communicaſſet, ut ex hac comparatione magnitudinem doni Dei, & gratiæ Chriſti nobis apertius ſignificaret.

ET NON SICVT PER VNVM PECCATVM, ITA ET DONVM; NAM IVDICIVM QVIDEM EX VNO IN CONDEMNATIONEM, GRATIA AVTEM EX MVLTIS DELICTIS IN IVSTIFICATIONEM.

Supra dixerat donum, & gratiam Dei maiorem eſſe peccato Adæ, quia in plures affluxit gratia Chriſti, quàm peccatum Adæ. Nunc oſtendit eandem gratiam maiorem eſſe peccato Adæ, ex multitudine peccatorũ dimiſſorum, dicens, quòd etiam altera diſſimilitudo eſt inter donum Chriſti, & peccatum Adæ. Nã ex uno ſolo peccato Adæ ſecutum eſt iudicium damnationis, quia propter unũ illud peccatum ſecutum eſt iudicium Dei iuſtum, condemnans nos homines ad mortem, qui prius eramus per gratiam facti immortales. Gratia uero Chriſti una, multo quidem copioſior fuit, atque maior, propterea quòd, per eam ſecuta eſt iuſtificatio noſtra, ideſt ſatisfactio ex multis peccatis noſtris abolitis, atque remiſſis. Paſſio nanque Chriſti, quæ per gratiam ipſius facta eſt, non modo pro illo peccato Adæ, quo ſumus iudicati ad condemnationem mortalitatis, ac damnationis, ſed etiam pro omnibus alijs noſtris delictis, ut omnes homines iuſtificarentur, ſatisfecit. Nam cum nos omnes mortui eſſemus in delictis (ut alibi Coloſſenſibus ſcribit) Ille donauit nobis omnia delicta noſtra, deleuitq; chirographum damnationis noſtræ, ipſumq; tulit de medio, atq; ligno crucis affixit. Coloſſ. 2.

SI ENIM VNIVS DELICTO MORS REGNAVIT PER VNVM, MVLTO MAGIS ABVNDANTIAM GRATIAE, ET DONATIONIS,

ET IVSTITIAE ACCIPIENTES, IN VITA RE-
GNABVNT PER VNVM IESVM CHRISTVM.

Probat, quod ſupra dixerat, Quòd ſcilicet ſit potentior gratia Chriſti peccato Adæ ex parte effectus dicens. Maior quidem, & potentior eſt gratia in iuſtificando, quàm peccatum Adæ in damnando; Quia, ſi per unius hominis crimen mors imperium accepit in omnes homines, ita quòd omnes propter illud unũ peccatum moriantur: multo magis, qui illam copioſam, atq; affluentem abundantiam gratiæ, & donationis hoc eſt cuiuſcunque muneris, & Iuſtitiæ, & uitæ ſpiritualis acceperunt, imperium, atque regnum immortalitatis per unum redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum cõſequentur. Maior igitur eſt gratia Chriſti peccato Adæ; quia per gratiam illius uitam multo magis accipiemus, quàm per peccatum Adæ mortem. Sed quomodo multo magis regnabit uita in illis, qui accipient gratiam, & donum Iuſtitiæ, quàm mors regnauerit per unius Adæ delictum, cum illo uno delicto omnes homines moriantur, & tamen non omnes homines per gratiam Chriſti ſint regnaturi in uitam? Huic dubitationi reſpondendum eſt, quòd quamuis omnes homines moriantur primi hominis delicto, regnum tamen mortis, & ipſa etiam mors temporaria eſt, & finem habitura, ſicut ipſe ad Corinthios dicit. Abſorpta eſt mors in uictoria: Vbi eſt mors uictoria tua? At regnum uitæ, quod per gratiam Chriſti conſequimur, ſempiternum quidem eſt. Maior igitur eſt gratia Chriſti peccato Adæ, quia illud mortẽ intulit homini temporariam, & finem habentem: Sed gratia Chriſti regnum concedit in uitam ſempiternam: ita, ut Deus beatis imperium ſine fine daturus ſit, quod nullis temporum terminis circunſcribetur. Dixit etiam abundantiam gratiæ ad comparationem peccati Adæ; quia paulo ſupra dixerat, quòd ex uno illius peccato, condemnatio, & ex multis delictis, gratia ad iuſtificationem ſecuta eſt. Et propter hoc gratia abundantior fuit in iuſtificando, quàm peccatum in damnando. Dixit etiam abundantiam gratiæ & donationis, & iuſtitiæ: Gratiæ quidem, quia nullis noſtris meritis meruimus, ut Deus mitteret Filium ſuum in terras ad nos liberandos. Donationis, quia præter remiſſionẽ peccatorum, quæ per gratiam delentur, adiunxit dona Spiritus ſancti credentibus in illum. Iuſtitiæ uero donum, quia à Chriſto in morte ſua fuit ſatisfactum iuſtitiæ Dei, cuius fructus ſi conſecuti fuerimus, uitam æternam accipiemus. Et ſic apparet ex triplici comparatione, miſericordiam, & gratiam Chriſti Adæ delicto ualidiorem, & potentiorem eſſe.

1. Cor. 15.

IGITVR SICVT PER VNIVS DELICTVM IN

Omnes

OMNES HOMINES IN CONDEMNATIONEM; SIC ET PER VNIVS IVSTITIAM IN OMNES HOMINES IN IVSTIFICATIONEM VITAE.

Supra propoſuerat, quòd per unum hominem peccatum intrauerat in mũdum, ut oſtenderet, ſicut per unum hominem, Adam, fluxiſſet peccatum, & mors; ita etiam per unum hominem Ieſum Chriſtum iuſtitiam, et gratiam exhuberaſſe. Sed ad hoc oſtendendum, intermiſcuerat quaſdam diſſimilitudines inter peccatum Adæ, & donum Iuſtitiæ, & gratiæ Chriſti; ut exinde declararet iuſtitiã, & gratiam Chriſti maiorem eſſe delicto Adæ, nunc huius argumenti concluſionem adducit dicens. Si itaque uerum eſt (ut diximus) quòd ſi per unius hominis peccatum mors regnauit in omnes homines, in quo quidem peccato omnes homines condemnati mortui ſunt: Et ſi etiam per unius hominis gratiam, qui eſt Chriſtus, omnes homines iuſtificationem adepti ſunt: Igitur neceſſario ſequitur, quòd ſicut unius hominis Adæ delicto omnes homines in damnationem lapſi ſunt, ita quoque per unius hominis Chriſti iuſtitiam, & ſatisfactionẽ, quam moriendo perfecit, omnes homines iuſtificationem uitæ conſequentur, dummodo tamen paſſionis eius participes effici uoluerint: Et ſic Deo per Chriſtum omnes homines conciliabuntur, ita quòd ex iniuſtis iuſti, & ex filijs iræ, filij Dei regenerabuntur; & immortalitatẽ, quã in præuaricatione Adæ amiſerant, denuo conſequẽtur.

SICVT ENIM PER INOBEDIENTIAM VNIVS HOMINIS PECCATORES CONSTITVTI SVNT MVLTI, ITA ET PER VNIVS OBEDITIONEM IVSTI CONSTITVENTVR MVLTI.

Dixerat unius delicto omnes homines fuiſſe condemnatos, quemadmodum unius iuſtitia omnes homines iuſtitiam ſunt conſecuti. Nunc quali peccato Adam peccauerit, & itidem quali iuſtitia nos Chriſtus iuſtificauerit oſtendit dicens. Sicuti unius hominis delicto mors regnauit in omnes; quia Adam non obediendo peccauit, dum interdictæ arboris fructum manducauit; Ita etiam unius hominis iuſtitia, & ſatisfactione, omnes homines iuſtificationem uitæ ſunt conſecuti, quia Chriſtus obediendo Deo, iuſte pro nobis ſatisfecit, quia factus obediens Deo in ligno crucis pro peccatis noſtris mortuus fuit. Vnde ſicut inobedientia illius extitit cauſa multis, ut & peccatores eſſent, & appellarentur: Ita quoque Chriſti obedientia fuit cauſa multis, ut & iuſti eſſent, & dicerentur. Sed hoc uidetur

eſſe contrarium ei; quod ſupra dixerat, quia aſſeruerat in Adam omnes homines peccauiſſe, & gratiam, & donum Chriſti in plures homines abundauiſſe, quàm peccatum ipſius Adæ. Quia neutrum iſtorum uidebitur eſſe uerum, neque quòd unius inobedientia multi peccatores conſtituti ſint, neque quòd unius obeditione multi conſtituti ſint iuſti. Cui obiectioni reſpondemus, quòd ideo omnes homines conſtituti ſunt peccatores propter Adæ peccatum, quia omnes eadem pœna mortis mulctati fuerunt, & quia non omnes imitati ſunt modũ peccandi ipſius Adæ, propter hoc non omnes, ſed multi, qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis illius, peccatores conſtituti ſunt (multi enim ex illis per gratiam Chriſti ſalutem conſecuti ſunt) Similiter quoque dicendum eſt de his, qui per obedientiam Chriſti conſtituti ſunt iuſti; Quãuis enim mors ipſius, & iuſtitia pro omnibus nobis ſatisfecerit, quia tamen aliqui huius ſatisfactionis reddiderunt ſe indignos: Ideo non omnes, ſed multi per ipſius iuſtitiam conſtituti ſunt iuſti, & ſic apparet perſpicue, quàm magna ſit diſſimilitudo inter Chriſtum, & Adam; & inter delictum unius, & donum alterius. Ex Adam enim peccatum; ex Chriſto Iuſtitia: ex Adam mors; ex Chriſto uita: ex Adam condemnatio; ex Chriſto iuſtificatio: ex Adam inobedientia; ex Chriſto obedientia: ex Adam peccatum in multos; ex Chriſto abundantia gratiæ in plures: ex uno peccato Adæ iudicium in condemnationem; ex multis peccatis gratia Chriſti in iuſtificationem: ex peccato Adæ mors temporarium accepit regnum; ex iuſtitia Chriſti uita accepit imperium ſempiternum.

LEX AVTEM SVBINTRAVIT, VT ABVNDARET DELICTVM.

Dixerat paulo ante peccatum fuiſſe in mundo ante legem uſque ad Moyſem, quod quidem ex effectu pœnæ uerum eſſe declarauerat; & quia potuiſſet aliquis dubitare. Si peccatum uſque ad legem datam Moyſi fuit in mundo, num peccatum poſt promulgationem legis manſerit in mundo? Cui dubitationi reſpondendo dicit, quòd peccatum non modo fuit ante legem, ſed etiam poſt legem: immo, poſtquam lex ipſa data fuit, huberius cœpit ſerpere peccatum. Hinc non eſt intelligendum, quòd lex ipſa effectiue cauſaret peccatum; quia lex ſancta eſt, & mandata ipſius ſancta, & ipſa eadem mandata ad coercenda peccata data ſunt; ſed ideo per legem magis affluxit peccatum, quia ipſa occaſionem præſtitit hubertati peccatorum; Prohibendo enim multa, quæ prius ſecundum naturam peccata cognita non erant; & multa etiam imperando ſub pœna peccati, occaſio præſtita fuit ipſis hominibus magis peccandi. Et ſic propter ipſam legem,

gem, cum cupiditas contra prohibitionem maior oriretur, & neglectio quædam ad ſeruanda mandata in homine ſenſim coaleſcere cœpiſſet, peccatum magis abundauit, quod paulo infra lucidius declarabit.

VBI AVTEM ABVNDAVIT DELICTVM, SVPERABVNDAVIT ET GRATIA.

Fuit quidem ante legem peccatum, quod poſt editam legem incrementum accepit, propter eas rationes, quas modo diximus. Nunc uero in hoc ſtatu propter miſericordiam Dei, quando magis peccatum abundare uidebatur, ſuperabundauit & gratia diuini amoris erga nos, quæ quidem omne peccatum extinxit; Quia nullum fuit unquam, neque futurum eſt aliquod tam magnum, et tam nefandum crimen, quod per ſuperaffluentem, atque ſuperabundantem gratiam Dei, quæ in hoc tempore ſuperexhuberauit, expiari non poſſit. Quare, etſi ante legem, & poſt legem datam, ſemper fuerit peccatum, In hoc tamen ſtatu gratiæ nullum eſt peccatum tam nefarium, quod per Dei ſuperabundantem gratiam expiari, atque deleri non poſſit.

VT SICVT REGNAVIT PECCATVM IN MORTEM, ITA ET GRATIA REGNET PER IVSTITIAM, IN VITAM AETERNAM, PER IESVM CRISTVM DOMINVM NOSTRVM.

Ideo gratia Dei, quæ omnia noſtra peccata expiauit in hoc ſtatu, in quo ſumus, tam copioſe emanauit, ut ſicut ante legem, & poſt legem etiam magis peccatũ regnauit, & poteſtatem habuit in mortem (quia conducebat homines peccantes ad mortem: cum pœna, & ſtipes mors ipſa peccati exiſtat) Ita quoque nũc in hoc ſtatu gratia Dei regnet, & poteſtatem habeat conducendi homines in uitam æternam, & hoc faciat per iuſtitiam, quia Chriſtus iuſte ſatisfecit pro nobis in cruce. Gratia igitur Dei ſuperabundauit in hoc tempore, ut regnaret, & haberet poteſtatem conducendi hominem in uitam æternam, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, quia ipſe eſt mediator Dei, & hominum, per quem gratia, & ueritas facta eſt. Recte igitur per miſericordiam Dei factum eſt, ut ubi abundauerat peccatum, ſuperabundaret & gratia; & quemadmodum peccatum regnabat conducendo homines ad mortem, ita quoque regnaret & gratia, quæ homines conduceret ad uitam ſempiternam.

CAPVT SEXTVM.

QVID ERGO DICEMVS? MANEBIMVS IN PECCATO, VT GRATIA ABVNDET? ABSIT. QVI ENIM MORTVI SVMVS PECCATO, QVOMODO ADHVC VIVEMVS IN ILLO?

Si itaque uerum eſt illud, quòd modo Apoſtolus dixit, ut abundante peccato ſuperabundauerit gratia Chriſti, propter hoc potuiſſet aliquis dicere, permanendum nobis eſſe in peccatis, ut magis atque magis gratia Chriſti in nobis abundaret; Cui homini, hoc modo loquenti, reſpondēdo Apoſtolus dicit. Abſit, ut maneamus in peccato, ut gratia Dei ſuperabundet: Quomodo enim perſeuerabimus uiuentes in peccato, cum mortui ſimus peccato? Sicut enim mortuus non uiuit in uita illa priſtina, in qua uiuebat, ita quoq; nos mortui peccato non debemus amplius uiuere in illo, Nec prætereundum eſſe putamus hoc, quod dixit Apoſtolus, nos mortuos eſſe peccato, & non peccatum mortuum eſſe in nobis. Non enim peccatum, hoc eſt uis illa concupiſcentiæ propter hoc, quòd chriſtiani effecti ſimus, & in Chriſtum credamus, extincta eſt in nobis. Hæc enim à natura nobis data eſt, ut quamdiu uiuamus, tamdiu & illa nobiſcum uiuat, noſq; eadem ad uoluptates concupiſcendas inflammet: Mortui tamen ſumus nos peccato; Quia, etſi ab ipſa ui concupiſcentiæ excitamur ad peccandum, Chriſto tamē nos adiuuante, illius faces, & flāmas extinguere poſſumus. Ille enim (ut Apo-
1. Cor. 10. *ſtolus Corinthijs ſcripſit) non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus ſuſtinere, ſed dabit etiam cum temptatione prouentum; ita ut mortui uideamur peccato; Quòd autem mortui ſimus peccato oſtendit dicens.*

AN IGNORATIS FRATRES QVIA, QVICVNQVE BAPTIZATI SVMVS IN CHRITSO IESV, IN MORTE IPSIVS PAPTIZATI SVMVS?

Ideo dico nos mortuos eſſe peccato, quia non debemus ignorare, nos omnes, qui in nomine Ieſu baptiſmi undis mundati ſumus, in ipſius morte baptizatos eſſe, ideſt in uirtute mortis illius eſſe lauatos à peccato, & morte ipſius mortuos eſſe
1. Cor. 15. *peccato; quia omnes in morte ipſius mortui ſumus (ut ipſe ad Corinthios ſcribēs dicit.*

dicit. Quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſumus.) Dixit autem quicunque baptizati ſunt in Chriſto Ieſu, non propter hoc, ut formam baptizandi nobis daret; Quoniam ſecundum formam nobis ab ipſo Chriſto manifeſtatam omnes baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; Sed dixit in Chriſto Ieſu, ut oſtenderet per quem lauati, & mundati ſimus, quia ipſe eſt proximus fons, à quo emanauit omnis gratia, quam per baptiſmum conſequimur. Licet enim gratia, qua iuſtificamur à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto procedat, quia Deus eſt, qui peccata dimittit; tamen Chriſtus iſtam gratiam nobis morte ſua promeruit, per quam nos Deo reconciliauit. Dixit etiam in morte ſua, ut oſtenderet, quòd baptiſmus habet uirtutem mundandi nos à peccato propter mortem, & ſanguinem Ieſu Chriſti, cuius morte nos quoque peccato mortui ſumus.

CONSEPVLTI ENIM SVMVS CVM ILLO PER BAPTISMVM IN MORTEM, VT QVOMODO CHRISTVS SVRREXIT À MORTVIS PER GLORIAM PATRIS, ITA ET NOS IN NOVITATE VITAE AMBVLEMVS.

Ideo nos omnes, qui baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in uirtute mortis ſuæ, & baptizati, & mortui ſumus peccato; quia ſimul cum illo per baptiſmum ſepulti ſumus in mortem peccatorum noſtrorum: Sicut enim ille ſub terra ſepultus fuit, ita nos per baptiſmum ſub aquis ſepelimur: Sepultura autem non niſi mortuis conuenit; Igitur nos, qui ſub aquis per baptiſmum ſepelimur in mortem peccatorum noſtrorum, mortui ſumus peccato. Sepelimur itaque & nos ſub aquis per baptiſmũ ſimul cum Chriſto, ut eo modo, quo Chriſtus, ad oſtendendam Dei patris gloriam, à mortuis reſurgendo, in alia noua uita Deo conformi ambulauit: Ita quoque nos à peccato, in quo ſub lege mortui fuimus, reſurgendo, in alia noua uita meliori, ſine peccato ambulemus.

SI ENIM COMPLANTATI FACTI SVMVS SIMILITVDINI MORTIS EIVS, SIMVL ET RESVRRECTIONIS ERIMVS.

In nouitate quidem melioris uitæ nobis ambulandum eſt, ut ſicut Chriſtus, poſtquam à mortuis reſurrexit, nouam, & immortalem uitam habuit; ita nos à peccato ſuſcitati in meliori uita uiuamus; Quia, ſi complantati, & inſerti fui=

mus Chriſto propter ſimilitudinem mortis ipſius, quia ille mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſic nos in uirtute mortis ſuæ mortui ſumus peccato; Ita quoq; debemus eſſe complantati eidem in ſimilitudinem reſurrectionis ipſius; ut ſicut ille reſurgendo à mortuis nouam uitam egit, ita nos à peccato reſurgentes, in quo mortui eramus in ſtatu legis, nouam, ac innocentem uitam traducamus; Vt quemadmodũ ramuſculus, ſi complantatus eſſet in arbore, quæ moreretur, ipſe quoque cum illa exareſceret; quæ ſi denuo iterum reuiuiſceret, ipſe etiam complantatus denuo repubeſceret: Sic & nos cum complantati fuerimus in Chriſto mortuo, mortuiq; fuerimus cum illo, reſurgente ergo illo eodem, & nos in ipſo complantati reſurgere debemus à peccato, in quo ante Chriſtum mortui iacebamus. Dixit autem nos, complantatos eſſe in Chriſto; quia credentes in eum conuiuificantur, conreſurgunt cum illo, & cum eodem perfruuntur illa æterna felicitate. Sicut Apoſtolus Epheſijs ſcribens dicit. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus: atque item Coloſſenſibus. Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtũ dominum, in ipſo ambulate radicati, et ſuperedificati in ipſo.

Eph. 2.
Coloſſ. 2.

HOC SCIENTES, QVIA VETVS HOMO NOSTER SIMVL CRVCIFIXVS EST, VT DESTRVATVR CORPVS PECCATI, VT VLTRA NON SERVIAMVS PECCATO. QVI ENIM MORTVVS EST, IVSTIFICATVS EST À PECCATO.

Propter hoc autem nos ſumus complantati in Chriſto in ſimilitudinem mortis eius, & mortui cum illo, quia pro certo ſcire debemus, quòd uetus ille homo noſter, ideſt homo ille, qui tum in lege naturæ, tum in lege ſcripta uiuebat; Quem ueterem appellauit ad comparationem hominis uiuentis in lege Chriſti, quem Apoſtolus nouam creaturam appellat, ut Galatis ſcripſit dicens. In Chriſto Ieſu neq; præputium, neq: circunciſio aliquid ualet, ſed noua creatura. Ille (inquã) uetus homo noſter una cum Chriſto cruci affixus fuit, ut ſicut ille in cruce mortuus eſt, ita quoque nos crucifigamus carnem noſtram cum uitijs, & concupiſcentijs ipſius; ut ibidẽ etiam Galatis ſcribebat. Vt moriamur peccato, et ut deſtruatur corpus peccati, non quidem ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum inordinatos affectus, & concupiſcentias; Tũc enim deſtruimus, atque euertimus corpus peccati, cum appetitus ſenſitiuos ſubijcimus ſpiritui, & rationi; & hoc quidem ad hunc

Gal. 5.

ad hunc finem facere debemus, ut deinceps peccato non ſeruiamus: Sicuti uetus ille homo noſter peccati ſeruus facere conſueuerat. Qui enim peccato, uitijs, & concupiſcentijs mortuus eſt, iuſtificatus eſt ab illo, hoc eſt ab illo non poteſt excitari ad aliquod iniuſtum opus, ueluti illius ſeruus excitari ſolet, propter quod opus improbus, & iniuſtus poſſit appellari.

SI AVTEM MORTVI SVMVS CVM CHRISTO, CREDIMVS, QVIA SIMVL ETIAM VIVEMVS CVM ILLO, SCIENTES, QVÒD CHRISTVS RESVRGENS EX MORTVIS IAM NON MORITVR: MORS ILLI VLTRA NON DOMINABITVR. QVÒD ENIM MORTVVS EST PECCATO, MORTVVS EST SEMEL: QVÒD AVTEM VIVIT, VIVIT DEO.

Cum propoſuiſſet, quòd futuri eſſemus ſimiles Chriſto in reſurrectione, propter hoc, quia facti ſumus ſimiles illi in morte ipſius, & oſtenderit nos eſſe mortuos cum Chriſto; Ideo nunc rationabiliter infert dicens; Si autem mortui ſumus cum Chriſto, & facti ſumus ſimiles mortis ipſius, Credimus ergo, quòd & propter hoc ſimiles erimus reſurrectioni ipſius, & ſimul etiam uiuemus cum illo eo ipſo modo, quo ille uiuit. Et propter hoc ſcire debemus, quòd Chriſtus ita à mortuis reſurrexit, ut iam amplius neque morti, neque corruptibilitati ſubiectus ſit. Quia ſi Chriſtus mortuus fuit, mortuus quidem peccato fuit, ut peccatum Adæ, & noſtra ſcelera expiaret; & propter hoc, quia unica ſua morte omnia noſtra peccata deleuit, & pro omnibus peccatis noſtris ſatisfecit, ut Apoſtolus ſcripſit Hebræis. Ideo non fuit neceſſarium, ut denuo pro delendis noſtris peccatis moreretur; & ideo mortuus eſt ſemel tantum, non amplius moriturus, & ſuper illum mors nunquam amplius nec poteſtatem, nec dominium ullum eſt habitura. Quia quòd nunc uiuit, Deo ipſi uiuenti uiuit, propterea quòd ad inſtar Dei uiuentis uiuit, cuius uita ſempiterna eſt, & nulli aut corruptioni, aut mortalitati ſubiecta. Heb. 10.

ITA ET VOS EXISTIMATE, VOS MORTVOS QVIDEM ESSE PECCATO, VIVENTES AVTEM DEO IN CHRISTO IESV.

Si itaq; Chriſtus mortuus eſt, et reſurrexit non amplius moriturus, uiuendo Deo,

uita perſimili uitæ Dei; & nos in illo complantati facti ſumus eidem ſimiles in morte, & reſurrectione ipſius; Hoc itaque modo, uos exiſtimate, uos ipſos mortuos eſſe peccato; ut quemadmodum Chriſtus mortuus fuit, propter abolendum peccatum, non amplius moriturus: Ita arbitremini, uos mortuos eſſe peccato, ut in futurum, in illo non amplius moriamini; & ſicut Chriſtus poſt reſurrectionem uixit Deo, ita uos ſuſcitati à peccato, uiuatis Deo, uitam ſanctã, ac innocentem agentes in Chriſto Ieſu, in cuius ſimilitudinem, & mortui & ſuſcitati à peccato, per gratiam ipſius amplius ad ipſum peccatum non reuertamini; Sicut Chriſtus ſemel mortuus, nunquam, amplius ad eandem mortem, qua mortuus fuit, eſt reuerſurus.

NON ERGO REGNET PECCATVM IN VESTRO MORTALI CORPORE, VT OBEDIATIS CONCVPISCENTIIS EIVS; SED NEQVE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA INIQVITATIS PECCATO.

Cum debeatis & uos ipſos mortuos exiſtimare peccato, & uiuere Deo, ne patiamini igitur peccatum, & appetitum ſenſus, & carnis, ſpiritui, ac rationi rebellantem, dominari in ueſtris mortalibus corporibus; quia ſi peccatum in uobis regnaret, non uiueretis Deo; quia denuo in peccato moreremini. Non ergo peccatum regnet in ueſtris mortalibus corporibus, ut ipſius concupiſcentijs, & paſſionibus obediatis, quia Chriſtus propter hoc deſtruxit corpus peccati, ne ulterius ſeruiremus illi. Si enim peccatum, & ſenſus, & caro nobis dominarentur, neceſſario eorum paſſionibus obtemperare compelleremur. Et cum peccatum prius ſecundum internam cogitationem generetur, deinde ſecundum exteriorem operationem perficiatur, Apoſtolus utroque modo, ne peccatum in nobis regnet, uetat. Primo ne obediamus concupiſcentijs eius, quòd eſt peccare ſecundum interiorem cogitationem, et conſenſum. Secundo, ne accommodemus membra noſtra, ueluti quædam arma peccato, & carni, ad perpetrandam iniquitatem, quod eſt peccare per externam operationem, quæ per membra corporis, tanquam per arma iniquitatis perficitur, & completur. Dixit autẽ ne regnet peccatum in ueſtro mortali corpore, quia tam appetitus ſenſus, quàm carnis in corpore eſt. Appetitus uero rationalis non eſt in corpore, ſicut etiam intellectus non eſt in corpore. Dixit etiã mortalia corpora ne putarent, propter hoc, quòd reſurrexiſſent in ſimilitudinem reſurrectionis Chriſti, immortali ſe corpore frui poſſe; quia in hac uita, in qua ſumus, & mortalia corpora, & morti, et corruptioni

ruptioni ſubiecta poſſidemus. Iniquitatem appellauit operationes & actiones carnis & corporis; Sicuti Iuſtitiam appellamus operationes, & actiones ſpiritus & rationis. De his enim dicit Propheta. Iuſtus dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius; & alibi. Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint. Quia enim caro appetit terrena, & ea, quæ ſunt inimica Deo, propterea eius operatio iniuſta eſt; & ideo iniquitas appellatur. Quia uero ſpiritus deſiderat cœleſtia, et conformia Deo, propterea eius operatio iuſta eſt; & ideo eam iuſtitiam, & æquitatem appellare ſolemus.

Pſal. 10.
Pſal. 88.

SED EXHIBETE VOS DEO TANQVAM EX MORTVIS VIVENTES, ET MEMBRA VESTRA ARMA IVSTITIAE DEO.

Duo dixi uobis, ne exhibeatis uos obedientes peccato, & ne etiam membra ueſtra præbeatis, tanquam arma malarum operationum, peccato. Nunc uero hortor uos, ut magis præſtetis uos ipſos Deo, tanquam ex mortuis uiuentes, ideſt ad ſimilitudinem eorum, qui ex mortuis reſurgentes uiuunt Deo, non carni, & corpori. Vos igitur, qui reſurrexiſtis ex mortuis à peccato, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum Deo uiuere debetis; & non modo uos ipſos exhibete Deo, ſed etiam membra ueſtra exhibeatis illi, ueluti arma iuſtitiæ, & operationis ſpiritualis, quibus Deo militetis. Membra enim noſtra ſunt quædam arma, quibus peccato, uel Deo militamus. Si enim per illa opera carnis fecerimus, et eis in exercẽdis mortiferis uoluptatibus uſi fuerimus, erunt arma iniquitatis, & iniquarum operationum, quibus peccato militabimus. Si uero ſecundum ſpiritum, ac rationem uixerimus, ipſaq; membra noſtra in bonis, & iuſtis operationibus exercuerimus, erunt arma iuſtitiæ, et iuſtarum operationum, quibus Deo militabimus.

PECCATVM ENIM VOBIS NON DOMINABITVR, NON ENIM SVB LEGE ESTIS, SED SVB GRATIA.

Quòd ſi uos ipſos præſtiteritis Deo, tanquam ex mortuis uiuentes, exhibueritisq; membra ueſtra arma iuſtitiæ Deo, & eis uſi fueritis in iuſtis, ac bonis operationibus, non præualebit peccatum, nec dominabitur uobis, ut olim in lege dominabatur; quia lex fecit abundare peccatum, & non expiabat illud; & ideo tenebat nos in ſeruitute peccati; & propter hoc illud in nobis regnabat, & domi-

nabatur. Nunc autem ſi exhibueritis membra ueſtra iuſtitiæ Deo, peccatũ nullum dominium habebit in uobis, quia non ſumus amplius ſub lege, tenente nos ſub poteſtate peccati, ſed ſumus ſub gratia, quæ nos liberauit à ſeruitute peccati, & adſciuit nos in libertatem gloriæ filiorum Dei.

QVID ERGO? PECCABIMVS, QVONIAM NON SVMVS SVB LEGE, SED SVB GRATIA? ABSIT. AN NESCITIS, QVONIAM CVI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDVM, SERVI ESTIS EIVS, CVI OBEDITIS; SIVE PECCATI AD MORTEM; SIVE OBEDITIONIS AD IVSTITIAM.

Si itaque peccatum non dominabitur nobis, quia ſumus ſub gratia, & non ſub lege (gratia enim omnia peccata noſtra tollit, nec eadem patitur dominari peccatum.) Quid ergo, dicit Apoſtolus? peccabimus? Num libere poterimus peccare, quia etiam ſi peccauerimus, non regnabit peccatum in nobis, nec in ipſius ſeruitute detinebimur, propterea quòd Gratia omnia noſtra peccata tollet, & expiabit, nec patietur peccatum nobis dominari? Sed hoc ipſe confutat in hunc modum dicendo. Abſit, ut in hoc ſtatu gratiæ licentius peccemus; Quia non'ne ſcitis, quòd unuſquiſq; qui ſe fecerit ſeruum alicuius obediendo illi, ſtatim, quòd ipſe illi obedierit, factus eſt ſeruus illius. (Cuicunque enim obediuerimus ſerui facti ſumus ipſius.) Siue enim obediueritis peccato ducenti ad mortẽ, ſiue parueritis obeditioni, ideſt obedientiæ ducenti ad iuſtitiam, eius, cui parueritis, ſerui efficiemini. Iuſtitiam uero hinc appellat ſpiritum, ac rationem, qua iuſte uiuimus, quæ peccato, hoc eſt concupiſcentiæ opponitur; Vt enim iniuſtitia iuſtitiæ contraria eſt, ita quoque concupiſcentia, & peccatũ contraria ſunt rationi, & ſpiritui. Ideo enim concupiſcentia, & peccatũ iniuſtitia appellatur, quia nos ad iniuſtas, & iniquas operationes pertrahit, Et non permittit rationem, ac ſpiritum in homine dominari, & propter hoc Ioannes dicebat. Omne peccatum eſt iniquitas, quemadmodum omnis operatio rationis, ac ſpiritus æquitas, & iuſtitia debet appellari. (1. Ioan. 3.)

GRATIAS AVTEM DEO, QVÒD FVISTIS SERVI PECCATI, OBEDISTIS AVTEM EX CORDE IN EAM FORMAM DOCTRINAE, IN QVAM TRADITI ESTIS, LIBERATI AVTEM

A' Peccato

A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS IVSTITIAE.

Cum autem obedientia, qua uidemur alicui parere, ſit indicatrix noſtræ erga illum ſeruitutis; Nunc propter hoc magnæ quidem habendæ ſunt gratiæ Deo, quòd hæc ſeruitus à uobis ſublata ſit; Quoniam non amplius obeditis peccato, cui, dum in lege uiueretis, obediebatis: Sed magis uoluiſtis obedire ex animo ei formæ doctrinæ, in animis ueſtris inſidenti, in quam quidem dono Dei traducti fuiſtis. Ante enim quàm uos audiuiſſetis Euangelium Chriſti, inſtitutis & præceptis legis parebatis. Quæ quidē obedientia, propter infirmitatem carnis, non poterat uos à ſeruitute peccati liberare; quia lex non docebat uos ſpiritu ambulare, quemadmodum Euangeliū Chriſti præcepit uobis, ut ambuletis. Illud enim ubi infuſum fuit in cordibus ueſtris, à præceptis ipſius legis traduxit uos ad uiuendum ſecundum ſpiritum, propter quòd uiuentes eodē ſpiritu, liberati eſtis à peccato, & concupiſcentijs illius; & qui prius extitiſtis ſerui ipſius peccati, nunc facti eſtis ſerui iuſtitiæ, quoniā obeditis ſpiritui, ac rationi. Iuſtitia enim (ut paulo ante diximus) & ſpiritum, & rationem ſignificat.

HVMANVM DICO PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRAE. SICVT ENIM EXHIBVISTIS MEMBRA VESTRA SERVIRE IMMVNDITIAE, ET INIQVITATI AD INIQVITATEM; ITA NVNC EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE IVSTITIAE IN SANCTIFICATIONEM.

Si itaque liberati eſtis à peccato, quia obediſtis doctrinæ Chriſti, in quam deducti fuiſtis, & ſerui facti eſtis iuſtitiæ, nunc quid ſit uobis in hoc ſtatu agendum, ut Iuſtitiæ accommodatius ſeruiatis, uolo uobis ſignificare; Neque putetis me uelle uobis tradere præcepta grauia, atque uires ueſtræ humanitatis, ac imbecillitatis excedentia; Sed magis leuia, & humana, & ueſtræ imbecillitati, ac infirmitati conuenientia: Quòd autem uobis ſuadeo faciendum eſſe, hoc eſt, ut quemadmodum ante ſtatum gratiæ, dum eſſetis in ſtatu peccati, præſtitiſtis membra ueſtra obedientia immunditiæ, hoc eſt immundis operibus, & ſenſibus rationi non obtemperantibus, & iniquitati, & iniuſtis operationibus ad iniquitatem, & ad omnia ſcelera perpetranda; Ita quoque in hoc ſtatu gratiæ in quo liberi eſtis à ſeruitute peccati, eadem ipſa membra ueſtra præſtetis,

ueluti quædam arma iuſtitiæ, ideſt ſpiritui, ac rationi obedientia ad munditiam, & ſanctificationem conſequendam.

CVM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI LIBERI FVISTIS IVSTITIAE.

Ideo nunc in iſto ſtatu gratiæ tanto magis debetis præſtare membra ueſtra parentia Iuſtitiæ, hoc eſt ſpiritui, ac rationi; quia cum uos eſſetis in ſtatu legis, ſub ſeruitute peccati detenti, non poteratis ſeruire iuſtitiæ, quia eratis tunc omnino liberi, & exempti ab ipſius ſeruitute, cum immunditiæ, ac iniquitati, cæteriſq; carnis uoluptatibus ſeruiretis, quæ quidem manifeſte ſpiritui, ac rationi contraria eſſe uidentur. Nemo enim ſimul poteſt duobus dominis ſeruire, peccato ſcilicet, ac ſpiritui. Qui autem ſeruit ſpiritui, ſeruit Deo, facitq; omnes operationes ſuas peccato contrarias, ac rationi conſentaneas.

QVEM ERGO FRVCTVM HABVISTIS TVNC IN ILLIS, IN QVIBVS NVNC ERVBESCITIS? NAM FINIS ILLORVM MORS EST.

Si itaque in ſtatu legis præſtitiſtis membra ueſtra obedientia immunditiæ, & iniquitati, quam igitur utilitatem ex ipſis immundis, ac iniquis operibus collegiſtis, tunc maxime, cum in illo ſtatu legis illa operabamini? In quibus iniquis operibus nunc in hoc ſtatu gratiæ, dum eorum recordamini, maximo pudore affecti ſoletis erubeſcere; quia nullum alium fructũ ex illis colligere potuiſtis, quàm mortem: Quia malorũ operum finis mors ipſa exiſtit; quæ eſt pœna peccati.

NVNC VERO LIBERATI À PECCATO, SERVI AVTEM FACTI DEO, HABETIS FRVCTVM VESTRVM IN SANCTIFICATIONEM, FINEM VERO VITAM AETERNAM.

Cum in ſtatu legis ex peccatis ueſtris nullum alium fructum, quàm mortẽ, conſequeremini; Nunc uero in hoc ſtatu gratiæ in quo per Chriſti gratiam liberati ſumus à peccati ſeruitute, & adſciti in ſeruitutem Dei, non habeamus amplius fructum in pudore, & erubeſcentia, ſed in puritate, ac munditia cordis, cuius finis non eſt mors, ſed uita; non temporalis, ſed æterna; et ſic contrariarum cauſarum ſunt contrarij fines, & effectus, ac utilitates; Quia ſi exhibuerimus

hibuerimus membra noſtra, tanquam arma, & inſtrumenta iniquitatis peccato, ſeruituti ipſius ſubijciemur, & ſempiternam mortem perpetiemur; Si uero eadem membra noſtra exhibuerimus, tanquam arma quadã iuſtitiæ, ac ſpiritus ſeruire Deo, non modo liberabimur à peccato, ſed etiam ſempiternã uitam conſequemur. Diligenter uero conſiderandum eſt, quòd in utroque ſtatu tam legis, quàm gratiæ unuſquiſque, qui peccat, facit ſe ſeruum peccati; Sed qui ante ſtatum gratiæ peccabat, ita peccati ſeruus efficiebatur, ut nullo modo poſſet ab eo liberari; qui autem in hoc ſtatu gratiæ peccat, quantũcunque ſe faciat ſeruum peccati, poteſt tamen gratia Ieſu Chriſti ab ipſa ſeruitute liberari, quia illud peccatũ, quod quis facit, expiari poteſt pœnitentia; propter paſſionem Chriſti, quæ deleuit omne peccatum.

STIPENDIA ENIM PECCATI MORS, GRATIA AVTEM DEI VITA AETERNA, IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO.

V*tique ex diuerſis, & contrarijs cauſis diuerſos, & contrarios fines, & effectus conſequemur; Nam ex peccato mortem; ex gratia illi contraria uitam æternam habebimus. Finis igitur peccatorum, quæ in tempore legis faciebatis, erat mors; & hoc rationabiliter, quia ſtipendium, ac merces peccati eſt mors ipſa. Finis uero eorum bonorum operum, quæ in hoc ſtatu gratiæ facimus, eſt uita æterna; Quoniam gratia Dei factum eſt, ut opera noſtra bona in hoc ſtatu conſequantur uitam æternam. Dixit autem mortem eſſe ſtipem peccati, quia (ut ſupra dixit) mors eſt pœna peccati; Vſus uero fuit hoc nomine ſtipendij, propter metaphoram de membris noſtris, quoniam appellauit illa eſſe arma, quibus Deo, & peccato militare poſſimus. Perſeuerando igitur in eadem metaphora dicit, quòd, ſi exhibuerimus membra noſtra, tanquam arma iniquitatis, militando peccato, mortem pro ſtipendio, ac mercede recipiemus; Quia finis, ad quem nos conducit peccatum, mors eſt. Si uero eadem membra noſtra præſtiterimus, arma iuſtitiæ, & ſpiritui, quibus Deo militemus, ab eodem habebimus non mortem, ſed uitam æternam. Non quidem pro ſtipe, ac mercede, quoniã non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ſed tantum dono gratiæ, ac miſericordiæ ſuæ. Verum hoc, quòd uita æterna non detur nobis, pro mercede noſtrorum bonorũ operum, ſed propter gratiam Dei tantum, ſummam continet difficultatem: Quoniã hoc tum Euangelio, tum ipſi Apoſtolo repugnare uidetur: In Euãgelio enim Dominus dicit Apoſtolis. Gaudete, & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis:* Math. 5.

Et Paulus etiam dicebat, ſupra, Cap. 2. quòd ijs, qui ſecundum patientiam boni operis quærunt gloriam, & honorem, Deus reddet uitam æternā. Ex quibus ſatis apparet, uitam æternam dari nobis in ſtipem, ac mercedem bonorum noſtrorum operum. Cui difficultati dicimus, quòd rationabiliter dixit, mortem ſtipē eſſe peccati; quia mors non excedebat culpam peccati: Vita uero æterna propter magnitudinem ſuam excedit omnia noſtra bona opera, utcunque iuſta. Et propter hoc proprie noſtrarum bonarum operationum ſtipes dici non poteſt; ſed magis appellari debet donum, & gratia: Et quanquam uita æterna non ſit præmium, & ſtipendium noſtrarum operationum, datur nobis tamen per gratiam Dei in præmium; ita ut propter magnitudinem, atque infinitatem ſuam uerius donum, ac gratia debeat appellari, quàm merces, ac ſtipes. Chriſtus uero, ut immenſam charitatem ſuā nobis demonſtraret, id, quod ipſe nobis per gratiam, atque miſericordiam ſuam concedit, mercedem uoluit appellari; quamuis nos gratiam magis, quàm ſtipem & exiſtimare, & dicere debemus. Quæ quidem gratia, quod donum, quæ uita æterna, per Chriſtum dominum noſtrum à Deo nobis conceditur, quia ille obedientia ſua hanc uitam nobis promeruit, ſicut Adam ſua inobedientia mortem nobis in pœnam peccati comparauit.

CAPVT SEPTIMVM.

AN IGNORATIS FRATRES (SCIENTIBVS ENIM LEGEM LOQVOR) QVIA LEX IN HOMINE DOMINATVR QVANTO TEMPORE VIVIT?

Propoſuerat paulo ſupra, eis non eſſe peccandum, quia non erant amplius ſub lele, ſed ſub gratia conſtituti; & quòd non eſſet eis peccandum, multis rationibus comprobauerat. Nunc autem oſtendit, & probat, quòd ipſi non ſunt amplius ſub lege, ſed ſub gratia, & dicit. Vere dixi uobis, ut in hoc ſtatu gratiæ non debeatis amplius peccare, quia non eſtis amplius ſub lege: liberati enim eſtis ab illa, quia finita eſt, & terminata: Et ideo non debetis ignorare hoc, quod dico. Quòd omnis lex tamdiu in hominibus dominatur, & tamdiu poteſtatem habet, ut ei obediamus, quamdiu ipſa lex uixerit, & in ſtatu, ac robore ſuo permanſerit: Et iccirco cum ipſa mortua fuerit, non dominabitur amplius; ſed liberos, ac ſolutos dimittet eos, qui legi (dum ipſa lex uiueret) paruerunt. Hoc

quidem

quidem uos Iudæi præcipue non debetis ignorare, quia uobis tāquam cognoſcentibus legem loquor. Pro lege, hic Apoſtolus non intellexit tantum legem Moyſi; Sed communiter omnem legem; quia hoc, quod uolebat in una ſpeciali lege oſtendere, exemplo omnis legis debuit declarare.

NAM, QVAE SVB VIRO EST MVLIER, VIVENTE VIRO, ALLIGATA EST LEGI: SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, SOLVTA EST À LEGE VIRI. IGITVR, VIVENTE VIRO, VOCABITVR ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO: SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, LIBERATA EST À LEGE VIRI, VT NON SIT ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO.

P*robat nunc, quod propoſuerat, ſcilicet tamdiu uiuere legem in homine, quādiu ipſa lex fuerit; & adducit exemplū de lege matrimonij dicens. Dixi uobis, quòd tamdiu lex ipſa, quæcunque fuerit, poteſtatem habet in homine, quamdiu ipſa lex fuerit uiua, quod perſpicue uidere poteſtis ex lege matrimonij. Nam mulier, quæ ſub uiro eſt, uiuente uiro, ita alligata eſt legi matrimonij, ut non poſſit ab eo ſeparari: Sed, ſi uir ipſius mortuus fuerit, ſoluta eſt à uiro, & liberata ab ipſa lege matrimonij. Hoc igitur modo, non ſolum ſoluta eſt mulier, mortuo uiro, ab ipſo uiro, & ab ipſa lege matrimonij; ſed ipſa lex etiam matrimonij in ſuperſtite muliere mortua eſt, quia non habet amplius uim matrimonij in illa. Hoc eodem quoque modo dicendum eſt de lege Moyſi: Ipſa enim, quamdiu uiua fuit, debuit ſeruari: Si uero mortua fuerit, homo ſolutus eſt ab illa. Et, ſicut mulier uiuente uiro, ſi cum alio uiro iungeretur, adultera uocaretur; ita quoq; uos, ſi, uiuente lege Moyſi, legi Ieſu Chriſti adhæſiſſetis, adulteri appellaremini: Et ſicut mortuo uiro, ſoluta eſt, ac liberata mulier à lege uiri, ita, ut libere, ac ſine peccato, cui uelit, poſſit coniungi, nec propter hoc adultera nominabitur: Hoc eodem quoq; modo, cum ipſa lex Moyſi mortua ſit, ac extincta, uos poteſtis libere, ac ſine peccato adhærere legi Chriſti, & eidem coniungi, nec propter hoc adulteri uocabimini. Per hoc uero exemplum uoluit Apoſtolus oſtendere, Iudæos ſolutos eſſe à lege Moyſi, non autem à lege naturæ. Sicut mulier, mortuo uiro, ſoluta eſt à lege uiri; non autem à lege naturæ. Nec obſtat, ſiquis obijceret, quòd in lege ſcripta, etiam morte uiri non interuenientе, ſoluebatur matrimonium, ſicut patet de libello repudij: Non obſtat (inquā)* Deuthe. 24.

Math. 19. hoc, quia (ut ueritas dixit) illud fuit permiſſum ad duritiem cordis eorũ, quod tamen ab initio non fuit ſic obſeruatum. Apta autem fuit comparatio legis matrimonij introducta ab Apoſtolo ad probandũ, quod propoſuerat de lege Moyſi; Quia Iudæi nullo modo ſine peccato ab ea lege ſe poſſe diuelli arbitrabantur, quod ſi feciſſent, ſe tanquam adulteros fore ſuſpicabantur. Quod falſum eſſe non modo per ea, quæ dicta ſunt, ſed etiam per ea, quæ infra explicabuntur, copioſe demonſtrabitur.

ITAQVE FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPVS CHRISTI, VT SITIS ALTERIVS, QVI EX MORTVIS RESVRREXIT, VT FRVCTIFICETIS DEO.

Ex ſimilitudine iſta declarat, quòd quãquam Iudæi relicta eorum lege adhæſiſſent alteri legi nouæ, quam Chriſtus inſtituit, neque peccabant, neque adulteri appellari poterant. Dicit itaque, ſi uiuente uiro ligata eſt mulier, & illo mortuo ſoluta eſt; pari etiam modo uos Hebræi mortificati eſtis legi per corpus Ieſu Chriſti; quia quando Ieſus Chriſtus mortuus fuit in cruce, tunc etiã lex ueſtra mortua fuit, quia terminata fuit, atque conſumata. Lex enim Moyſi ordinabatur ad Chriſtum, ſicut ad finem, ut tamdiu illa permaneret, quamdiu Chriſtus uiueret: unde illo mortuo, ipſa quoque lex mortua fuit. Quare conſequenter, ſi ipſa mortua fuit, uos etiam ipſi legi mortificati eſtis, & per mortem, & extinctionem ipſius ſoluti ab illa; Sicut mulier mortuo uiro, mortificata eſt legi matrimonij, quia ſoluta eſt ab illa; & ſicut mulier mortuo uiro poteſt licite, cui uoluerit, alteri coniungi, & adhærere; Ita quoque & uos, cum lex ueſtra per corpus Chriſti mortua fuerit, licite alterius, ideſt Chriſti, eſſe poteſtis, qui reſurrexit à mortuis, & ſine peccato eidem poteſtis coniungi, & adhærere: Nã ſicut mulier, uiro ſuo mortuo iungitur nouo uiro, ut fructificet, fœtusq; nouos producat, quoniam ad hunc finem matrimonium eſt inſtitutum; Ita quoq; & uos Chriſto coniungi debetis, ut in hac noua lege, Deo fructificetis; cum iſte ſit finis huius coniunctionis, ut opera uitalia, & non mortifera, qualia olim in lege ueteri operabamini, faciatis.

CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE PASSIONES PECCATORVM, QVAE PER LEGEM ERANT, OPERABANTVR IN MEMBRIS NOSTRIS, VT FRVCTIFICARENT MORTI.

Vere

Vere Deo fructificare debetis, quia ſub priori illo ſtatu legis conſtituti non uitæ, ſed morti fructificabatis. Nam cum eſſemus in carne, ideſt in ſtatu legis; quem carnalem appellauit; quia non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum concupiſcentias carnis uiuebant; ſicut ipſe Corinthijs dicebat. In carne uiuentes non ſecundũ carnem militamus, ſed in ſpiritu. Cum itaque eſſemus in carne, & ſecundum carnem uiueremus, paſſiones peccatorum, ideſt affectiones, ac deſideria diuerſarum partium appetendi ipſius ſenſus, quæ nos ad peccandum pertrahunt, per occaſionem legis excitatæ operabantur in mẽbris noſtris opera digna morte, quoniam ipſæ concupiſcentiæ malæ ſenſus mouebant membra noſtra, ac ſi eſſent arma iniquitatis, ut per illa faceremus opera digna ſempiterna damnatione; Dixit. CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE. Ideſt quando carni, & concupiſcentijs illius, & non ſpiritui, ſeruiebamus. Dixit etiam. PASSIONES PECCATORVM. Sicut enim tota uis ſenſus appetendi peccatum eſt, ita etiam diuerſæ partes, quibus ſecundum eundẽ ſenſum diuerſa appetimus, peccata ſunt. Alia enim pars ſenſus eſt, qua ulciſci de inimicis optamus. Alia, qua uoluptates concupiſcimus. Et propterea, ſicut ſupra Apoſtolus totam uim illam appetendi ſenſus, peccatum appellauit, ita nunc diuerſas eiuſdẽ partes peccata nominauit. Quorum quidem peccatorum appetitiones, aut affectiones, paſſiones nuncupauit, non modo quia quadam paſſione afficiunt mẽbra, & ſubiecta, in quibus ſunt; Sed etiam, quia paſſio trahit paſſum extra naturam ſuam. Huiuſmodi autem affectus trahunt hominem extra naturam ſuam, quia uiuentes ſecundum carnem, & non ſecundum ſpiritum, ac rationem, non homines, ſed animalia bruta dici merentur. Itaque, cum in ſtatu legis ſecundum carnem, & non ſecundum ſpiritum uiueremus, morti fructificabamus; quoniam diuerſa genera ſcelerum operabamur, quibus morti, et dãnationi æternæ obnoxij efficiebamur. 2. Cor. 10.

NVNC AVTEM SOLVTI SVMVS À LEGE MORTIS, IN QVA DETINEBAMVR, ITA VT SERVIAMVS IN NOVITATE SPIRITVS, ET NON IN VETVSTATE LITERAE.

Si itaq; in lege ueteri morti, & non Deo fructus faciebamus, propter hoc, quòd ipſæ affectiones peccatorum illæ eſſent, quæ in membris noſtris operarentur fructus mortis, & ſic membris noſtris uterentur, ut morti, & non uitæ fructus faceremus. Nunc uero in hoc ſtatu gratiæ, in quo uiuimus, liberati, ac ſoluti ſumus à lege mortis, ideſt ab antiqua lege, quam legem mortis appellauit;

in qua detinebamur mortui peccato, nec ab illo reſurgere poteramus; quia ex ſola gratia Dei uitam æternam conſequimur, quæ per Chriſtum facta fuit: & licet in hoc etiam ſtatu paſſiones, & affectiones peccatorum uigeant; quia etiã in nobis ira, concupiſcentia mala, reliquæq; carnis cupiditates exiſtunt, quia tamen Chriſtiano uita traducenda eſt in ſpiritu, ac ratione; quibus uirtutibus ſupprimuntur cupiditates, extinguũturq; libidines: Iccirco illæ ad mortem nos non conducunt. Soluti igitur ſumus à lege illa mortis non aliam ob cauſam, niſi ut ſeruiamus Deo in nouitate ſpiritus. Ille autem in nouitate ſpiritus Deo ſeruit, qui ſpiritualiter præcepta legis cuſtodienda eſſe arbitratur, & non carnaliter; ſicuti, qui circuncisionem ſpiritualiter ſeruat circuncidendo cor ſuum à uitijs, & concupiſcentijs, & non ſeruiens Deo in uetuſtate literæ, quam Iudæi obſeruandã putabant, qui circunciſionem carnalem obſeruabant, & ſe per illam ſaluandos eſſe cenſebant. Soluti igitur ab illa lege mortis pareamus Deo in nouitate ſpiritualis uitæ, ut præferamus ſpiritualia carnalibus, & iam effœtam, atque emortuam uetuſtatem illam literæ, tanquam carnalem, relinquamus; quia, ſi in ea permaneremus, non uitam, quàm optamus, ſed magis mortem, quam uitare debemus, conſequeremur.

QVID ERGO DICEMVS? LEX PECCATVM EST? ABSIT: SED PECCATVM NON COGNOVI, NISI PER LEGEM: NAM CONCVPISCENTIAM NESCIEBAM, NISI LEX DICERET. NON CONCVPISCES.

Quia dixerat Apoſtolus, paſſiones peccatorum per legem eſſe, deinde ipſam legẽ, mortis legem nominauit; Propter hoc uideri poſſet alicui, quòd Apoſtolus improbauiſſet legem: & ideo ſibi ipſi uoluit occurrere in ea re, in qua reliquos omnes dubitare poſſe intelligebat. Dicit itaque, ſi ea, quæ nunc de lege diximus uera ſunt. Quid dicemus igitur ex his uerbis, quia dixi, paſſiones peccatorũ eſſe per legem, & legem ipſam eſſe legem mortis? dicemus, ne propterea, quòd lex ipſa peccatum ſit? Sed abſit, quòd lex ipſa peccatum exiſtat; quia ſancta eſt in ſe ipſa, ac bona lex; & ideo neque eſſe, neque dici peccatum poteſt: At quàuis ipſa peccatum non ſit, peccati tamen nobis cognitionem attulit; Quia quædam ante legem neſciebantur eſſe peccata; Nam concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex ipſa concupiſcentiam uetuiſſet, tãquam peccatum. Lex enim dicit. Non concupiſces. Lex igitur non eſt peccatum, ſed eſt manifeſtatrix peccati: Neque etiam data fuit, ut per eam peccatum augeretur; quia non dicit.

peccatum

peccatum non feci, niſi per legem: Neque etiam data fuit, ut peccatum ipſum tolleretur, quia lex gratiam non conferebat, per quàm peccata diluuntur, ſed data ſane eſt ut peccatum nobis indicaret. Ideo dicit, neſciebam concupiſcentiã, ſcilicet peccatum eſſe, niſi lex diceret. Non concupiſces. Nam ante legem concupiſcentia uidebatur eſſe naturale quoddã deſiderium ſine peccato: Ita, quòd unus quiſque ſine peccato uidebatur poſſe aliorum bona, ut uxores, ſeruos, ancillas, & ſimilia alia concupiſcere: Sed aduenientelege declaratũ fuit, quòd concupiſcere talia eſſet peccatum. Tamen conſiderandum eſt, quòd multa fuerunt ante legem cognita eſſe peccata, quia multa fuerunt à Deo punita, ſed nunquam ante legem concupiſcentia cognita fuit eſſe peccatũ. Lex igitur illud, quod homines iudicabant eſſe naturale, indicauit nobis eſſe peccatum: Et ſic non modo effectus ille malus, ſiue actio illa praua, qua aliorum bonis fruimur; Sed etiam affectus ille concupiſcendi, & deſiderium illud res aliorum habendi, tãquam illicitum, quoddam per legem nobis eſt interdictum; & hoc eſt, quòd ueritas dicit. Siquis uiderit mulierem, & in corde ſuo concupiuerit illam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Ante igitur legem concupiſcentia erat, quæ quidẽ non peccatum, ſed naturale quoddam deſiderium eſſe iudicabatur. Lex igitur, quæ declarauit talem concupiſcentiam eſſe peccatum, eſt indicatrix tantum peccati, non autem eſt ipſum peccatum. Recte igitur per legem fuit cognitum peccatũ; non modo quia lex dixit, et indicauit concupiſcentiam eſſe peccatum; ſed quia etiam naturaliter omnis priuatio per habitum cognoſcitur. Lex enim ut quidam habitus eſt; Peccatum autem omne ut priuatio eſt: & ideo peccatũ per legem manifeſtatum eſt. Sed animaduertendum, non omnem concupiſcentiam peccatum eſſe, ea nãque cum motus quidã naturalis ſit, qui in noſtra poteſtate non exiſtit, peccatum eſſe non poteſt. Sed illa concupiſcentia peccatum eſt, quæ cũ iudicio, & deliberatione conceperit aliquid contra rationem eſſe faciendum; Quẽadmodum Iacobus Apoſtolus ſentire uidetur.

Math. 5.

Iac. 1.

OCCASIONE AVTEM ACCEPTA PECCATVM PER MANDATVM OPERATVM EST IN ME OMNEM CONCVPISCENTIAM.

Licet lex peccatum non ſit, ſed tantum ipſius peccati manifeſtatrix; & licet etiã ipſa principaliter data non ſit, ut peccata operetur: immo magis, ut ipſa ſcelera corripiat, & peccata caſtiget. Peccatum tamen, ideſt uis illa tum ſenſus, tum etiam carnis concupiſcendi per mandatum legis, quod prohibet, nos alienas

res concupiſcere, occaſionem accepit, ut in me omnium rerum uetitarum concupiſcentiam ſuſcitaret: In me(inquam)homine ſimpliciter, quandoquidem non in ſua, ſed in omnium hominum perſona loquitur Apoſtolus. Augetur enim deſiderium, & concupiſcentia peccandi, ubi lex per mandatum ſuum peccandi deſiderium, ac concupiſcentiam coercet, & uetat. Naturaliter enim unumquodq; contrarium excitatur ad repellendum alterũ contrarium: Sicut uidemus in qualitatibus elementorum. Cum autem ante legem impune uideremur habuiſſe libertatem, concupiſcendi, per mandatum deinde legis fuerit concupiſcentia ipſa tãquam peccatum interdicta: Naturaliter igitur uis ipſa concupiſcendi, per mandatum legis prohibentis concupiſcentiam, occaſionem accepit in ſuum contrariũ; ut ſcilicet appeteremus priorem illam concupiſcendi libertatem. Hoc itaque modo occaſione accepta per mandatum legis, appetitus carnis omnia genera concupiſcentiarum in me homine ſuſcitauit, et inflammauit. Sed non ſine ratione aliquis poſſet dubitare, & dicere, quòd non apparet,peccatum ex præcepto legis accepiſſe occaſionem, excitandi, aut inflammandi hominem ad omnem concupiſcentiam; Cum etiam ante legem ſemper fuiſſet in homine deſiderium, & uis concupiſcendi, quæ illum excitabat ad concupiſcendum res aliorum. Cui dubitationi reſpondemus(ut paulo ante dixiſſe uidemur) Quòd quãuis ante legem ſemper fuerit in homine talis uis concupiſcendi, quam peccatum nominamus, ipſa tamen quaſi ſepulta, ſiue ſopita iacebat; quia nulla erat lex, quæ hominẽ proximi ſui res deſiderare prohiberet. Vbi uero lex ipſa promulgata fuit, quæ hominẽ res alienas concupiſcere uetuit, ſtatim propter eam rationem, quam modo diximus, uis ipſa concupiſcendi uehementius ſuſcitata fuit, quæ per mandatum legis occaſionem accepit, ut ardentius deſideraret prohibita poſt editam legem, quàm ante ſoleret. Fuit itaque etiam ante legem concupiſcentia, & peccabant, qui concupiſcebant, licet ignorarent, ſe peccare concupiſcendo. Sed poſt legem datam grauius peccauerunt, quia tunc concupiſcentes, non modo peccabant, ſed etiam, dum concupiſcerent, peccare ſe cognoſcebant. Poſſet iterum aliquis dubitare, cur fuerit,quòd concupiſcentia in lege naturæ inter peccata non ſit cõnumerata, ſicut deinde fuit in lege ſcripta. Cui quæſtioni reſpondetur, quòd in lege naturæ homines illud ſolum peccatum putabant eſſe, quod exteriori opere perficeretur: & ideo cogitationes, & concupiſcentias, cæteroſq; interiores animi affectus peccata eſſe non arbitrabantur. Lex uero non modo opera ipſa, ſed etiã principia operum, ueluti cogitationes, & affectus determinatos, et definitos peccata eſſe putauit; & propter hoc tam opera mala, quàm eorum principia, quæ ſunt affectiones, & concupiſcentiæ, peccata eſſe indicauit, & ob hanc cauſam utraque tanquam peccata prohibebat.

Sine lege

SINE LEGE ENIM PECCATVM MORTVVM ERAT, EGO AVTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQVANDO: SED, CVM VENISSET MANDATVM, PECCATVM REVIXIT: EGO AVTEM MORTVVS SVM, ET INVENTVM EST MIHI MANDATVM, QVOD ERAT AD VITAM, HOC ESSE AD MORTEM. NAM PECCATVM, OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATVM, SEDVXIT ME, ET PER ILLVD OCCIDIT.

Vere peccatum per mandatum legis accepit occaſionem operandi omnem concupiſcentiam, & malam affectionem in homine, quia ipſum peccatũ ſine lege mortuum, & extinctum erat; Propterea quòd non incitabat, nec inflãmabat carnem per prohibitionem illam, quam lex ipſa præcipiebat, cum noſtra hæc humana natura huiuſmodi ſit, ut maiori cupiditate affectet ea, quæ prohibita ſunt, quàm ea, quæ nulla lege uetantur. Mortuum itaque ſine lege peccatum erat, quia ante legem non habebat operationem excitandi hominem. Id enim proprie mortuum eſſe dicimus, quod propria caret operatione. Sicut igitur peccatum erat ante legem, quãquam mortuum eſſet: Ita etiam ego homo aliquãdo uixi ſine lege (homo enim ſecundum diuerſorum temporum conditiones aliquando ſine lege uixit.) Quare ego homo, non ego Paulus, uixi aliquando ſine lege: Conſtat enim non modo Paulum uixiſſe, ſed natum ſub lege fuiſſe; Sed ego homo, ſimpliciter acceptus pro homine, uixi aliquando ſine lege, quia aliquis homo huiuſmodi fuit ſine lege aliquando; ſicuti quando uiuebatur in ſtatu naturæ, in quo quidem ſtatu peccatum mortuum erat, quia non ita excitabat homines ad concupiſcendum. Verum ubi lex ipſa ſcripta promulgata fuit, ſtatim peccatũ, & concupiſcentia, quæ ante mandatum mortua erat, reuixit, quia incitauit hominem, ut ardentius concupiſceret. In lege itaque naturæ, quia nullum legimus fuiſſe mandatum homini datum, et quia homo in eo ſtatu ſine mandato uiuebat, propterea concupiſcentia non mouebat, non excitabat, ut contra mandatũ, quod tunc nullum erat, inſurgeremus; & hac ratione, tãquam mortua concupiſcentia putabatur. Sed cum ueniſſet lex, ſimul iterum uenit etiam mandatum, & ſic reuiuiſcente mandato, reuixit iterum peccatum, & concupiſcentia. Quare ſecundum diuerſas temporum conditiones homo ſine lege, idemq; cum lege uitam duxit; Quoniam in ſtatu illo priori, ante mandatum legis ſcriptæ, homo ſine lege uiuebat: poſt uero mandatum datum cum lege uitam egit, quæ ipſum ad

peccandum incitabat. Cum autem pœna peccati mors ſit, homo ſubito ſe morte affectum eſſe cognouit, ut ſe transgreſſorem legis factum, peccato extimulante, eſſe intellexit. Itaque mandatum, quod fuit homini datum ad uitam conſequendam, inuentum fuit eidem mortem attuliſſe. Si enim homo mandatum ſibi à Deo datum ſeruauiſſet, hoc utique mandatum ſeruatum, illi uitã attuliſſet; Quod cum homo uiolaſſet, mortem peperit. Itaque mandatum ſeruatum conducebat hominem ad uitam, neglectum trahebat ad mortem. Nam peccatũ, & concupiſcentia carnis accepit occaſionem per mandatũ uehementius extimulandi, atque inflammandi hominem ad ea operanda, quæ ſibi per mandatum prohibebantur. Ex præcepto enim legis cœpit in homine naſci appetitus concupiſcendi ea, quæ ſibi per mandatum interdicta erant: et ſic idem peccatũ ſeduxit hominẽ, et ſeorſum traxit à recta uiuendi uia, eumq; propterea uita ſpoliauit.

ITAQVE LEX QVIDEM SANCTA, ET MANDATVM SANCTVM, ET IVSTVM, ET BONVM. QVOD ERGO BONVM EST, MIHI FACTVM EST MORS? ABSIT. SED PECCATVM, VT APPAREAT PECCATVM, PER BONVM OPERATVM EST MIHI MORTEM, VT FIAT SVPRA MODVM PECCANS PECCATVM PER MANDATVM.

Si igitur mandatum fuit homini datum ad uitam, et non ad mortem, lex ergo ipſa certe propter hoc tam ſalutare mandatum ſancta eſt, ac ab omni immunditia & ſceleritate aliena; & non modo lex ipſa munda eſt, ſed etiam mandatum ipſius pari conditione mundum eſt, ac ab omni ſcelere remotum, quod æquum etiam eſt, quia illud nihil aliud præcipiebat, quàm, ut homo ſuo creatori pareret. Quid enim iuſtius eſſe poteſt? quàm, ut creatura obediat ſuo creatori? & mandatum etiã bonum fuit, quia homo per obſeruantiam ipſius mortem uitauiſſet, & uitam conſecutus fuiſſet. Quare lex ipſa non modo ſancta, ſed etiam eius mandatum, & ſanctum, & æquum, & bonũ exiſtit; Si igitur mandatum ipſius & ſanctum eſt, & bonum, Quid dicemus? Quod ergo bonum eſt, factum eſt mihi mors? Ideſt nunquid mandatũ, quod fuit mihi datum, ut bonum, &, ut mihi daret uitam, datum fuit, tãquam malum, &, ut mihi mortem afferret? Abſit. Quaſi diceret non credamus, ut id, quod ſecundum naturam ſuã bonum eſt, & dans uitam, ſit aut eſſe poſſit cauſa mali per ſe, ac etiam mortis; quia non mandato ſancto, ac bono, ſed transgreſſione boni

ne boni mandati, morte mulctatus fui: & ſic mandatum non fuit mihi cauſa mortis, ſed peccatum ipſum, quod me fecit mandatum non obſeruare, fuit mihi cauſa damnationis, & mortis. Et ideo peccatum, ut appareat eſſe peccatũ, per bonum omiſſum, et per mandati boni transgreſſionem, mortẽ mihi eſt operatum. Sicut enim lex in eo maxime apparet, quòd rationem legis habere in ſe uideatur, quia ſancta, æqua, ac bona mandata iubet obſeruari, & ſeruatores eorũdem ad uitam conducit: Ita peccatum, ut appareret peccatum, extimulauit hominẽ, ut transgrederetur mandatũ legis; et ſic hominẽ per eam transgreſſionem ad mortem traxit ſempiternam, & ita per bonum mandatum peccatũ ipſum homini mortem intulit; Vt per mandatum transgreſſum, peccatũ ipſum, & concupiſcentia carnis ex noſtra imbecillitate ſupra modum, ideſt multo grauius, quàm ante legem, & antequam mandatum legis datum eſſet, peccaret: Grauius enim poſt legem datam homines peccauerunt, quàm ante legem; quia quando homines ante legem peccabant, non dicebantur præuaricatores, ſicut poſt legem datam. Sed aliquis poſſet dubitare, quomodo peccatum poſt mandatum legis operatum eſt mihi mortem? non'ne mors erat ante legem, cum regnauerit mors ab Adã, uſque ad Moyſem? Cui dubitationi reſpondemus. Quòd Apoſtolus non loquitur hic de ea morte corporis, qua affecti ſumus propter peccatum Adæ, ſed magis loquitur de morte illa animæ, quæ damnatio appellatur, quia per transgreſſionẽ legis damnamur. Iccirco paulo ſupra dixit, quòd ueniente lege peccatum abundauit. Quapropter neceſſe fuit, ut mors ipſa, quæ eſt pœna peccati, copioſius abundaret. Nec obſtare uidetur, quòd utraq; morte uideremur affecti, quoniam, etſi ſpiritualis mors, quæ eſt priuatio uiſionis Dei, communis eſſet omnibus hominibus, non tamen omnes homines pœna ſenſus erant afficiendi, ſed illi tantum hac pœna puniebantur, qui contra ius naturæ feciſſent, uel præcepta legis non obſeruaſſent. Et licet mors regnauerit ab Adam uſque ad Moyſem, non fuit tamen ante legem tam ſæua mortis damnatio, quia peccatum prohibitum per legem, quando perpetratur, & ratione ſui, & ratione legis prohibentis grauius damnat. Ideo Apoſtolus dixit, ut fiat peccatum peccans ſupra modum per mandatum; Nam, qui poſt legem peccant, non modo contra legem naturæ, ſed etiam contra legem ſcriptam peccãt. Et ſic mors, non modo fuit ab Adam uſque ad Moyſem, ſed à Moyſe uſque ad Chriſtum, quia ex ijs, quæ diximus, apparet grauiorem mortem fuiſſe ſecutam poſt quàm ante legem, quia homines poſt legem grauius peccabant: Et quia Iudæi confidebant, ſe poſſe per legem ſuam ſaluos fieri, ut arrogantiam eorum reprimeret, dixit, quòd per mandatum legis, non modo peccatum non fuit abolitum, ſed per illud reuixit; & quòd, per mandatum, peccatum mortẽ ho-

mini attulit, & quòd homines multo grauius poſt legem peccauerunt, quàm ante illam, & ita minus poſt legem, quàm ante, ſalutem conſequi potuerunt.

SCIMVS ENIM QVOD LEX SPIRITVALIS EST, EGO AVTEM CARNALIS SVM VENVNDATVS SVB PECCATO. QVOD ENIM OPEROR NON INTELLIGO: NON ENIM, QVOD VOLO BONVM, HOC AGO: SED QVOD ODI MALVM, ILLVD FACIO.

Vtique lex quidem ſancta eſt, atque munda, quæ non poteſt per ſe operari nobis mortem; quia non modo ego (inquit Apoſtolus) ſed nos etiam omnes homines cognoſcimus, quòd ea ipſa ſpiritualis eſt, quæ ſpiritũ ac mentem hominis, ad Dei cultum, eleuat, & ad dilectionem proximi inducit: Quòd igitur huiuſmodi eſt, non poteſt nobis mortẽ generare; Ideo mors non irrupit in nos, propter legem, ſed propter peccatum, quod fecit hominem transgredi legem. Sed quãuis lex quidem ſpiritualis ſit, & uoluptates carnis ſequi nos uetet: ego autẽ homo carnalis ſum, totuſq; ſecundum carnem legi ipſi contrarius, quia uoluptatibus mortiferis, & carnis incentiuis conſentio; & non modo carnalis ſum, ſed uenundatus ſub peccato, & ſub appetitu, et concupiſcentia carnis. Quòd autem homo carnalis ſit, & uenundatus ſub peccato, probat ex hiſce uerbis, quibus dicit. QVOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO, NON ENIM QVOD VOLO BONVM, HOC AGO; SED QVOD ODI MALVM, ILLVD FACIO. Sed, antequam ad expoſitionem eorum uerborum accedamus, ſciẽdum eſt, quòd Apoſtolus hominem ipſum in duos homines ſecundum diuerſas ipſius uirtutes, atq; potentias in hoc eodem capite diſtinguit. Alterũ enim uocat exteriorem, & carnalem: Alterum interiorem, & ſpiritualem. Eum enim hominem appellat carnalem, & exteriorem, qui ſecundum eam partem animæ uiuit, quæ ſenſitiua eſt, quæ in uoluptatibus, & concupiſcentijs carnis uiuit, & oblectatur. Is igitur, qui præfert uoluptates carnis cœleſtibus, et ſpiritualibus bonis, homo exterior eſt, atque carnalis. Illum uero hominem appellat interiorem, atque ſpiritualem, qui ſecundum aliam partem animæ, quæ rationalis, ac intellectualis eſt, uiuit. Qui enim illecebras carnis ſpernit, menteq;, ac ſpiritu uitam traducit, is utique interior homo eſt, atque ſpiritualis. His itaque declaratis, probat primo Apoſtolus, quòd homo in ſtatu legis carnalis eſſet, dicens. Ideo enim ego homo in hoc ipſo ſtatu carnalis ſum, quia id, quod ſecundum appetitum

titum carnis operor, non intelligo, hoc eſt non dijudico ex intellectu, ac ratione eſſe faciendum. Vnuſquiſq; enim carnalis eſt, qui eas operationes facit, quas ratio, & intellectus dijudicat non eſſe peragendas. Itaque cum homo in illo ſtatu legis eiuſmodi operationes faceret, conſentaneũ igitur eſt, ut homo in eo ſtatu carnalis eſſet, & appellaretur. Probat deinde, quòd homo in eodem ſtatu ſub peccato uenundatus eſſet, ex eo, quòd bonum illud opus, quod facere uolebat, ut legi pareret, agere non poſſet: Quin magis illud opus, quod oderat, iniuſtumq; putabat, facere compelleretur. Animaduertendum itaque eſt, quòd ſola uoluntas, ac ratio in homine libera eſt; Sicuti tota uirtus ſenſitiua ex neceſſitate ſeruit carni, & uoluptatibus ipſius: ut enim oculus ex neceſſitate quadam naturali uidet colorem, atque auris audit ſonum; Ita uis concupiſcendi, quam Apoſtolus peccatum appellat, neceſſitate quadam mouetur à rebus delectabilibus. Niſi enim oculus à ratione regeretur, et guſtus ab eadem coerceretur, uterque facillime traheretur à cupiditate earum rerum, quibus utrunque corũ neceſſario moueri uidemus. Itaque, cum nulla ſit libertas in concupiſcentia, nemo mirari debet, ſi homo in ſtatu legis, in quo ſecundum carnem uiuebat, uenundatus eſſet ſub peccato. Propter enim peccatum Adæ facti fuimus omnes, ſicut ipſe factus fuit transgrediendo mandatum, ſerui peccati; Quia ille peccato ſuo conduxit nos in iram Dei, & captiuitatem, ut ſub iugo peccati, ueluti ſerui, ac uenditi detineremur, à qua nullus poterat nos liberare, niſi ſolus Filius Dei morte ſua. Iccirco dicebat. Si Filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Carnalis itaque non modo factus ſum, quia ea, quæ facio rationi contraria ſunt; ſed etiam ſub peccato uenundatus ſum, quia malum, quod odi, facere compellor; & bonum, quod facere cupio, perficere non poſſum. Vendidit enim me prius parens noſter Adam inobedientia ſua: Vendidit (inquam) me carni, & illius concupiſcentijs, ut ſub peccato, et appetitu illius eo modo ſim, quo uẽditi ſerui eſſe ſolent ſub dominis, quibus uenditi ſunt. Vt enim ſerui uenditi nõ faciunt ea opera, quæ ipſi uellent, ſed, quæ Domini ſui cupiunt: Ita ego carni, atque peccato uenditus non poſſum bonum præſtare, quod uellem, ſed magis facio malum, quod peccatum ſuadet eſſe faciendum; Quoniam illi uenditus ſum, & ſub poteſtate illius poſitum me eſſe cognoſco. Vt enim primus parens nos uendidit ſua inobedientia; Ita Chriſtus nos ſua obedientia redemit. Iccirco Apoſtolus Corinthijs dicit. Empti eſtis pretio magno. & Petrus prima ſua Epiſtola dicit. Scientes, quòd non corruptibilibus auro, uel argento redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti: Ille enim ſoluit pretium noſtræ uenditionis, ne amplius ſub peccato, tanquam uenditi detineremur, ſed liberi facti à ſeruitute pec-

Ioan. 8.
1. Cor. 6.
1. Petr. 1.

cati non amplius carni, ſed ſpiritui uiueremus.

SI AVTEM QVOD NOLO, ILLVD FACIO, CONSENTIO LEGI, QVONIAM BONA EST.

Concludit, quod ſupra propoſuerat, legem eſſe ſanctam, & bonam, dicens, ex eo, quòd ea, quæ facio ſecundum carnem, ſunt contraria his, quæ facio ſecundum intellectum, ac uoluntatem: ea autem, quæ ſecundum carnem facta ſunt, mala eſſe uidentur: Quare neceſſarium eſt, ut ea, quæ ſecundum intellectum, ac uoluntatem fiunt, bona ſint: Cum autē hæc eadem etiam lex præcipiat fieri, neceſſarium igitur erit eadem ratione, ut lex quoque bona exiſtat. Quáquam igitur homo ſecundum carnem uenundatus ſit ſub peccato, liber tamen eſt propter intellectum, & uoluntatem; quia neutra iſtarum potentiarum ab Adam per originationem carnis deſcendit, quia nulla earum eſt actus corporis, ab illo dependens.

NVNC AVTEM IAM NON EGO OPEROR ILLVD, SED, QVOD HABITAT IN ME, PECCATVM: SCIO ENIM QVIA NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA, BONVM. NAM VELLE ADIACET MIHI, PERFICERE AVTEM BONVM NON INVENIO; NON ENIM, QVOD VOLO BONVM, HOC FACIO; SED, QVOD NOLO MALVM, HOC AGO. SI AVTEM, QVOD NOLO, ILLVD FACIO, IAM NON EGO OPEROR ILLVD; SED, QVOD HABITAT IN ME, PECCATVM.

Itaque ſi ſecundum carnem facio malum, quod tamen oderim, ſecundum ſpiritum, ac uoluntatem, conſentio legi propter hoc, quòd bona ſit, ac ſancta. Nunc iam enim ex his, quæ diximus, ego homo interior, & ſpiritu uiuens non operor, & non facio illud malum, quod eſt contrarium legi, ſed concupiſcentia, & peccatum, quod in carne mea habitat, ac permanet, malum illud, quod à lege prohibitum eſt, operatur. Illud autem peccatum, quod in carne noſtra habitat, eſt ille appetitus, de quo dixit Dominus ad Caim. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius; ſiue eſt ille ſenſus, & illa cogitatio

Gen. 4.

hominis,

hominis, quæ prona eſt ad malum ab adoleſcentia ipſius. Hunc igitur ſiue appetitum, ſiue ſenſum, ac cogitationem ipſius hominis Apoſtolus modo peccatum, modo legem membrorum, modo prudentiam carnis, modo ſtimulum, modo etiam concupiſcentiam appellat. Appellat autem hanc carnis concupiſcentiā, peccatum, quia inclinat homines ad peccandum: Hoc autem permanet in carne, quia appetitus ſenſitiuus eſt potentia indefinita, & in certa parte corporis ſita; quod de intellectu nec dici, nec fingi poteſt. Quod peccatum tādiu in homine permanet, quādiu perſtiterit caro ipſius, quia ipſa ſubiectum eius exiſtit: Ideo etiam in baptizatis perſeuerat hoc genus peccati, & in his etiam, qui ſancti, & perfecti homines nominātur. Et quòd in carne mea habitet peccatum, probat ex hoc, quòd bonum nullum, ideſt nulla uis, & facultas appetendi bonum ſita eſt in carne mea, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritū, quæ terrena amat, & cæleſtia aſpernatur. Omnis enim uirtus, quæ in carne eſt, ſenſitiua eſt: Senſus autem, & cogitatio hominis prona eſt, ad malum ab adoleſcentia noſtra; Ideo ſecundum eam homo non poteſt operari bonum, quia talis uirtus non eſt bona, ideſt ad bonum nos ipſos non inducit. Vere autem in me homine (quātum attinet ad partem ſenſitiuā) quod deinde declarauit Apoſtolus dicens. IN ME, *hoc eſt in carne mea bonum non habitat, nam non poſſum perficere bonū, quod appeto, quia quāquam uelle adſit mihi, nihilq; ſit aliud magis in mea poteſtate, quàm uelle bonum, ipſum tamen abſoluere, atque ad intentum finem, quē uoluntas ab intellectu directa optat, perducere non inuenio; quia in lege conſtitutus nullum mihi uidebam præſtitum eſſe adiumentum, ut bonū, quod optabam, facere, & abſoluere poſſem; quia lex ad perfectum ſcilicet finem non ducit quenquam. Propter igitur concupiſcentiam carnis, quæ in membris meis habitat, in ſtatu legis, id, quod appeto bonum, perficere, ac cōplere non poſſum. In hoc enim experior non poſſe me perficere, quod uelim; quia bonū, quod cupio facere, non poſſum perficere; & malum, quod oderim, ago. Si uero quod nolo, hoc facio, cum omnis effectus ab aliqua cauſa fieri uideatur; igitur malum, quod contra uoluntatem meam facio, cum ab ipſa uoluntate non fiat, quia uoluntate conſentio legi, quæ, quia ſpiritualis eſt, malum fieri uetat, neceſſe eſt, ut fiat à peccato, ideſt à concupiſcentia carnis, quæ in me, & in carne mea habitat.*

INVENIO IGITVR LEGEM VOLENTI MIHI FACERE BONVM, QVONIAM MIHI MALVM ADIACET. CONDELECTOR ENIM LEGI DEI SECVNDVM INTERIOREM HOMINEM. VI-

DEO AVTEM ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS REPVGNANTEM LEGI MENTIS MEAE, ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI, QVAE EST IN MEMBRIS MEIS.

Si igitur propter peccatum, atque concupiſcentiam carnis facio illud malum, quod à me fieri nollem, ſatis perſpicue apparet propter hoc, quòd, quia non poſſum operari bonum, experientia ipſa ſentiam, atque inueniam unam aliam legem contrariam ſuperiori legi Moyſi, mihi eſſe impedimento, quominus illud bonum, quòd facere deſiderabam, perficere poſſim, & propter hanc cauſam iſta alia lex mihi uolenti facere bonum reſiſtit, quia concupiſcentia carnis, & peccatum mihi adiacet, inſeparabili uinculo coniunctum, quia in carne, et mẽbris meis, quaſi nidum fecit, ita ut ab illis neque diuelli, neque dimoueri poſſit. Quòd enim ſit una alia lex, quæ mihi ipſi uolenti facere bonum contraria ſit declarat dicens. Ideo eſt quædam lex altera à lege Moyſi mihi uolenti bonum facere contraria, quia legi Moyſi, quæ eſt lex Dei, condelector ſecundum interiorem hominem. Legi enim Dei, quæ præcipit uitia fugere, & uoluptates contẽnere, ſecundum rationem, ac intellectum aſſentior, & aſſentiendo maxima delectatione afficior. Appellauit autem intellectum, ac rationem interiorem hominem, non quòd anima intellectiua ſit unus homo, & ſenſitiua ſit alius homo, ut aliqui putauerunt: Plato enim dixit, hominem animã intellectiuam eſſe; Sed tam intellectus, quàm ſenſus ſunt potentiæ unius animæ intellectiuæ in homine exiſtentis. Appellauit uero intellectum interiorem hominem, quia ab alijs potentijs homo non eſt homo, ſed ſolo intellectu. Ideo autem hominem interiorem tantum, & non exteriorem explicauit, quia proprie ab anima ſenſitiua homo dici non poteſt. Interiorem uero appellauit, non propter operationes intellectus, quæ interiores ſint propter hoc, quòd intellectus nõ utatur organo corporis, & ſenſus utatur corporis inſtrumento, quia utraque operatio tam ſenſus quàm intellectus in utriſque eorum ſubſiſtit, & utraque operatio interior eſt; Sed ideo intellectus homo interior eſt, quia intellectus rebus ſpiritualibus, quæ intra animã ſunt; et ſenſus carnalibus, quæ extra animam exiſtunt, delectantur. Sed quãquam lege Dei ſecundum intellectum delector, uideo tamen alterã legem in mẽbris meis, illam ſcilicet, quæ mihi uolenti bonum facere reſiſtebat, repugnantẽ legi mentis meæ, propter hoc, quòd habent in ſe contrarios affectus iſtæ duæ leges. Nã una lex, quæ eſt mentis, & intellectus, ſpiritualia; Altera uero, quæ eſt membrorum, carnis oblectamẽta deſiderat. Et ideo lex, quæ in membris eſt, repugnat legi mentis, & intellectus propter contrarios ipſarum affectus. Lex

Plato.

etiam mentis, quia hominem à peccato, & malis operationibus auertit, eum liberum facit; Lex uero membrorum, quia hominem ad peccatum inflãmat, illum peccati ſeruum reddit, & captiuum ipſius ſeruituti ſubigit. Quæ lex in membris etiam, & carne hominis habitat, & conquieſcit; tenetq; lex carnis hominem uenundatum ſub peccato, & ſub ſeruitute ipſius, ut bonũ, quod ſecundum intellectum facere exoptat, perficere non poſſit. Sunt itaque quatuor leges; Lex Dei; lex mentis; lex carnis; & lex peccati; Iſte enim leges ſunt ſibi uiciſſim contrariæ; Nam lex carnis, & membrorum repugnat legi mentis propter contrarios utriuſque affectus; Sicut lex peccati repugnat legi Dei, & ſicut lex mentis hominem ſubijcit legi Dei; Ita etiam lex carnis eundem ſubijcit legi peccati. Vtraque autem lex tam carnis, quàm peccati eſt in membris, & in carne hominis conſiſtens; Sed lex illa carnis eſt ipſa naturalis ſenſus, & carnis appetitio, quia etiam in ſtatu ante peccatũ ſenſus delectabatur ſuis obiectis ſenſibilibus. Lex autem peccati eſt ipſa concupiſcentia ſenſus, & carnis repugnans rationi, ac ſpiritui, impediens operationẽ ipſius; ſic, ut non poſſit facere quæcunque deſiderat: & propterea lex carnalis, quia non amplius coercetur à ratione, & ab intellectu, lex peccati facta eſt, quæ repugnat legi Dei, & tenet hominem captiuum, ac ſeruum ſub ſe, ut non poſſit facere, quod uelit bonum, quamdiu in ea lege detinetur.

INFELIX EGO HOMO, QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS? GRATIA DEI PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.

Si itaque ego in ſtatu legis carnalis ſum, ſub peccato, & ſub carnis repugnantia conſtitutus, & uenditus; Si uoluntate conſentio legi, & iudico eã eſſe ſanctam, & mandata eius cupio perficere & obſeruare; ſed non poſſum propter repugnantiam carnis. Si etiam lex carnis repugnans legi mentis meæ ita me tenet ſeruum, ac captiuum in lege peccati, ut quãquam uelim bonum, illud tamen ob impedimentum ipſius carnis perficere non poſſim. O' me igitur infelicem, ac miſerum, qui non modo præcepta legis perficere non poſſim, ſed ita ſub lege peccati mancipatum me uideã, ac ſi in carcere incluſus eſſem. Infelix igitur ſum, non mente, quia per illam conſentio legi Dei, & uolo bonum. Sed infelix corpore, & carne, ac membris, quia in his omnibus lex carnis, & lex peccati habitant, quæ me miſerum ita captiuum tenent, ut quod uellem bonum, perficere non poſſim. Cum igitur me ipſum ab hac ſeruitute, & captiuitate libera-

re nequeam, quis me ab illa ſoluet, et quis liberabit? Vtique lex me liberare non poteſt, quia ipſa parit iram, & eſt uis ipſa peccati: Quis igitur me infelicem liberabit de corpore mortis huius, ideſt de corpore hoc in quo peccatum, & concupiſcentia ſita eſt? Supra enim dixit, quòd ideo uetus ille homo noſter ſimul crucifixus eſt cũ Chriſto, ut deſtruatur corpus peccati, & quia hoc corpus mortem generat, quia in illo & peccatum, & concupiſcentia inhabitat, ideo appellauit eum corpus mortis. Itaque cum lex ipſa me ab hac ſeruitute liberare non poſſit, neq; cæremoniæ illius, neque circunciſio, in quibus nos Iudæi, qui in ſtatu legis uiuimus, maxime gloriamur; neque denique lex ipſa naturæ, quæ omnino inualida erat ad ſalutem præſtandam, poſſit hominem ab hac ſeruitute liberare. Sola igitur gratia, ac miſericordia Dei me liberabit, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui morte ſua nobis placauit Deum; cui per illũ nos reconciliati ſumus. (Per illum enim ſumus liberati à peccato, & ſerui facti Deo, & ad eum ſtatum reducti, in quo amplius nobis non dominatur peccatũ, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia) & quia hic locus ſecundum aliam translationem exponi poteſt, ideo ſubijciemus illã; Quæ dicit: Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum, quæ ſic exponi poteſt. Supra autẽ Apoſtolus interrogauerat, & in perſona eius hominis, qui in ſtatu legis uixerat, exclamando dixerat. O infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & cum ſenſiſſet, quòd nulla uirtute, nulla poteſtate ab hac poſſet ſeruitute liberari. Immo ſupra dixiſſet. Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati,
Cap. 6. obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis. Cum igitur gratia Dei, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nos fuerimus à ſtatu legis, & ſeruitute peccati liberati, dicit. Gratias ago Deo, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui propter huius mortem eripuit nos de ſtatu legis, in quo moriebamur, & æternæ damnationis ſupplicio afficiebamur: & eripuit nos etiam de ſeruitute legis, & peccati, ut non amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulemus.

IGITVR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI, CARNE AVTEM LEGI PECCATI.

Cum itaque animo, & corpore, idemq; ipſe ratione, & ſenſu conſtitutus ſim: animo autem, ac ratione condelecter legi Dei: corpore, ac ſenſu ſeruiam legi peccati; igitur ego ipſe homo non quidem in ſtatu gratiæ, ſed in ſtatu legis conſtitutus, utrunque hoc opus ſecundum hominem interiorem, atque exteriorem facio. Ego inquã ipſe (quia non alius homo in mente, & alius homo in carne eſt)

ne eſt) ſed ego unus, atque idem ipſe homo ſecundum diuerſas uirtutes, atque potentias, ſcilicet ſecundum mentem, ac rationem ſeruio legi Dei, & ſecundũ ſenſum, ac carnem ſeruio legi peccati. Legi quidem Dei ſeruio, dum carnis uoluptates contemno, dum ſpiritualia carnalibus antepono, dum denique omnia in Deum, tãquam in ultimum, ac debitum finem mihi ordino. Legi autẽ peccati idem ipſe unus homo ſeruio, dum uoluptatibus operã do, dum carnalia ſpiritualibus præpono, dum denique in mortiferas carnis oblectationes omnes meos cogitatus, omnesq; meas curas conuerto. Quare apparet, quòd neque lex, neque obſeruatio ipſius legis poterat hominem, uiuentem in ea, à peccato liberare. Iccirco gratia Dei per Ieſum Chriſtum liberati ſumus à peccato, et concupiſcentijs eius, ut paulo poſt copioſius declarabit Apoſtolus.

CAPVT OCTAVVM.

NIHIL ERGO NVNC DAMNATIONIS EST IIS, QVI SVNT IN CHRISTO IESV, QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLANT. LEX ENIM SPIRITVS VITAE IN CHRISTO IESV LIBERAVIT ME À LEGE PECCATI, ET MORTIS.

Cum itaque in ſtatu legis ſolum mente conſentiam legi Dei, quòd bona ſit; & non poſſim facere bonum, quod uolo, ſed quod nolo, malum faciam; Et lex carnis, quæ repugnat legi mentis meæ, pertrahat me captiuum, & uenditum ſub lege peccati; & nihil aliud me poſſit liberare à peccato, & ſeruitute ipſius, quàm ſola gratia Dei, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum; & licet in ſtatu legis ante mortem Chriſti damnaremur, quia mente ſolum legi Dei, carne autem ſeruiebamus legi peccati; Nunc tamẽ in hoc alio feliciſſimo ſtatu gratiæ nihil damnationis eſt ijs, ideſt nullo modo damnabuntur ij, qui ſunt in Chriſto Ieſu, ideſt ij, qui per fidem ſunt coniuncti cum Chiſto, & reconciliati, per mortem ipſius, Deo patri. Ii igitur, qui in hoc ſtatu gratiæ conſtituti ſunt, nullo modo nũc damnari poſſunt, neque etiam poſſunt teneri ſerui, & uenundati ſub peccato; licet olim in ſtatu illo legis poſiti damnarentur, & ſub lege peccati tenerentur. Ii igitur nunc non damnabuntur, qui ſunt in Chriſto Ieſu,

quia non ambulant, & non uiuunt ſecundũ carnem, & deſideria ipſius. Ambulare uero, & uiuere ſecundum carnem, eſt facere deſideria, & opera carnis, quod Galatis ſcribens copioſiſſime declarauit Apoſtolus. Quòd autem illi, qui nunc, ideſt hoc tempore gratiæ, Chriſto fuerint coniuncti per fidem, & opera carnis non fecerint, nulla ratione damnentur, lucidiſſime demonſtrauit hoc modo, dicens. Ideo enim tales non damnantur, quia lex: non illa quidem antiqua, & uetus Moyſi, quæ iam exoleuit; Sed lex ſpiritus: non cuiuſcunque ſpiritus; ſed eius ſpiritus, qui uitam præſtat: non hanc quidem animalem, quã in corpore uiuimus; ſed cœleſtem illam, quæ eſt in Chriſto, ideſt eam uitam, quã uiuimus cum Chriſto Ieſu per fidem, & imitationem ipſius. Iſta (inquã) lex ſpiritus uiuificantis liberauit me à lege peccati, ideſt ab illa ſeruitute peccati, in qua homo ante mortem Chriſti detinebatur, à qua nullo alio modo poterat liberari: & eadem lex ſpiritus uitæ liberauit me à lege mortis. Non dixit à morte, quia, quãquam coniuncti ſimus cum Chriſto per fidem operantem opera ſpiritus, et non carnis, mortales tamẽ ſumus; Sed dixit à lege mortis, quoniam lex erat occaſio peccati (ut ſupra dictum eſt) ad quod peccatum ſequebatur mors, propterea lex mortis dicta eſt. Lex igitur ſpiritus uitæ liberauit me à lege peccati, & mortis; quia unum contrariorũ repellit, & abigit alterum: & ideo lex ſpiritus expellit legem peccati, & lex ſpiritus uitæ perpellit legem mortis, ne mortui peccato amplius uiuamus in illo. Eſt itaque multiplex ab Apoſtolo lex explicata. Lex Moyſi, quam ſolum ſpiritualem eſſe dixerat, non tamen uitalem; quia etiam ſi cuſtodita, & obſeruata fuiſſet, non dabat uitam æternam, ſed tantum temporariam, ut qui feciſſet legem, uiueret in illa. Lex mentis, quæ eſt ordinatio rationis, ac ſpiritus appetentis ſecundũ naturam ſuã. Lex carnis, quæ eſt ordinatio ſenſuum appetentium res ſenſibiles. Lex peccati, quæ eſt uitioſitas ſenſuũ inordinate appetentium res ſenſibiles cũ rebellione à ratione, & intellectu. Lex deinde ſpiritus uitæ, quæ eſt ordinatio mentis, ac intellectus, quæ per fidem illuſtrata dilectionem operatur. Iſta igitur lex ſpiritus huiuſcemodi in Chriſto Ieſu eſt illa ſola, quæ uitam præſtat ſempiternã, & liberat hominem tum à lege peccati, tum etiam mortis. Ex his itaque facile colligi poteſt, quantum errent ij, qui propter ſuperiora dicta libertatem arbitrij nobis auferre uoluerunt. Propter hoc enim quòd Apoſtolus dicebat. Non, quod uolo bonum, hoc ago; ſed, quod odi malum, facio. Putauerunt omnem libertatem noſtram ad bona opera perficienda nobis ſublatam eſſe. Sed iſti plurimũ fallũtur; quoniam hoc loco Apoſtolus non de imbecillitate libertatis noſtræ, ſed de infirmitate legis antiquæ differebat, declarabatq; hominem in eo ſtatu non potuiſſe perficere illud bonum, quod optabat, propter repugnantiam carnis, & ſer-

Gal. 5.

uitutem peccati, in qua detinebatur, unde homo à damnatione in eo ſtatu libe=rari per legem illam non ualebat; quia lex illa non docebat homines ſpiritu am=bulare. In ſtatu uero hoc gratiæ homines nulla damnatione affici poſſunt, pro=pterea quòd hæc lex, quæ eſt in Chriſto Ieſu, doceat nos ſpiritu ambulare, et car=nis incentiua, & uoluptates reprimere; & ob iſtam cauſam hæc noua lex ſpiri=tus uitæ in Chriſto Ieſu liberauit nos à lege peccati, & mortis, quod lex illa Moyſi antiqua facere non poterat, propter imbecillitatem carnis humanæ, quæ hominem ſubigebat legi peccati, à qua nec circunciſione, nec cæremonijs, nec aliqua uirtute ipſius legis homo poterat ſe ipſum liberare. Sed quærere poſſet ali=quis, cur nam ſit, quòd ij, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum in Chriſto Ieſu ambulant, nihil damnationis habeant. Cui quæſtioni reſpondemus, quòd id contingit, quia, qui ſpiritu ducitur, ac uiuit, omnem quidem prauam extinguit concupiſcentiam, omnemq; uincit peccati cupiditatem; nam ille, quòd non iraſcitur, non incitatur à peccato, ut occidat: ſicuti, qui non uidet mulie=rem laſciuo aſpectu, non mouetur libidine, ut eã polluat adulterino concubitu. Tanta enim eſt uis ſpiritus, ut omnem peccati uiolentiã ſuperet, omnemq; il=lius tyrannidem expugnet, noſq; ſuper omnem legem conſtituat, quod neq; ipſa lex naturæ, neque ſcripta præſtare poterat; Quia lex ipſa Moyſi metu pœna=rum compellebat nos caſtigare concupiſcentias: Lex uero ſpiritus in Chriſto non timore, ac metu; ſed amore, & charitate facit, ut ab his abſtineamus, ipſaq; eadem nos ad ſublimiorem ſtatum, & ad perfectiorem uitæ rationem adducit; ut cum uitijs, & concupiſcentijs ad imitationem Chriſti carnem noſtram cruci=figamus. Quòd uero crucifixum eſt, idem etiam mortuum eſt, et extinctum.

NAM, QVOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI, IN QVO INFIRMABATVR PER CARNEM, DEVS FILIVM SVVM MITTENS IN SIMILITVDINEM CARNIS PECCATI, ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE, VT IVSTIFICATIO LEGIS IMPLERETVR IN NOBIS, QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLAMVS, SED SECVNDVM SPIRITVM.

Quomodo autem ſint homines à lege peccati, & mortis liberati declarat, & di=cit. Nam, quod impoſſibile erat legi, Deus fecit in Chriſto, Lex enim (ut paulo ſuperius fuit explicatũ) non poterat liberare à peccato, quia non potens erat tollere peccatum, aut prohibere, quin uiueremus in illo. Impoſſibile enim erat

legi utrunque hoc facere, quia ipſa lex erat impotens, per carnem, & quia lex carnis in eo ſtatu ipſius legis trahebat hominem in ſeruitutem peccati, quia lex non iuuabat hominem per gratiam, & ſic homo deſerebatur in ſtatu peccati, & concupiſcentijs, carnis, propter quod non poterat per præcepta legis iuſtificationem conſequi. Quia igitur lex hoc præſtare non poterat, miſeratus Deus, conditionem noſtram, miſit Filium ſuum, in ſimilitudinem carnis peccati, non quidem in ueram carnem peccati, quæ haberet rebellantem appetitum à ſpiritu, & ratione; Sed in ſimilitudinem carnis peccati, quæ haberet paſſionē tantum, & mortalitatem ipſius carnis. His nãque conditionibus caro Chriſti fuit ſimilis carni peccati. Caro igitur peccati & rebellionem ſenſus ad ſpiritum, et paſſionem, & mortalitatem corporis includit. Caro uero ſimilis carni peccati, & paſſionem, et mortalitatem corporis tantũ continet. Ideo Chriſtus habuit nõ carnem peccati, ſed carnem ſimilem carni peccati. Non dixit, in ſimilitudinē carnis, quia habuit ueram carnem, & non ſimilitudinem carnis, ut Valentinus, & Manichæus ſunt opinati. Sed dixit in ſimilitudinem carnis peccati, ſicut explicauimus, quia nullum peccatum fecit, nec dolus eſt inuẽtus in ore eius; & non modo miſit Deus Filium ſuum in carnem paſſibilem, ac mortalem; Sed etiam de peccato, ideſt de carne ſua, quæ ſimilitudinem carnis peccati præſeferre uidebatur propter mortalitatem, & paſſibilitatem, quæ faciunt carnem, in qua ſunt, ſimilem carni peccati, damnauit, & ſuſtulit peccatum in carne noſtra, quia liberauit nos à peccato, & à lege, & à ſeruitute ipſius, fecitq; ſuam carnem peccatum, hoc eſt hoſtiam, pro deletione peccati, quandoquidem hoſtia ipſa, quæ pro peccato offerebatur in ueteri lege peccatum ſolebat appellari; Ita, ut ij, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulabant, in nullam damnationem incurrant. Deus itaque de peccato, ideſt de carne habente ſimilitudinem carnis peccati, quam Filius ſuus induit, damnauit peccatũ, quod in carne noſtra exiſtit; uel quia mortui ſimus illi, uel quia liberauerit nos ab illo, ne amplius teneat nos captiuos, ut olim in lege tenebat, et nobis dominabatur. Vt ſic iuſtificatio legis impleretur in nobis, ideſt ut poſſimus, peccato extincto, & uitioſitate ſenſuum compreſſa, iuſtificationes, & mandata legis implere, ut nullum damnationis ueſtigium nobis relinqueretur, qui ſecundum ſpiritum, & non ſecundum deſideria carnis ambulamus; Vel, ut ſic iuſtificatio, ideſt iuſtitia, & ſatisfactio, quam lex pollicebatur, & quam multi ſperabant, ſe per legem conſequi poſſe, per mortem Chriſti, quæ damnauit peccatũ de peccato, ideſt de carne ſua ſimili carni peccati, impleretur, & cõſumaretur in nobis, qui non ſecundum carnem, ut Iudæi faciebant; ſed ſecundum ſpiritum in nouitate uitæ ambulamus, tanquam Chriſti imitatores.

Valentinus Manichæus

Oſe. 4.

Qui

QVI ENIM SECVNDVM CARNEM SVNT, QVAE CARNIS SVNT, SAPIVNT. QVI VERO SECVNDVM SPIRITVM SVNT, QVAE SVNT SPIRITVS, SENTIVNT.

Quare autem iuſtificatio, & promiſſio, quam lex promittebat, ſit in iis, qui ſecundum ſpiritum ambulant, & non ſecundum carnem, oſtendit, dicens. Ideo iuſtificatio legis eſt in iis, qui ſecundum ſpiritum ambulant; quia, qui ſunt animo, ac mente ſecundum carnem, & uoluptatibus carnis conſentiunt, & carnis oblectamenta ſtudioſiſſime conquirunt, & curant, ut in iis prudentes appareant, in iis certe iuſtificatio legis nunquam implebitur. Qui uero ſecundū ſpiritum uiuunt, & ea, quæ ſunt ſpiritualia, ut honeſta, ac munda ſentiūt, ac iudicant eſſe carnalibus, inhoneſtis, ac immundis uoluptatibus, & uitiis præponenda, in iis certe iuſtificatio legis conſumabitur. Quare in iis tantum iuſtificatio, & promiſſio legis implebitur, qui ſpiritualia carnalibus ſenſerint eſſe anteponenda.

NAM PRVDENTIA CARNIS MORS EST. PRVDENTIA AVTEM SPIRITVS, VITA, ET PAX: QVONIAM SAPIENTIA CARNIS INIMICA EST DEO: LEGI ENIM DEI NON EST SVBIECTA, NEC ENIM POTEST.

Vtique illi, qui nimio affectu curant res carnales non conſequētur iuſtificationes, & promiſſiones legis; Sed ii tantum, qui præponunt ſpiritualia carnalibus, quoniam prudentia, & affectus carnis mortem meretur animæ, & prudentia, & affectus ſpiritus pacem, & uitam ipſius conſequitur ſempiternam. Ii enim qui nimio affectu curant ea, quæ caro ſuadet, in mortem, & damnationē animæ incurrunt, quia lex carnis hominem ad mortē conducit: Qui uero ea, quæ ſunt ſpiritus, inquirunt, ac ſectantur, uitam inueniunt ſempiternam. Merito igitur prudentia, & affectus carnis mortis ſempiternæ pœna mulctatur, quoniam ſapientia carnis, quæ rebus terrenis, & carnalibus uoluptatibus oblectatur, inimica eſt Deo, quia non in illo, ſed in rebus carnis, & corporis uoluptatibus finem conſtituit. Qui enim rerum harum terrenarū amicus extiterit, Dei inimicus efficietur. Per prudentiam ac ſapientiam carnis Apoſtolus Iudæorum ſtatum intelligebat, qui legem carnaliter ſentiebant eſſe obſeruandam; & ideo colebant Deum cæremoniis ſolum corporalibus, non autem ſpiritu neque mente.

Vtique autem hæc ſapientia eſt inimica Deo, quia legi Dei non eſt ſubiecta, neque eſſe poteſt: Quādiu enim homo nimio affectu res terrenas, ac mortiferas concupierit, legi Dei ſubiectus eſſe non poteſt; quia lex Dei præcipit, ut ſpiritualia carnalibus præponamus. Et ideo quādiu prudentia, ac ſapientia carnis ſpiritualia contempſerit, ac res corporales ſpiritualibus præpoſuerit, tādiu legi Dei non ſubijcietur; & huius rei ratio manifeſta eſt, quare ei ſubiecta eſſe non poteſt, quia prudentia carnis res terrenas, ac perituras appetit. Lex autem Dei cœleſtes, ac ſempiternas deſiderat, quæ quidem res cum inter ſe ſummam habeant contrarietatem, propterea una lex nulla ratione alteri legi ſubeſſe poteſt.

QVI AVTEM IN CARNE SVNT, DEO PLACERE NON POSSVNT, VOS AVTEM IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITV; SI TAMEN SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS. SIQVIS AVTEM SPIRITVM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EIVS.

Si igitur ſapientia carnis eſt inimica Deo, & legi Dei ſubijci non poteſt, perſpicuum eſſe debet, quòd illi, qui in carne uiuunt, & deſideria carnis perficiunt, ſint inimici Deo, & propter hoc Deo ipſi placere non poſſint. Iudæi igitur, qui omnem cultum Dei in carnalibus cæremonijs, & omnem felicitatem ſuā ſitam eſſe putabant in corporis uoluptatibus, in carne erant. Vos uero, qui ad fidem Chriſti conuerſi fuiſtis, & ſpiritualia terrenis præpoſuiſtis, & Deo placuiſtis, & illius amici facti eſtis, non eſtis amplius in carne, quia cōtempſiſtis terrenas, & corporales cæremonias, & obſeruantias; & uoluptates carnis, & alia opera, & deſideria carnis non facitis; Sed eſtis in ſpiritu, quia opera ſpiritus facitis, non inanis, neque perituræ gloriæ cupidi facti, non inuicem prouocantes, neque inuicem inuidentes, neque auaritiæ, luxuriæq;, ac immunditiæ uacantes. Ideo autem uos in ſpiritu eſtis, quia certe ſpiritus Dei habitat in uobis; ipſe enim Dei ſpiritus in ueſtris cordibus inſertus monet uos, ut opera ſpiritus faciatis. Quare textus hic non ita debet legi. SI TAMEN SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS. Quia, cum dixerit eos non in carne eſſe, ſed in ſpiritu, cauſam adducit, cur non ſint in carne, ſed in ſpiritu, ac ſi diceret. Ideo eſtis in ſpiritu: Ideo opera ſpiritus facitis, quia ſpiritus monet uos habitādo in uobis, ut opera digna ſpiritus faciatis: Et ideo alia litera caſtigatior dicit. Siquidē ſpiritus Dei habitat in uobis, quod eſt, ac ſi diceret. Vos in ſpiritu eſtis, ſiquidem, ideſt quoniā ſpiritus Dei habitat in uobis: Eſſe igitur

in carne

in carne non eſt, eſſe in natura tantū, atque ſubſtantia carnis; ſed eſt, eſſe animo, ac corpore in carnalibus uoluptatibus ac deſiderijs earum: & opera carnis perficere: ſicut eſſe in ſpiritu, nihil aliud eſt, quàm carnis concupiſcentias ipſi ſpiritui mortificationibus ipſius carnis ſubijcere; ſicut Apoſtolus ad Galatas ſcribens dicit. Qui Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem ſuam cum uitijs, atque cōcupiſcentijs. Quare ſi opera carnis non fecerimus, ſpiritus ſanctus habitabit in nobis; ſi uero opera carnis exercuerimus, protinus idem ſpiritus non habitabit in nobis, & fructum gratiæ ipſius amittemus. Quòd ſiquis ſpiritum Chriſti nō habuerit, & in ipſum non crediderit, & in ſpiritu fidei ipſius non uixerit, utique iſte non erit eius, ſcilicet Chriſti, quia non eſt membrum ipſius: fides enim, quam de Chriſto habemus, quæ per dilectionem operatur, coniungit nos Chriſto, & facit nos eſſe membra ipſius. Quare ſi non crediderimus in Chriſtum, & opera fidei, & charitatis non exercuerimus, non erimus membra Chriſti, ſed Diaboli. Eundem autem ſpiritum, quem Apoſtolus paulo ante Dei appellauerat, nunc Chriſti eſſe dicit; Quia idem ſpiritus à patre, & filio ſecundum diuinam naturam conſiderato procedit. Gal. 5.

SI AVTEM CHRISTVS IN VOBIS EST, CORPVS QVIDEM MORTVVM EST, PROPTER PECCATVM; SPIRITVS VERO VIVIT, PROPTER IVSTIFICATIONEM.

Sed ſi Chriſtus in nobis tāquam in ſuo domicilio habitauerit, quia in eodē loco habitat Chriſtus, in quo & ſpiritus ipſius; corpus quidem noſtrum mortuum eſt propter peccatum, quamuis enim corpus noſtrum, quia ex elementis contrarijs compoſitum mortale eſſet ante peccatum, gratia tamen Dei, ſi homo in obediētia ipſius perſtitiſſet, nunquam mortuum fuiſſet. Ipſum itaq; mortale corpus, quod immortale factum erat per gratiam, factum fuit mortuū propter peccatum primi parentis. Vnde quamuis ex ſpiritu Chriſti habitante in nobis nullum adhuc fructum (quantum ad corpus attinet) in hoc noſtro mortalitatis ſtatu conſecuti ſimus, quia corpus noſtrum moritur propter peccatum, maximā tamen ſumus utilitatem aſſecuti in ſpiritu, hoc eſt in anima noſtra, quia, quæ olim ante mortem Chriſti mortua erat propter peccatū (propter illud enim amiſerat anima gratiam Dei, quæ eſt uita ipſius, quia eramus omnes filij iræ, & indignationis, antequam Chriſtus morte ſua noſtra peccata expiaſſet) nunc poſt mortem ipſius à morte illa ſempiterna ſuſcitata fuit, & propter iuſtificationem, ac ſatisfactionem, quam Chriſtus fecit moriendo pro nobis, uiuit: &

ita uiuit, ut ſi denuo mandata Dei non contempſerit, uitam æternam ſit habi-tura. Sed ſatis perdifficilis, & obſcura quæſtio hoc loco occurrere poſſet. Quã-obrem Chriſtus morte ſua eam immortalitatẽ corporis nobis non reſtituerit, quã Adam ſuo peccato amiſit, cum longe maior fuerit uis paſſionis Chriſti in ſal-uando, quàm ſæuities peccati Adæ in perdendo, ut ſupra Apoſtolus copioſe de-monſtrauit. Cui quidẽ dubitationi non ſatis lucide reſponderi poſſe arbitramur, niſi prius de duplici immortalitate corporis, homini à Deo promiſſa, diſtinxe-rimus. Fuit igitur duplex immortalitas corporis homini à Deo promiſſa. Vna, quam Chriſtus nobis promiſit, quæ non modo mortem, ſed etiam moriendi ne-ceſſitatem à nobis tollit: Sed hæc non poteſt haberi à nobis, niſi poſt commu-nem reſurrectionẽ; Nam Chriſtus ipſe, qui in hac reſurrectione eſt forma om-nium hominum, non ante eſt hanc immortalitatem conſecutus, quàm poſt mor-
1. Cor. 15. tem et reſurrectionem ſuã. Propterea Apoſtolus Corinthijs ſcribens dixit. Quo-niam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Apparet igitur hanc immortalitatem homini per paſſionem Chriſti, ante mortem ipſius hominis, communicari non debere. Nam, ſi Chriſtus ipſe hanc immortalitatem non eſt aſſecutus, niſi poſt mortem, & reſurrectionem ſuam, quomodo nos an-tequam moriamur, & reſurgamus poterimus eandem immortalitatẽ conſequi? Altera eſt immortalitas, quæ primo parenti fuit promiſſa, quæ quidẽ etſi ho-mini tãdiu mortem auferebat, quãdiu ille Deo obtemperaret, illa tamen neceſſi-tatem moriendi homini non ſubtrahebat: Nam ſtatim, quòd homo peccaſſet, ſe
Gen. 3. ipſum neceſſitati moriendi ſubijciebat. Iccirco Deus dixit illi. In quacunque die comederis de ligno hoc morte morieris. Hanc autem immortalitatem Chriſtus ho mini non reſtituit, nam ſi illam immortalitatem homini poſt illius paſſionẽ re-ſtituiſſet, ipſam utique cum eiſdem conditionibus eidem reſtituiſſet, quibus eam primo parenti contulerat, ut quotieſcunque peccaremus, toties immortalitatem illam amitteremus. Itaque cũ omnes homines natura ſua labi poſſint, atq; pec-care, nemo hanc immortalitatem diu ſeruare potuiſſet. Quare propter hanc cauſam credimus, Chriſtum illam immortalitatem, quam Adæ dederat, nobis dare noluiſſe, ne ſi quando peccaremus, immortalitatem amitteremus. In eo er-go ſtatu à nobis mortem, & moriendi neceſſitatem aufert, quando peccandi nobis nulla data erit facultas. Propterea poſt reſurrectionem noſtrã nobis pro-miſit immortalitatem, quoniam poſt illam amplius non poterimus peccare; & hæc immortalitas nobis à Chriſto promiſſa longe eſt præſtantior illa immorta-litate, quam Deus primo parenti conceſſerat. Propterea ſi Chriſtus homini hanc immortalitatem per paſſionem ſuam ſtatim dediſſet, eidem quoque poſ-ſibilitatem peccandi, & moriendi abſtuliſſet.

Quòd

QVOD SI SPIRITVS EIVS, QVI SVSCITAVIT IESVM A MORTVIS, HABITAT IN VOBIS; QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM A MORTVIS, VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA, PROPTER INHABITANTEM SPIRITVM EIVS IN VOBIS.

Neque propter hoc, quòd in præſenti ſtatu noſtræ mortalitatis corpus mortuum propter peccatum habeamus, de reſurrectione ipſius futura deſperemus: Quoniam ſi ſpiritus eius, ideſt Dei, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, firmo quodam domicilio permanſerit in uobis; ſicut ſpiritus ueſter nunc uiuit propter iuſtificationem, & ſatisfactionem, quam Chriſtus pro nobis omnibus fecit in cruce: Ita Deus, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, mortalia etiã corpora ueſtra propter hoc, quòd ſpiritum Dei in cordibus ueſtris tãquam habitatorẽ ipſorum ſuſcepiſtis, uiuificabit, & reſurgere faciet: & ſic corpora noſtra non modo ex mortuis uiua, ſed ex mortalibus immortalia fient; & ex animalibus corporibus, ſimplicia, et ſpiritualia corpora reſurgent. Et ſicut ſpiritus ueſter nunc uiuit propter iuſtitiam Ieſu Chriſti, ſic etiam corpora ueſtra, quæ fuerãt mortua propter peccatum, per ſpiritum Dei habitantem, ac permanentem in uobis, reſuſcitata denuo uiuificabuntur: & ſic tam ſpiritus, quàm corpus per gratiam Dei, ac Ieſu Chriſti perpetua ſempiternitate fruentur.

ERGO FRATRES DEBITORES SVMVS NON CARNI, VT SECVNDVM CARNEM VIVAMVS: SI ENIM SECVNDVM CARNEM VIXERITIS, MORIEMINI; SI AVTEM SPIRITV FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS, VIVETIS.

Itaque, ſi nos non ſumus in carne, ſed in ſpiritu; &, ſi per iuſtificationẽ Chriſti ſpiritus noſter uiuit; & corpus noſtrum propter peccatum mortuũ eſt, per inhabitantem tamen ſpiritum Dei in nobis idem noſtrum corpus reſurget à mortuis, uitam habiturum immortalem, ac impaſſibilẽ. Si itaque fratres mei hæc, quæ diximus, huiuſmodi ſunt, &, ſi ex ſpiritu Dei in nobis permanente tot bona, atque tot commoda conſecuturi ſumus, non ergo ſumus debitores carni, ut teneamur ſeruire illi, ſed magis ſumus debitores ſpiritui Dei, qui ex eo, quòd in nobis permanet, tam multa, ac tam magna bona nobis conceſſit. Non debemus

itaque ſeruire carni, ut ſecundum eam uiuamus, ut in ipſius uoluptatibus, & immunditijs finē uitæ noſtræ conſtituamus; quia ſi ſecundum ipſam uiuere uoluerimus, immortalitate illa beata ſpoliabimur, & morte moriemur perpetuæ damnationis, propter hoc, quòd ipſa caro nos ad mortem trahit ſempiternam: & ita non modo corpus noſtrum, ſed etiā anima noſtra uita illa beata, ac ſempiterna priuabitur. Quòd, ſi etiam ſpiritu, ideſt mente, ac ratione, quæ carni contrariantur, facta ipſius carnis, ideſt actus, & operationes ueſtras carnales mortificaueritis, uiuetis: non quidē dico extinxeritis, quia illa in hac mortali uita comminui, debilitari, ac mortificari poſſunt, extingui autem non poſſunt. Si igitur opera, & facta carnis, quæ ſunt rixæ, inimicitiæ, contentiones, immunditia, ebrietas, & auaritia, quæ eſt Idolorum ſeruitus, mortificaueritis, ita, ut iſta operationes ſuas in uobis perficere non poſſint, uiuetis uita quidē animæ beata; et corporis impaſſibili, et immortali uita aliquādo fruemini.

QVICVNQVE ENIM SPIRITV DEI AGVNTVR, HI SVNT FILII DEI. NON ENIM ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS ITERVM IN TIMORE; SED ACCEPISTIS SPIRITVM ADOPTIONIS FILIORVM, IN QVO CLAMAMVS, ABBA, PATER. IPSE ENIM SPIRITVS TESTIMONIVM REDDIT SPIRITVI NOSTRO, QVOD SVMVS FILII DEI.

Nec dubium uobis eſſe debet, quin uitam conſecuturi ſitis, tum animæ beatā, tum etiam corporis immortalē, ſi ſpiritu Dei facta, & opera carnis domueritis; quia omnes, qui ſpiritu Dei aguntur, & inducuntur ad crucifigendam carnē ſuam cum uitijs, & concupiſcentijs eius, ſunt filij Dei. Si igitur hi ſunt filij Dei, qui ſpiritu ipſius operationes carnis ſuæ crucifigunt, & mortificant, cum uita beata maxime filijs Dei conueniat, conſequenter neceſſe eſt, quòd omnes, qui mortificauerint facta carnis ſuæ, uiuant beata, ac felici illa uita immortali. Aguntur autē homines ſancti à ſpiritu Dei, non quòd ab ipſo ſpiritu inuiti pertrahantur ad mortificationem carnis, ſed quia propria uoluntate, eo ipſo ſpiritu mouente, excitantur, atque inceenduntur, & ij quidem in ſpiritu uiuunt, & operationes carnis mortificare poſſunt. Agi igitur non eſt inuitum trahi, ſed à ſuperna Dei uirtute moueri, incendi, atque inflammari operante tamen libertate hominis; ut ſicut homo ante gratiam uiuebat ſecundum carnem liber, ita quoque poſt gratiam ſpiritu Dei illum mouente, & inflammante, liber uo-

luptates carnis, & incentiua uitiorum ſpiritui ſubigat, atque ſubmittat, & operationes carnis deuitet. Dixi autem, quòd qui mouentur, & aguntur à ſpiritu Dei, ſunt filij ipſius, propter quod rationabiliter uos tales filij Dei dici meremini, quia non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſicut olim ſuſceperunt patres ueſtri: Vnde in lege ueteri ſuſceperunt quidem illi per legem ſibi datam ſpiritum, ſed non ſpiritum libertatis, quia per legem tantum conuincebantur eſſe peccatores, quia lex indicabat tantum peccata, & non liberabat eos à pœna peccatorum. Ideo erant in ſeruitute eorum, & propterea ſpiritus legis illius erat ſpiritus ſeruitutis non liberans peccatores à ſeruitute peccati, & erat non modo ſpiritus ſeruitutis, ſed timoris: tum quia fumigante monte Synai, & crepitu tubarum horrifico, & tonante cœlo, lex promulgata fuit: tum etiam quia timore pœnarum ad obſeruantiam legis cōpellebantur. Ipſi igitur acceperunt ſpiritum ſeruitutis in timore. Vos uero in hoc nouo ſtatu gratiæ non accepiſtis iterum ſpiritum huiuſcemodi ſeruitutis in timore, ut olim in lege illa antiqua maiores ueſtri ſuſceperunt. Sed accepiſtis ſpiritum feliciorem, qui eſt ſpiritus adoptionis filiorum Dei, ideſt eum ſpiritum accepiſtis, qui uos adoptauit, & aſciuit in numerum filiorum Dei. Ille enim ſpiritus in lege ueteri faciebat uos ſeruos. Iſte uero facit uos filios liberos. Ille in timore tenebat uos, hic in amore: Cum ſerui quidem timeant dominos; & filij diligant, & ament parentes ſuos. Non ſolum ſumus filij Dei, quia accepimus ſpiritum illius adoptantem nos in filios ſuos, ſed etiam propter hoc ſumus filij Dei, quia in hoc eodem ſpiritu clamamus maximo mentis ardore, Abba pater. Syra enim dictio eſt, quæ patrem ſignificat: In hoc enim apparet nos eſſe filios Dei, quia non modo mouemur ſpiritu ipſius Dei, & non modo quidem accepimus eundem ſpiritū, adoptantem nos in filios Dei, ſed etiam, quia ipſe ſpiritus facit, nos Deum ipſum magna quidem uoce confidentiſſime patrem noſtrum inuocare, dum in orationibus noſtris Deum patrem noſtrum Chriſti inſtitutione nuncupamus, quem antea Deum, ac dominum tantum deprecabamur. Nullibi enim ante Chriſtum legimus, Deum patrem noſtrum uocatum, & nos filios eius dictos fuiſſe: & ſic orantibus nobis ille cœleſtis; ac diuinus ſpiritus in nobis exiſtens, cū à Deo exaudimur, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ipſe Deus ſit pater noſter, & nos ſimus non modo factura ipſius, ſed filij. Poſuit autem utrunq; nomen, græcū ſcilicet, quod idē ferè eſt, quòd latinū; et Syrū, quo pater appellari conſueuit, ut tam Gentiles, quàm Hebræos adoptionis filios fieri poſſe manifeſtaret.

Exod. 19.

SI AVTEM FILII, ET HAEREDES, HAEREDES QVIDEM DEI, COHAEREDES AVTEM

CHRISTI: SI TAMEN COMPATIMVR VT ET CONGLORIFICEMVR.

Si igitur ſpiritu ſancto ſpiritui noſtro commoſtrante intelleximus, nos filios Dei factos fuiſſe, erimus etiam profecto neceſſario, & hæredes illius, quia ſtatim, quòd aliquis eſt filius adoptionis, conſequitur neceſſario, ut ille idem etiam hæres exiſtat: Quare, ſi filij Dei ſumus, ut profecto ſumus, conſtanter igitur conſiteri debemus, nos futuros eſſe hæredes gloriæ eius. Vnde ſi Dei patris hæredes fuerimus, neceſſario quoque Chriſti ipſius Dei patris Filij cohæredes efficiemur, ut ſicut ille per gloriam patris conſecutus eſt immortalitatem corporis, & impaſſibilitatem; Ita nos quoque per gratiam ipſius configuremur aliquãdo claritati, & ſplendori immortalitatis, & impaſſibilitatis corporis eius: & ſicut anima ipſius in uiſione communis diuinitatis, quam pater Deus, & Filius Dei indiuiduam habent, felicitatem hæreditatis eſt adepta; ita nos quoq; in eiuſdem diuinitatis contemplatione hæreditatem iſtam conſequamur; Si tamẽ ſimul cum eo patiemur, ideſt tales pertulerimus pro eo paſſiones, aut animum ſaltem habuerimus tales cruciatus ſuſtinendi pro nomine ipſius, quales ipſe pro nobis tulit; Quoties (inquam) ſeſe obtulerit occaſio pro eo patiendi, ut & conglorificemur, ideſt, ſi ſimiles illi fuerimus in paſſionibus noſtris perferendis, & conſtantes, ac patientes, ſicut ipſe fuit, ſic quoque erimus ſimiles illi in gloria, & cohæredes ſuæ felicitatis.

EXISTIMO ENIM QVOD NON SVNT CONDIGNAE PASSIONES HVIVS TEMPORIS AD FVTVRAM GLORIAM, QVAE REVELABITVR IN NOBIS.

Quia dictum eſt, quòd ideo patimur ſimul cum Chriſto, ut etiam ſimul cum illo gloriam conſequamur; Poſſet quis propter hoc exiſtimare, quòd paſſiones noſtræ, quibus aduerſa huius mundi ad imitationem Chriſti toleramus, eſſent ſufficientes ad hoc, ut de condigno gloriam illam cœleſtem adipiſceremur, ideo dicit. Etſi cum Chriſto patimur in hoc mundo, ut communione gloriæ ipſius clarificemur, puto tamen has noſtras paſſiones, & noſtra hæc tormẽta, quæ imitando Chriſtũ in hac noſtra mortali uita toleramus, non eſſe ſatis condigna tantæ gloriæ, quæ in illa cœleſti patria in nobis reuelabitur, ubi ſimiles Chriſto fuerimus: Neque etiã exiſtimo cruciatus noſtros, quos in hac uita pro Chriſto perferimus, coæquandos eſſe illi maximo bono futuræ illius gloriæ cœleſtis. Iccirco omnes

co omnes moleſtias, omneſq; acerbitates, quas in hoc ſtatu mortali eius amore ſuſtinemus, impares eſſe arbitramur illi futuro, & æterno bono, quod in altera uita pro gloria, & pro felicitate noſtra conſecuturi ſumus. Per iſtam autem gloriam noſtram beatitudinem, quæ omnis in Dei ſola uiſione conſiſtit, inſinuauit, & dicit. REVELABITVR. Quia non amplius in ſpeculo, neque in enigmate obſcuro, ſed in ſe ipſo Deus uidebitur detecto omni uelo, & impedimento, quominus lucide, & clare uideri, atq; cognoſci poſſit. Dixit autem in nobis, quia beatitudo ipſa in animis, & corporibus noſtris exiſtit, licet in anima ipſa tãquam in ſumma arce beatitudo primo conſiſtat; ex qua in corpus redundat immortalitas, & ſplendor perpetuæ lucis, atque incorruptionis uigor perpetuus, & ſempiternus.

NAM EXPECTATIO CREATVRAE REVELATIONEM FILIORVM DEI EXPECTAT.

Quòd autem paſſiones, & cruciatus huius uitæ, quos ſuſtinemus, non ſint condigni ad conſequendam illam futuram perpetuam gloriam, quæ reuelabitur in nobis, probat ex magnitudine ipſius rei, quam expectamus. Nam omnis creatura Chriſtiana expectat felicitatem æternam ſibi reuelari, & reuelata facie uidere gloriam non filiorum hominum, ſed filiorum Dei, quam proprijs paſſionibus, & cruciatibus conſequi non ualemus. Appellauit autem felicitatem iſtam æternam reuelationem, quia illã nunc aſpicimus ſub uelamentis, & figuris quibuſdam, propter hoc, quòd eã uel in effectibus, uel in promiſſionibus ſanctarum ſcripturarum contemplamur. Tunc autem, quando erimus in illa cœleſti patria, non amplius in ſpe, non ſub uelo, aut aliquo tegumẽto, ſed reuelata facie Deum uidebimus, in qua quidem uiſione uera hæreditas filiorũ Dei conſiſtit.

VANITATI ENIM CREATVRA SVBIECTA EST, NON VOLENS; SED PROPTER EVM, QVI SVBIECIT EAM IN SPE: QVIA ET IPSA CREATVRA LIBERABITVR À SERVITVTE CORRVPTIONIS IN LIBERTATEM GLORIAE FILIORVM DEI.

Quare autem non ualeamus per proprias paſſiones huius uitæ conſequi illam futuram gloriam, probat ex hoc; quia omnis creatura, ideſt omnis homo fidelis (creatura enim hoc in loco accipitur pro homine fideli, quia fideles tantum al=

loquitur) & ſi tam infidelis, quàm fidelis corruptioni ſit obnoxius, ſolus tamen fidelis eſt, qui reuelationem filiorum Dei expectat, hæc enim creatura ſubiecta eſt uanitati, ideſt corruptioni & morti, propter quod per ſuas proprias paſſiones, & proprios cruciatus ſuos non poteſt condigne conſequi corporis immortalitatem. Si qua enim paſſio eſſet, per quam de condigno immortalitatem conſequi poſſemus, maxime una eſſet ipſa mors; quia paſſionum omnium maxima eſt. Sed cum ipſa homini naturaliter contingat, non poterit homo per eam de condigno immortalitatem, quam expectamus, adipiſci; cum ipſa immortalitas corporis ſupra naturam hominis exiſtat. In ipſa nanque illa prima mundi conditione, Deus hominē per gratiam, ut immortalis eſſet, condiderat; ad eumq; finem, ut ſine ulla morte uiueret, hominem formauerat; qui cū peccaſſet, deiecit eum in hunc uitæ ſtatum ſuo fine, et immortalitate corporis carentē, ſubiecitq; huic uanitati, ut nunquam per ſe conſequi poſſet immortalitatem illam, ad quam per gratiam à Deo ordinatus erat. Et ſic homo à Deo propter inobedientiam ſuam ſubiectus fuit huic uanitati. Vanum enim dicimus, quod fine proprio priuatum eſt: & uanitatem appellamus conditionem ſtatus ſui proprij finis conſecutione carentem. Homo igitur propter peccatum primi parentis à Deo inuitus, ac nolens ſubiectus fuit huic ſtatui uano non habenti finem illum immortalitatis, in quo per gratiam olim ante peccatum conſtitutus erat. Inuitus quidem ac nolens, quia ſeductus à muliere ſperabat potius, ſe poſſe conſequi diuinitatem, ſi de ligno uetito comediſſet, quàm timeret immortalitatē corporis amittere. Sed quāquā homo nolens huic ſtatui uano à Deo ſubiectus fuerit, non poſſitq; per ſe ipſum ab ipſa ſeruitute corruptionis, & mortis liberari, liberabitur tamen per eum ſcilicet Ieſum Chriſtū, qui ſubiecit nos, ideſt credere nos fecit, & ſperare, quòd aliquando poſſimus liberari ab hac ſeruitute corruptionis, & immortalitatē corporis conſequi. Dixit autē. SVBIECIT. Quoniam naturaliter ſperare non poſſumus, immortalitatem corporis nos eſſe conſecuturos; ſed hoc tantum fide ſperamus: ideo Deus fecit nos ipſos ſubijcere huic fidei, & credulitati, ut fide ſperaremus, debere nos aſſequi, quod natura nec conſequi, nec ſperare poſſemus: Fecit (inquā) nos credere, quòd & ipſa creatura, & omnes nationes, quæ crediderint in Chriſtum, aliquando liberabuntur ab hac impia, & crudeli ſeruitute, & neceſſitate corruptionis. Liberabuntur quidem in reſurrectione, ſiue boni, ſiue mali, à ſeruitute corruptionis, quia omnes ſunt futuri immortales. Verum mali non liberabuntur à ſeruitute corruptionis libertatem gloriæ conſecuturi: Sed tantū boni. Quia omnes quidem reſurgemus, non tamen omnes immutabimur. Quamuis enim mali & ipſi reſurrecturi ſint cum corpore immortali, illud tamen eorum corpus pœnis perpetuis affligetur:

1. Cor. 18.

affligetur: Boni uero & corpore immortali, & glorioſo reſurgent: Quædam enim libertas eſt naturæ, qua bonum, ac malum morale facere poſſumus, qua quidem libertate Apoſtolus potuit opem uiuendi à Corinthijs; & Theſſalonicenſibus poſtulare. Quædam uero eſt libertas gratiæ, unde Apoſtolus ait. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas, & hac libertate omnes, qui in Chriſtũ credunt, poſſunt facere opera digna, uita æterna. Quædam uero eſt libertas gloriæ, quam poſſident ij tantum, qui felices ſunt, ac beati, & qui filij adoptionis Dei fuerunt; qua libertate non modo liberi ſunt à ſeruitute corruptionis, ſed ab omni illo, quod gloriæ opponi, uel ſubijci infelicitati poſſit; & ſic beati liberi erunt ab omni ſeruitute corruptionis, & miſeriæ, & omnis calamitatis, quæ gloriæ contrariari uidentur. 2.Cor. 3.

SCIMVS ENIM QVÒD OMNIS CREATVRA INGEMISCIT, ET PARTVRIT VSQVE ADHVC: NON SOLVM AVTEM ILLA, SED ET NOS IPSI PRIMITIAS SPIRITVS HABENTES, ET IPSI INTRA NOS GEMIMVS ADOPTIONEM FILIORVM DEI, EXPECTANTES REDEMPTIONEM CORPORIS NOSTRI.

Quia dixerat, quòd non ex merito paſſionum noſtrarum nos expectamus redemptionem corporis noſtri, ſed eam conſequemur propter illum, qui ſubiecit nos huic ſpei, ideſt qui fecit nos credere, & ſperare poſſe nos conſequi iſtã immortalitatem corporis. Nunc autem declarat modum, quo ſperamus eam aliquãdo poſſe nos immortalitatem conſequi, & utitur ſimilitudine mulieris parturientis dicens, quòd tali modo ſumus in hac ſpe conſtituti conſequendæ immortalitatis, quali ſunt mulieres omnes, quando ſunt in ſpe parturiendi. Illæ enim ingemiſcunt, & dolent, ſpe tamen futuri fœtus recreantur, et ideo dicit. Pro certo nos omnes cognoſcimus, quòd omnis creatura ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, ſiue fidelis, ſiue infidelis fuerit, maximis gemitibus, & doloribus parturit uſque adhuc, ideſt uſque ad hoc tẽpus, in quo poſiti ſumus. Quod ideo dixit, ne quis exiſtimaret homines fuiſſe liberatos per mortem Chriſti ab ipſis doloribus partus, quos Deus comminatus fuerat Euæ propter peccatum. Sicuti igitur omnis mulier in partu naturali etiã in hoc tempore ipſo gratiæ ingemiſcit, & collachrimatur, antequam pariat, ita nos in hoc ſpirituali partu filiorum Dei, nos ipſi (inquam) qui primi ſuſcepimus ſpiritum adoptionis filiorum Dei per Ieſum Chriſtum, ideſt qui primi in eum credidimus, & fidem eius ſuſcepimus,

etiam intra nos ipſos gemimus, collachrimamur, & paſſiones ſuſtinemus, ad inſtar mulierum parturientium, quæ antequã pariant, gemunt. Gemunt autem illæ, filium tamen naſciturum ſperant. Ita & nos gemimus adoptionem filiorum Dei, tamen ſperantes ſcilicet, ut filij Dei adoptiui efficiamur. Quod quidem fieri debere exiſtimamus, cum corpus hoc noſtrum redemptũ fuerit à ſeruitute corruptionis in gloriam filiorum Dei. Non autem eam adoptionẽ conſequi ſperamus, quam in baptiſmate habuimus (illam enim iam conſecuti ſumus) ſed expectamus adoptionem illam aliam filiorum Dei, qua corpore facti ſunt illi immortales, & liberati, & redempti ab omni ſeruitute corruptionis. Hanc igitur & nos intra nos ipſos gementes corporis noſtri redemptionẽ omnibus uotis expectamus; ut aliquando ſicut ſpiritu liberati ſumus à Dominio, & ſeruitute peccati, ita quoque in hoc noſtro corpore à Dominio, & ſeruitute corruptionis liberemur; & mortale hoc fiat immortale; & animale hoc corpus à fluctibus immortalitatis, morte abſorpta, ſurgat ſpirituale, ut in utraque noſtra natura, atque ſubſtantia tam animæ, quàm corporis redemptionem, & adoptionem filiorum Dei poſſideamus.

SPE ENIM SALVI FACTI SVMVS. SPES AVTEM, QVAE VIDETVR, NON EST SPES. NAM, QVOD VIDET QVIS, QVID SPERAT? SI AVTEM, QVOD NON VIDEMVS, SPERAMVS, PER PATIENTIAM EXPECTAMVS.

Ideo nos fideles redemptionem corporis noſtri à ſeruitute corruptionis aliquando futuram expectamus, quoniam ſperamus eam aliquando conſequi poſſe; ſiquidem ſpe ipſa ſalui facti ſumus, & quamuis anima noſtra, nondum Deũ uiderit, nec corpus noſtrum immortale factum eſſe uideamus, ſperamus tamen aliquando utrunque fore, & licet nondum actu in anima, & corpore ſaluati ſimus, ſpe tamen utriuſque felicitatis conſequendæ nos ipſos iam iam ſaluandos fore arbitramur. Si enim Deum ipſum corpore immortales facti conſpiceremus, nullam quidẽ ſpem amplius haberemus, quoniam eius, quod iã uidemus à nobis poſſeſſum, et acquiſitũ non eſt ſpes, ſed poſſeſſio, et oblectatio. Quisnã tam demens eſt, qui ſperet denuo cõparare, quod iã uidet cõparatũ eſſe? Spes.n. quidã motus animi eſt, quo ſperat quis ſe conſecuturũ aliquando eã rem, quã nõ habet. Sed cũ re habita ceſſet omnis motus, nõ mirũ igitur alicui eſſe debet, ſi eius rei, quã conſecutus aliquis ſit, non habeat aliquã ſpem. Nos autẽ, quãuis nõdum

uiſionem Dei manifeſtam, nec corporis noſtri redemptionem à ſeruitute corruptionis conſecuti ſimus, ſperamus tamen aliquando utranque hanc felicitaté nos ipſos conſecuturos eſſe, & in hac ſpe conſtituti patientia noſtra aduerſa omnia toleramus, & intra nos ipſos gementes promiſſam hanc nobis utranque felicitatem patienti, fortiq; animo expectamus.

SIMILITER AVTEM ET SPIRITVS ADIVVAT INFIRMITATEM NOSTRAM. NAM QVID OREMVS? SICVT OPORTET, NESCIMVS. SED IPSE SPIRITVS POSTVLAT PRO NOBIS GEMITIBVS INENARRABILIBVS. QVI AVTEM SCRVTATVR CORDA, SCIT, QVID DESIDERET SPIRITVS, QVIA SECVNDVM DEVM POSTVLAT PRO SANCTIS.

N*on modo Spiritus ſanctus facit, ut credentes in Chriſtum accipiamus ſpiritum adoptionis, per quem ſumus facti filij Dei, & non modo facit, ut in illo clamemus, ſiue appellemus illum Deum patrem noſtrum, propter quod redditur teſtimonium, nos eſſe filios Dei; Sed ille etiam opitulatur noſtræ infirmitati, ut facilius iſtam filiationem cœleſtem orationibus noſtris conſequamur; & ideo dicit, ſimiliter autem & Spiritus ſanctus nos iuuat, & imbecillitaté noſtram nõ modo, ne inter aduerſa longius expectantes deficiamus, ſubleuat, ſed etiam ille, quonam modo oremus, in hac ſpe conſtituti conſequendæ felicitatis cœleſtis, & etiam quonam modo orando ad Deum ipſum confugiamus, mentem noſtram illuſtrat. Nam quid oremus? Sicut oportet ignoramus. In duobus itaque Spiritus ſanctus nobis opitulatur; primo quia docet nos, quid orando poſtulemus, & deinde quia dat modum, quo petere debeamus. Sæpe enim aliqua poſtulamus à Deo, quæ ſaluti noſtræ contraria cognoſcuntur. Poſtulauit enim Dauid uitam filio à Deo concedi, quem Deus non exaudiuit. Poſtulauit etiam mater filiorum Zebedæi pro filijs, ut unus eorum à dextris, alter uero à ſiniſtris ſederet in regno ſuo, & inexaudita remanſit. Poſtulauit quoque Paulus ſtimulum carnis à ſe ipſo remoueri, quod conſequi non potuit, & hoc quoniam, quid ſaluti eorum commodum foret, ignorabant. Sed ipſe ſpiritus quid, & quonam modo orare debeamus, tacitis, occultiſſimiſq; inſpirationibus nobis inſinuat. Ipſe ſiquidem poſtulat, ideſt poſtulare nos facit illud, quod ille petendum nobis inſpira-*

uit. GEMITIBVS INENARRABILIBVS. Non enim ille gemit, ſed nos deſiderio ſupernæ felicitatis gemere, & ſuſpirare facit. Ille igitur in nobis habitans nos ipſos & poſtulantes, & gementes facit. Deus uero, qui cogitatus noſtros, & occulta noſtra arcana cognoſcit, optime nouit ea omnia, quæ facit nos Spiritus ſanctus deſiderare; Quoniã ille idem ſpiritus in nobis illapſus facit nos ſanctos, ac mundos ea poſtulare, quæ ſecundum Deum, & ipſius uoluntatẽ uidentur eſſe poſtulanda. Iuuatur igitur creatura à filio, qui ſubiecit eam in ſpem, ut per patientiam tribulationum expectaret redemptionẽ ſui corporis. Iuuatur à Spiritu ſancto, qui docet eam non modo illud, quod poſtulare debeat, ſed docet modum etiam, quo orando conſequi poſſit cœleſtem filiationem, quam optat. Iuuatur denique à patre, qui rimatur occulta cordiũ noſtrorũ exaudiens illam, quia nouit illud, quod Spiritus ſanctus facit nos fideles, & in Chriſtum credentes deſiderare, & poſtulare.

SCIMVS AVTEM, QVONIAM DILIGENTIBVS DEVM OMNIA COOPERANTVR IN BONVM IIS, QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI. NAM QVOS PRAESCIVIT, ET PRAEDESTINAVIT, CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SVI, VT SIT IPSE PRIMOGENITVS IN MVLTIS FRATRIBVS.

Nequaquam autem preces, quas Spiritu ſancto monente, & docente nos fideles orantes effuſuri ſumus, uanæ futuræ ſunt, ac inanes; quoniam pro certo cognoſcimus, quòd diligentibus Deum, ijs autẽ præſertim, quos Deus, ut ſancti ac mundi eſſent, uocare propoſuit, omnia ſunt conuertenda in eorum ſalutem. Propoſuit autem eos Deus ſanctos tantum, ac mundos uocari, qui credituri eſſent in Chriſtum Filium ſuum, & qui eſſent bene uſuri libertate ſuæ uoluntatis. His (inquam) & uere cognoſcimus, quòd omnia cooperantur in bonũ, ideſt omnia, quæ ſancti faciunt à Spiritu ſancto illuſtrati cooperantur bonũ ad ſalutem eorum: & ideo ſecure idem ſpiritus facit nos Deũ poſtulare, quãdoquidem noſtræ orationes una cum Deo cooperantur bonum diligentibus illum. Dixit cooperantur omnia in bonum, quia non modo Deus ipſe ſed etiam noſtræ orationes, ieiunia, lachrimæ, gemitus, atque his ſimilia ſalutem noſtram operantur; quia Deus ab æterno conſtituit per fidem Ieſu Chriſti, et per obſeruãtiam ſuorum mandatorum regnum cœleſte nobis dare, & nos ipſos noſtris orationibus adiuuare. Dixit. DILIGENTIBVS DEVM OMnia coope

NIA COOPERANTVR IN BONVM. Quia ijs tantummodo preces ſuæ ualent, qui Deũ diligunt, propter quod in ſacris literis multos ſanctos pro impijs, non diligentibus Deum, legimus orauiſſe; & tamen illorum preces horum ſalutem, ac bonum non ſunt operatæ. Dixit. IIS, QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI. Quaſi diceret, non ijs pro futuræ ſunt preces ſuæ, qui Deum dilexerint tantum, ſed qui & Deum diligant, & in Chriſtum credant; & ij quidem ſunt illi, quos Deus ſaluare propoſuit, & deſtinauit; & tales ſunt dicti ſancti ſecundum Dei ipropoſitum. Vnde ſtatim declarat, qui ſint illi, qui ſecundum Dei propoſitum uocati ſunt ſancti, & dicit, quòd illi ſunt ſancti ſecundum Dei propoſitum, quos Deus ſua ineffabili ſcientia, ab æterno præſciuit bonis operibus iugiter operam daturos, & libertate animi ſui in obſeruãdis ſuis inſtitutis fideliter uſuros. Quos autem Deus præſciuit honeſte, & ſecundũ ſpiritum uitam acturos, hos ſimul etiam prædeſtinauit, & ab æterno determinauit, & definiuit, ut eſſent ad inſtar imaginis Filij ſui, & ei perſimiles. Conformitas uero hæc eſt ſimilitudo illius gloriæ, quam anima, & corpus Chriſti habet nunc, poſtquam reſurrexit (ſicut Ioannes dicit.) Cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus. Hæc autẽ imago non eſt ſimilitudo diuinitatis, quia nulla creatura fieri poteſt ad inſtar diuinæ naturæ; ſed eſt imago, & ſimilitudo gloriæ corporis, & animæ Chriſti, quam ille habet, poſtquam reſurrexit, & aſcendit in cœlum; cui perſimiles, & conformes erunt illi, qui ſecundum propoſitum uocati ſunt ſancti. Propterea quòd & corpore, & anima glorioſi cum eo uidebuntur, quemadmodum Philippenſibus ſcribens Apoſtolus teſtatus eſt dicens. Expectantes dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Illos igitur ſaluandos propoſuit, quos ab æterro præſciuit bene uſuros animi ſui libertate; et propter hoc eos determinauit, & definiuit, ut ſimiles eſſent in participatione gloriæ Filij Dei. Quare plurimum diſſentiunt ab Apoſtolo illi, qui putauerunt, Deum aliquos propoſuiſſe ſaluare ſola ſua uoluntate, & quoſdã non. Deus enim omnes homines uult ſaluos fieri, quoniam ſtatim Apoſtolus declarauit, quos propoſuiſſet ſaluare dicens, quòd hos propoſuit ſanctos uocari, ac dici, quos præſciuit bene uſuros libera animorum ſuorum facultate, ſic, ut in poteſtate noſtra etiã ſalus noſtra poſita eſſe uideatur. Nec etiã minus contrarium eſt illud, quòd præſcitos, damnatos: & prædeſtinatos, ſaluos dici uoluerunt. Hoc enim communi ſacrarum literarum uſui repugnare uidemus, quia nullibi compertum eſt, quòd damnati à Deo præſciri dicantur, ſed magis uidentur dici, neſciri. Nã in Euãgelio ſponſus ille fatuas uirgines ſe neſcire dicebat. Et dominus de falſis Pro-

1. Ioan. 1.

Philip. 3.

Math. 25.

Math.7. phetis dicebat. Diſcedite à me, quia nunquam cognoui uos; & illius etiam diui-
Luc.16. tis epulonis in Euangelio nomen conticetur. Lazari uero manifeſtatur, non quia malos, ac ſceleſtos Dominus ignorare uideatur, ſed quia mali, ac ſceleſti à diuina bonitate repellūtur, & ideo à Deo & neſciri, & ignorari dicuntur. Quãuis tamen Deus propoſuerit dici ſanctos eos, quos præſciuit bene uſuros libero arbitrio; & propter hoc illos determinauerit, & definiuerit, ut eſſent conformes gloriæ filij ſui: Voluit tamē, ut ipſe filius ſuus inter nos, qui ſumus filij adoptionis Dei, eſſet primogenitus. Chriſtus enim ſecundum diuinam naturā fuit unigenitus, quia unico conceptu Deus omnia nouit: ſecundum uero naturā humanā fuit primogenitus in hac felicitate, & gloria, quia ſicut ille fuit primogenitus mortuorum, ita quoque idem primogenitus huius felicitatis, & gloriæ in anima, & corpore extitit. Nos uero poſterius geniti fuimus tum tempore, quia ille primo reſurrexit, nunquā amplius moriturus, nos poſtea reſurgemus: tum etiam dignitate, quia magnitudine gloriæ ſuæ omnem noſtrā felicitatem ſuperabit. Ipſe autē primogenitus eſt in multis fratribus, non in omnibus, quia non omnes ſaluabuntur. Fratres autem nos appellauit, quia ſumus cohæredes Chriſti, qui quidem eſt filius Dei per naturam, nos autem omnes ſumus filij Dei per adoptionē, et una cū illo conſecuturi ſumus cœleſtē hæreditatē.

QVOS AVTEM PRAEDESTINAVIT, HOS ET VOCAVIT: ET QVOS VOCAVIT, HOS ET IVSTIFICAVIT: QVOS AVTEM IVSTIFICAVIT, ISTOS ET GLORIFICAVIT.

Dixi, quòd Deus eos, quos ab æterno præſciuit bene uſuros ſua animi libertate, etiam prædeſtinauit, & ab æterno quodam benignitatis affectu determinauit, & definiuit, ut felicitatem, & adoptionem filiorum Dei conſequerentur. Vnde & hos, quos ad hanc felicitatem definiuit, uocauit etiam ſiue interioribus inuitamentis, ſiue flagellis; & quos uocauit, deinde iuſtificauit, ideſt iuſtos effecit proponendo eis, ut in Chriſtum credant, & ore eundē reſurrexiſſe à mor-
Cap.3.et.5. tuis confiteantur. Deus enim (ut ſupra Apoſtolus dixit) iuſtificat hominem per fidem, & ex fide Ieſu Chriſti. (Statim enim quòd quis credit in Chriſtum iuſtificatus eſt.) Hunc etiam ſic iuſtificatum glorificat, uitam beatam, ac ſempiternam illi concedens, quam omnes pariter credentes in Chriſtum, poſtquam reſurrexerint, ſunt conſecuturi etiā ſecundum corpus. Hoc autem loco ſumma diligentia conſiderandū eſt, an dictis Pauli conueniat, quod à multis dici ſolet, qui præſcientiā uoluerunt à prædeſtinatione diſtinguere, ut mali præſciti, & boni

& boni prædeſtinati nominarentur. Quòd ſi eſſet uerum, concedere neceſſario compelleremur, prædeſtinatos non eſſe præſcitos, et ſic prædeſtinatos à Deo non fuiſſe ab æterno cognitos; quod Apoſtolo repugnare uidetur, qui eoſdem, quos dixit præſcitos, deinde appellauit prædeſtinatos. Quare præſcientiā illam puram Dei, abſolutamq; cognitionem, qua Deus omnia futura, antequā facta eſſent, nouiſſet, ſignificare uidetur. Sicut prædeſtinatio uoluntatem illam Dei ſignificat, qua eos, quos præſciuit Deus uitia deuitaturos, uirtutem cōplexuros, ſéq; ſuáq; præcepta obſeruaturos, præ cæteris omnibus definiuit, & determinauit, ut uitam æternam conſequerentur. Atque, ſi hoc modo prædeſtinationē intellexerimus, facile apparebit, quòd ſimul cum ea poſſit ſtare libertas noſtræ uoluntatis, cum Deus non prædeſtinet quempiā, niſi eum, quem præſciuerit ſuo libero arbitrio uitia relicturum, & ſua mandata facturum. Quia enim Deus, cui omnia futura in æternitate præſentia ſeſe uidenda cōmonſtrāt, quia (inquā) nouit hominem aliquē, antequā nobis natus ſit, bene operaturū, ſuoq; libero arbitrio, ac libera uoluntate recte uſurum, hunc propterea definit, hunc determinat præ cæteris ſaluare. Itaque Deus hunc nunquam præ cæteris ſaluaret, niſi eum bene operaturum præcognouiſſet, & ſic perſpicue apparet, utrunque ſimul connecti poſſe, & hominem liberum eſſe, ſimul & prædeſtinatū. Quod dicere nullo modo potuerunt ij, qui Deum ex ſola ſua uoluntate, et nō ex uoluntate, et meritis hominū præuiſis, putauerunt homines prædeſtinare.

QVID ERGO DICEMVS AD HAEC? SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? QVI ETIAM PROPRIO FILIO SVO NON PEPERCIT. SED PRO NOBIS OMNIBVS TRADIDIT ILLVM. QVOMODO NON ETIAM CVM ILLO OMNIA NOBIS DONAVIT?

Cum itaque Deus, quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, uocauit, iuſtificauit, & denique glorificauit, quid dicemus ad hæc, quæ modo diximus? Nunquam iſte ordo diuinæ uoluntatis ab aliquo inuerti, aut immutari poterit, ut eos, quos Deus bene operaturos præſciuerit, non prædeſtinet, non uocet, non iuſtificet, et non glorificet. Quis enim contra Dei ordinem, & uoluntatē præualebit? nemo utique; Quia ſi Deus eſt pro nobis, cuius uirtus, atq; potentia inuincibilis, atq; inſuperabilis eſt; quis contra nos præualere poterit, ut ſi bene operati fuerimus, cœleſtem patriam, & diuinam illam felicitatem non conſequamur? & in ea à Deo ipſo non conglorificemur? qui filio ſuo unigenito non pepercit, ſed

illum tradidit, & dedit in manus crucifigentium, ut morte ſua nobis omnibus ſubueniret? Si itaque nobis filium ſuum donauit; Quomodo minora, & infirmiora nobis non donabit? Quomodo felicitatem, & adoptionem filiorum Dei cum illo nobis non communicabit? ut ſicut ille nunc & anima, & corpore felix exiſtit, ita & nos cum illo, & anima, & corpore beati aliquãdo æterna felicitate fruamur.

QVIS ACCVSABIT ADVERSVS ELECTOS DEI? DEVS, QVI IVSTIFICAT. QVIS EST, QVI CONDEMNET? CHRISTVS IESVS, QVI MORTVVS EST: IMMO, QVI ET RESVRREXIT, QVI ET EST AD DEXTERAM DEI, QVI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS.

Si itaque Deus eos, quos præcognouit bene uſuros ſuo libero arbitrio prædeſtinauit, uocauit, & miſericordia ſua iuſtos etiam fecit, & gloriam deinde illis ſuam communicauit. Si denique ipſe defenſor, et protector noſter eſt, qui pro noſtra ſalute donauit nobis filium ſuum, & cum illo donauit nobis adoptionem filiorum ſuorum, & remiſit nobis morte filij ſui omnia ſcelera, et peccata noſtra; Quis igitur aduerſus eos, quos præſcierat bene uicturos, & aduerſus ipſos (ut ita dicam) electos aliquod crimen obijciet, eos accuſando, quorum omnia crimina ſint ipſis in uno ipſo filio Dei, pro eis mortuo, condonata, remiſſa, & expiata? Nulla itaque creatura poterit eos accuſare, ſed neque Pater cœleſtis eos accuſabit, quoniã qui iuſtificat homines, quomodo eoſdem poterit accuſare? Deus autem ſuos electos credentes in filium ſuum iuſtos facit, & propter hoc illos nõ poterit accuſare; & cum nullus poſſit illos accuſare, quis eos condemnabit? nemo utique: an forſan eos Chriſtus, cui Pater omne iudicium dedit? Sed qua ratione illos Chriſtus cõdemnabit, qui ut uiuerent, pro eis mortuus eſt? Quin immo (quod maius fuit) ob eam præcipuã cauſam à mortuis reſurrexit, ut ſpem nobis daret conſequendæ immortalitatis, qua nunc ipſe poſt reſurrectionẽ fruitur; Qui etiam ſedet ad dexteram Patris, ut ad eandem nos felicitatis gloriam perducendos oſtendat, & in eadem dextera Patris, quæ coæternam beatitudinem atque poteſtatem ſignificat, ſedens pro nobis interpellat, & ſe interceſſorẽ agit, dum patri in humana natura cruciatus, & pœnas, quas pro nobis tolerauit, aſſidue commonſtrat.

QVIS ERGO NOS SEPARABIT À CHARITATE Chriſti?

TE CHRISTI? TRIBVLATIO, AN ANGVSTIA? AN FAMES? AN NVDITAS? AN PERICVLVM? AN PERSECVTIO? AN GLADIVS? SICVT SCRIPTVM EST. QVIA PROPTER TE MORTIFICAMVR TOTA DIE, AESTIMATI SVMVS, SICVT OVES OCCISIONIS: SED IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS PROPTER EVM, QVI DILEXIT NOS.

Si itaque Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ſi pro nobis reſurrexit, ſi pro noſtra felicitate ſedet in dextera Dei, ſi denique pro nobis aſſidue patrē exorat: Quis igitur nos, cum tam magnis beneficijs ab eo affecti, & cumulati ſimus ab eius amore, & beneuolentia diuellere, aut ſeparare unquā poterit? Adeo enim altis radicibus eius infinitus amor, quo nos dilexit, inſertus eſt in cordibus noſtris, ut ui nulla conuelli, aut extirpari poſſit. Quandoquidē nec tribulatio, nec afflictio, nec anguſtia, nec tenuitas rerum, nec alius quiſpiā corporis cruciatus, qui nos angat, & torqueat, nec perſecutio, nec perpetua illa nocendi tirānorum cupiditas, nec fames, quæ eſt alimentorum priuatio, nec nuditas, quæ eſt indumentorum carentia, nec rerum denique omnium egeſtas, nec periculū malorum, uitæq; diſcrimen, nec gladius, quo diſſecti, aut lacerati, aut interfecti uita hac priuamur, de quo à Propheta dictū eſt. Quòd propter te in mortem tradimur ſingulo ferè die reputati, ut oues occiſionis; ſicut illæ, quæ uel in ſacrificijs deſtinatæ erant ad occiſionem, uel quæ in macellis mactari ſolent. Pſal. 43. *Nihil enim horum, quæ commemorauimus, diſtrahere poterit nos à Deo, atq; diuellere; Sed magis his malorum incōmodis in eius amore confirmabimur; Quādoquidem in præfatis malorum omnium generibus non modo non ſuccūbimus, ſed quaſi ſuperiores, ac uictores erigimur; & infirmitatis noſtræ obliti, tormētorum uim omnem ſuperando uincimus, non quidem uirtute, & potentia noſtra, ſed per eum, qui dilexit nos, qui, ut ſibi nos inſeparabili uinculo coniungeret, mori pro nobis uoluit, ut nos in peccatis noſtris mortuos ſanguine ſuo uiuificaret. Equum enim ac rationabile uidetur, ut ſi ille tantū nos dilexerit, ita ut omnia cruciatuū genera pro nobis tulerit, ſic nos quoque ipſius amore flagrantes omnia aduerſa toleremus, ne ab illius beneuolentia, et charitate diuellamur. Quod quāquā uirtute naturæ noſtræ aſſequi nequeamus, benignitate tamen, & miſericordia Dei pro noſtro bono animi affectu, & bona noſtra uolun-*

Philip.2. *tate conſequemur. Deus enim (ut Apoſtolus ad Philippẽſes ſcribit) dat nobis uelle, ut pro Chriſto mori appetamus; & idem dat nobis, ut mortem, quam pro eo pati deſideramus, re ipſa perficiamus.*

CERTVS SVM ENIM QVIA NEQVE MORS, NEQVE VITA, NEQVE ANGELI, NEQVE PRINCIPATVS, NEQVE VIRTVTES, NEQVE INSTANTIA, NEQVE FVTVRA, NEQVE FORTITVDO, NEQVE ALTITVDO, NEQVE PROFVNDVM, NEQVE CREATVRA ALIA POTERIT NOS SEPARARE À CHARITATE DEI, QVAE EST IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO.

V*ere nullum tormentorũ genus ſeparare nos poterit à charitate, & amore Chriſti: Sed neque etiã ab eodem diuellet nos aliqua uis alia, aut poteſtas, quia certus ſum, & ſine ulla dubitatione confido, quòd neque mors ipſa, neq; uita, ideſt neque mortis impendentis horrentia pericula, neque uitæ præſentis dulcia delinimenta, neque ulla alia uirtus, uel humana, uel cœleſtis, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque etiam tempus præſens, aut futurum, neque inſtantia, neque imminentia, neque etiam futura mala, neque fortitudo, aut uiolentia aliqua, neque altitudo, ideſt cœlum ipſum, neq; profunditas, ideſt infernus ipſe, neque ea, quæ uel ſupra, uel infra nos ſunt (quæcunq; ipſa fuerint) neque omnis alia creatura, quam oculus uidet, aut non uidet, nihil (inquã) harum, quaſi dicat, omnium rerum, ſeparabit nos unquã à coniunctione, & charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Quia charitatem ſuã Deus in Chriſto ſuo nobis oſtendit: maiorem enim charitatem nobis declarare non poterat, quàm, ut filius ſuus pro noſtra morte expianda moreretur. Quòd uero neque angeli, neque principatus, neq; poteſtates poſſint nos diuellere à charitate Dei, hoc ideo dixit, non quia uelint ipſi, nos ſeparari à Dei beneuolẽtia, cum potius lætentur ipſi in cœlis ſuper uno peccatore pœnitentiã faciente; ſed quia ſi etiam ipſi (quod tamen fieri non poteſt) poſſent uelle nos diuellere, utique non diuellerent. Tanta eſt enim Dei erga nos magnitudo charitatis, ut nihil ſit, quod ab ea nos poſſit ſeparare, cum ille pro noſtra redemptione filium ſuum morti tradere uoluerit.*

Veritatem

CAPVT NONVM.

VERITATEM DICO IN CHRISTO IESV, NON MENTIOR, TESTIMONIVM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA IN SPIRITV SANCTO. QVONIAM TRISTITIA MIHI MAGNA EST, ET CONTINVVS DOLOR CORDI MEO. OPTABAM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE À CHRISTO PRO FRATRIBVS MEIS, QVI SVNT COGNATI MEI SECVNDVM CARNEM.

Sed quãquam in hoc tempore, in quo Chriſto coniunctus ſum, nulla me uis, aut poteſtas ab illo diuellere, ac ſeparare poſſit, ueritatem tamen dico in Chriſto, quem teſtem mei facio, quia ipſe eſt ueritas, & hoc ipſum, quod ore dico, atteſtatur conſcientia mea in Spiritu ſancto, quem etiã ueritatis meæ teſtem, quã uobis ſum nunc dicturus, adduco. Dico autem quòd magno quidẽ animi mœrore afficior, & aſſiduo dolore in corde meo excrucior, & affligor. Nũc enim etſi nulla uis me poſſit à Chriſto ſeparare, olim tamen, cum Iudæus eſſem, deſiderabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, ideſt ſeparari à Chriſto, & eijci ab illo. (Anathema enim eſſe à Deo eſt eſſe ſeparatum, diuulſumq; cum deteſtatione ab illo, propterea dicimus eos nunc, qui ſunt repulſi à templis Dei nõ ſolum excommunicatos, ſed anathematizatos eſſe.) Dolore igitur aſſiduo torquebatur Apoſtolus, ut qui nunc coniunctiſſime Chriſto adhæreret, olim optauerit ab ipſo diuelli, ac ſeparari pro fratribus ſuis. Cauſa igitur ſeparationis ipſius à Chriſto fuit amor, quo fratres ſuos complectebatur. Timebat enim ne noua hac Chriſti religione ſeducti paternas traditiones relinquerent, & huic ſe nouæ religioni dederent, quam ille tunc falſam eſſe iudicabat. Qui fratres ſunt mihi cognati, atque coniuncti, non modo affectu cordis, atque beneuolẽtia animi, ſed etiam ſecundum carnem, ac ſanguinem, quandoquidem cum eis ex eiſdem patribus natus ſum, et in hanc lucem editus. Hoc autem loco dum ipſe ſtatum ſuum antiquum declarat, ſimul etiam ſtatum reliquorum Iudæorum declarauit, quia ſicut ipſe olim deſiderauit ſeparari à Chriſto, ita quoque nunc iſti adnitũtur ab eodem diuelli, & propterea ſicut dolore pro ſe angitur aſſiduo, quòd

Deuthe. 7.

aliquando optauerit à Chriſto ſeparari, ita quoque aſſiduo, nunc inſinuauit ſe dolore cruciari, quòd fratres ſuos ſibi ſecundum carnem coniunctos, uideret à Chriſto ſeiunctos eſſe, atque diuiſos. Fuerũt tamen aliqui, qui putauerũt hoc loco Apoſtolum uoluiſſe dicere, ſe tanto amore proſequi fratres ſuos Iudæos, ut ille pro ſalute eorum optaret ſeparari à Chriſto, quod quidem ueriſimile eſſe non poteſt, quia paulò antea dixerat, quòd nulla uis poterat nos ſeparare à charitate Chriſti, multo igitur minus amor fratrum ſuorum potuiſſet illũ ab eadem charitate diuellere, cui tam tenaciter inhærebat. Deinde quid hæc ſeparatio illius uel ſibi, uel fratribus contuliſſet, cum omnis, qui à Chriſto ſeparatur, neceſſe ſit, ut morte ſempiterna dãnetur? Ille enim ſeparatione hac ſua in damnationem incurriſſet, & ſuo exemplo Iudæos fratres ſuos ad eandem etiã damnationem excitauiſſet. Nec huic iſtorum opinioni opitulatur illud, quod de
Exod. 32. Moyſe in Exodo legitur. Dixit enim ille domino. Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Ex qua auctoritate aliqui uoluerunt, tantum fuiſſe amorem Moyſi erga populũ ſibi commiſſum, ut optauerit pro ipſius ſalute deleri de libro uitæ, quod quidem non eſt ſic intelligendum. Sed orauit Moyſes, ut Deus uel parceret populo, ſibi commiſſo, uel eum deleret non de libro uitæ, ſed de libro principatus, aut regiminis illius populi, in quo quidem libro Deus illũ ſcripſerat, ut eſſet Dux, & rector illius populi, propterea paulo poſt dicit. Tu autem uade, & duc populum iſtum quo locutus ſum tibi.

QVI SVNT ISRAELITAE, QVORVM ADOPTIO EST FILIORVM, ET GLORIA, ET TESTAMENTVM, ET LEGISLATIO, ET OBSEQVIVM, ET PROMISSA, QVORVM PATRES, EX QVIBVS EST CHRISTVS SECVNDVM CARNEM, QVI EST SVPER OMNIA DEVS BENEDICTVS IN SAECVLA. AMEN.

Si itaque tali, ac tanta ſollicitudine cordis afficior, ut pro fratribus meis, ſecũdum carnem mihi coniunctis, optauerim aliquando ſeparari à Chriſto, nõ minore nunc ſanè animi dolore commoueor, ipſos obſtinatiſſimis adhuc animis in hac incredulitate, & ſeparatione à Chriſto perſeuerare; & eo uehemẽtiori dolore cõtabeſco, quia hi ipſi fratres mei Iſraelitæ ſunt, quibus hæreditas, et principatus ex promiſſionibus Dei debebatur, ut ex ipſius nominis ſignificatione, & interpretatione intelligendum eſt. (Iſrael enim princeps, ſeu hæres Dei interpretatur.)

tatur.) Quippe quia erant ex illo ſancto Iſraelis ſemine generati, ipſiq; etiam adoptiui filij Dei primo ſunt nuncupati; de quibus Dominus olim loquebatur. Filius meus primogenitus Iſrael. Ipſiq; etiam in eam gloriam erant adſciti, ut non modo filij Dei nuncuparentur, ſed etiam tales fuerint, ut in illis Deus maxime gloriam ſuam manifeſtauerit, quia eos ex miſera ſeruitute Aegyptiorum non modo mirabiliter eduxit, ſed etiã illis gentes, ac nationes ſubegit, gloriamq; earum ſuæ poteſtati tradidit. Illis quoque datum fuit teſtamentũ, pactio ſcilicet illa circunciſionis Abrahæ data in ſignum, & teſtimonium; quòd eſſent filij ipſius, & de populo Dei. Eis quoque data fuit lex, qua & Deum præcipue uenerari, & proximo non obeſſe erudirentur. Ac deinde datum fuit eis, quonã modo Deo obſequi, & eius monitis, ac inſtitutis obtẽperare deberent. Ipſis quoque pactiones fœdera, & promiſſiones factæ ſunt rerum temporalium, qui etiam ex eiſdem patribus nati ſunt, ac geniti, ex quibus Chriſtus (quantum ad carnem ſpectat) naſci uoluit (Nam, quantum ad diuinam naturam attinet, ipſe quidem eſt Deus uere ſuper omnia, quæ in cœlo, & terra continẽtur, non quidem finito tempore, ſed in omni ſæculorum omnium ſempiternitate benedicendus.) Hoc itaque loco Apoſtolus primum manifeſte Chriſtum Deum nominauit, quamuis illum ſuperiori parte epiſtolæ ex ipſius multiplici, uariaq; operatione Deum eſſe lucidiſſime declarauerit. Exod. 4.

NON AVTEM, QVÒD EXCIDERIT VERBVM DEI; NON ENIM OMNES, QVI EX ISRAEL SVNT, II SVNT ISRAELITAE: NEQVE, QVI SEMEN SVNT ABRAHAE, OMNES FILII.

Cum igitur Iudæi Iſraelitæ eſſent, & filij adoptionis, quibus teſtamentum, lex, et promiſſa, cæteraq; alia Dei dona cõceſſa fuerant, & maxime, ut ex eorũ ſanguine naſceretur Chriſtus, & propter incredulitatem ſuam eſſent ſeparati à Chriſto, quærere aliquis rationabiliter potuiſſet; Quonam modo ergo uerbum, & promiſſiones Dei poterant in illis impleri? Nunquid igitur propter eorum ſeparationem excidit, & inane factum eſt uerbum Dei? Nunquid propter eorum etiam incredulitatem promiſſiones ipſius Dei patribus eorum factæ uanæ futuræ ſunt, ita, ut neque amplius illi benedictiones à Deo promiſſas ſint conſecuturi, neque etiam eorum filij ſint amplius poſſeſſuri portas inimicorũ ſuorum? Cui quæſtioni reſpondens Apoſtolus dicit. Nequaquã exiſtimandum eſt, quòd propter eorum incredulitatem exciderit uerbum Dei, neque etiam exiſtimandum, quòd promiſſiones ipſius Dei illis factæ finem præſtitutũ, ac pro=

miſſum non ſint conſecutæ; Sed magis putandum eſt, quòd uerbum Dei in ſua immobili perſtiterit ueritate, quia non filij carnis, ſed ſpiritus, atque promiſſionis ſunt ij filij, qui pactiones, atque promiſſiones Dei ſunt cōſecuturi. Non enim omnes, qui ex Iſrael ſecundum carnem geniti ſunt, ij ſunt Iſraelitæ, & hæredes Dei: Quãquam enim (quantum ad carnem & generationem attinet) ex Iſraele geniti ſint, quia tamen fide, ac moribus ab Iſraele maxime diſiũcti ſunt, propter hoc non ſunt Iſraelitæ, hoc eſt hæredes Dei. Iſrael enim hæredẽ Dei ex ipſius nominis ratione ſignificare uidetur. Sed neque etiã omnes qui ex Abrahã geniti ſunt, Abrahæ filij dici merentur; Quia neq; fidem, neq; opera Abrahæ
Ioan. 8. imitari uoluerũt. Iccirco Dominus in Euãgelio Iudæis dicebat. Vere filij Abrahæ eritis, ſi opera ipſius feceritis. Maximum autem opus Abrahæ fuit fides, qua promittenti Deo credidit, naſciturũ ſibi filium Iſaac, non tamen ſecundũ carnem, ideſt ſecundum naturæ ordinem, atque facultatem; ſed ſecundum promiſſionem, quia corpus iam ipſius effœtum erat, & ad generationum filiorum inualidum, in cuius ſemine (quantum ad carnis naturã attinet) naſciturus erat Chriſtus, in quo omnes gentes erant benedicendæ. Qui igitur fidẽ Abrahæ fuerit aſſecutus, hic uere Abrahæ filius dici, & appellari poterit. Quare non omnes qui ex Abraham, & Iſraele geniti ſunt ſecundum carnem eorum filij proprie ſunt appellandi; ſed ij tantum, qui eorum fidẽ, atque opera fuerint imitati, filij eorum uerius, ac magis proprie exiſtere cenſebuntur.

SED IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN, IDEST NON QVI FILII CARNIS, HI FILII DEI, SED QVI FILII SVNT PROMISSIONIS, AESTIMANTVR IN SEMINE.

Non utique omnes, qui ſunt ex Iſraele, ſunt filij ipſius, & hæredes Dei: neque etiam omnes, qui ex Abraham geniti exiſtunt, cenſendi ſunt filij Abrahæ; ſed ij tantum, qui ex Iſaac ab Abraham prouenerũt, quia ſibi ab angelo fuit annunciatum. In Iſaac uocabitur tibi ſemen. Iſmael nanque Agar ancillæ filius, nec non Cethuræ filij poſt obitum Saræ generati in ſemen Abrahæ non ſunt æſtimati; Quia non fuerunt generati uirtute promiſſionis diuinæ, et ſpiritu Dei uiuificante uirtutem parentum, ideſt emortuam uim ad generationem; Sed fuerunt generati uirtute carnis naturaliter; & ideo hæredes ipſius non extiterunt. Dixit enim Sara Abrahæ. Eijce ancillam, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Igitur Iſaac ſolus, qui ab Abraham ex libera natus eſt, filius Abrahæ extitit, quẽ non ex carne generauit, quia illum

præter

præter uſitatum, atque receptum naturæ ordinem genuit; quando effœto corpore patris, & facto iam propter longam ætatem ſterili, atque infœcundo matris utero, in lucem editus eſt; Sed illum per promiſſionē genuit, quāquam nō ſine uiro, atque utero matris; quia tamen plus ualuit promiſſio Dei, quàm ſeminis paterni uirtus, quæ propter promiſſionem, cum iādudum extincta eſſet, iterum uim generandi ſuſcitata concœpit. Propter hoc Iſaac non carnis, ſed promiſſionis filius eſt appellatus. Ergo ſicut Iſaac eſt reputatus in ſemine Abrahæ, quia fuit filius promiſſionis, et nō carnis, ſic quoq; illi erunt filij Abrahæ, & futuri hæredes illius, qui non ſecundum carnem nati tantum ſunt, ſed qui per promiſſionem geniti exiſtunt. Illi autem ſunt filij promiſſionis, qui credūt promiſſiones factas Abrahæ, quòd in ſemine ſuo benedicēdæ eſſent omnes gentes, iam impletas eſſe, & in Chriſto omnes gentes ſaluandas, quæ crediderint in illum. Qui uero ſecundum carnem ab Abraham profluxerunt, & non credunt promiſſiones factas Abrahæ impletas fuiſſe de ſemine ipſius, ij ſunt filij carnis tantum, & non filij Dei; neque etiam filij Abrahæ ſecundum promiſſionem: & propterea Iudæi, qui non credunt promiſſiones factas Abrahæ cōpletas fuiſſe in Chriſto, non ſunt filij promiſſionis, & Dei; ſed ſunt filij ſecūdum carnem tantum Abrahæ, & propterea non computantur in ſemine ipſius. Gentiles uero, quia credunt promiſſiones Dei factas ipſi Abrahæ cōpletas fuiſſe in Chriſto, cui crediderunt, ſunt filij Dei, & promiſſionis, & æſtimati ſunt in ſemine ipſius Abrahæ. Et ideo quāquam Iudæi repulſi ſint, & Gentiles adſciti, atque uocati ad fidem, uerbum tamen Dei nō excidit, quia promiſſiones Abrahæ factæ, ſi non ſunt completæ in Iudæis, qui ſunt filij carnis, implebuntur tamen in Gentilibus, qui facti ſunt filij promiſſionis propter ſuam credulitatem; & ſic adoptio filiorum Dei olim promiſſa Iudæis, quāquam in eis ſecundum carnem deſcendentibus ab Abraham tantum impleta non fuerit, implebitur tamen in eis ſiue Iudæis, ſiue Gentilibus, qui fidem Abrahæ fuerint imitati, et hi propter ſuā ipſorū fidem promiſſionis, non carnis filij appellabūtur.

PROMISSIONIS ENIM VERBVM HOC EST. SECVNDVM HOC TEMPVS VENIAM, ET ERIT SARAE FILIVS.

Vere Iſaac fuit filius promiſſionis, & non carnis, quia generandi facultas tota in parentibus propter confectam utriuſque ſenectutē extincta iacebat, fuit ergo filius promiſſionis, quod ex eo probat, quia Angelus dixit Abrahæ. Vbi eſt Sara uxor tua? cui Abraham reſpondens dixit. Ecce in tabernaculo eſt. Cui

Gen. 18. angelus dixit. Reuertens ueniam ad te tempore iſto uita comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quia igitur Abraham huic promiſſioni credidit, propter hoc Iſaac filius ſuus promiſſionis filius eſt nuncupatus: ſed cum ei etiam fuerit promiſſum, quòd in ſemine ipſius omnes gentes terræ benedicendæ eſſent, quod cum in Iſaac factum non eſſet, conſequenter oriturus erat alius ex ſemine ipſius, in quo hoc promiſſum compleretur. Quamobrem ueriſimile eſt, quòd Abrahã crediderit, poſt filium ſuum Iſaac alium ex ſuo ſemine ſibi naſciturum, ſcilicet Chriſtum, in quo promiſſioni Dei conſpexerit aliquando ſatisfactum iri.
Ioan. 8. Propterea dicebat ueritas in Euangelio. Abraham exultauit, ut uideret diem meum; uidit, & gauiſus eſt. Qui igitur fidem Abrahæ fuerit aſſecutus, & crediderit in ſemine ſuo, qui eſt Chriſtus, promiſſiones Dei completas eſſe, hic utique filius erit promiſſionis, & in ſemine Abrahæ æſtimabitur. Quare nihil proficit Iudæis, quãquam per originationem carnis ab Abraham profluxerint, ut æſtimetur eſſe in ſemine Abrahæ, niſi crediderint in ſemine ipſius, qui eſt Chriſtus, omnes gentes, quæ in eum fidem habuerint, ſaluandas eſſe: & idcirco quãquam Gentiles ab illo ſecundum carnem non deſcenderint, ſi tamen fidem Abrahæ conſecuti fuerint, filij ipſius appellabũtur, & in ſemine ſuo nati dicentur. Hoc itaque eſt uerbum, quo Angelus promiſit Abrahæ filium ſibi naſciturum: ſecundum hoc tempus ueniam, ideſt in hoc tempore reuertar. Reuoluto enim annuo cœli orbe in hoc ipſo tempore, quo tecum nunc loquor, ad te cum effectu ſuſceptæ prolis reuertar, & erit tunc Saræ filius, quia illa tunc ſe uirtute Dei concepiſſe cognoſcet. Virtute igitur promiſſionis, & non facultate naturæ Iſaac conceptus, & natus eſt, quem nunquam Abraham ſuſcepiſſet, niſi promiſſioni Dei conſtantiſſime credidiſſet.

NON SOLVM AVTEM ILLA, SED ET REBECCA EX VNO CONCVBITV HABENS ISAAC PATRIS NOSTRI. CVM ENIM NONDVM NATI FVISSENT, AVT ALIQVID BONI EGISSENT, AVT MALI, VT SECVNDVM ELECTIONEM PROPOSITVM DEI MANERET, NON EX OPERIBVS, SED EX VOCANTE DICTVM EST EI. QVIA MAIOR SERVIET MINORI, SICVT SCRIPTVM EST. IACOB DILEXI, ESAV AVTEM ODIO HABVI.

Quia dixerat Saræ ex diuina promiſſione contigiſſe, ut filiumpepererit, qui cũ

eſſet

eſſet minor natu altero filio Abrahæ, ſolus tamen in hæreditaté patris ſit adſcitus, & in ſemine illius computatus, expulſo fratre maiore: propter hoc rationabiliter aliquis potuiſſet dicere, quòd hoc mirum non erat, neque iuſtitiæ repugnabat, ut filius liberæ, quãuis minor natu, præponeretur ancillæ filio, quãuis maiori. Propterea, ne hoc alicui mirum uideatur, dicit Apoſtolus, idẽ illud, quod contigit Saræ, Rebeccæ etiam ex ipſius Dei uoluntate contigiſſe, cuius filius minor non ſolum patris hæreditatem eſt adeptus, ſed etiam dominium, & poteſtatem ſuper alterum fratrem ſuum maioré natu eſt conſecutus. Dicit itaq;. Non ſolum Sara genuit filium, qui quamuis minor natu eſſet Iſmaele, fuit tamen factus hæres, & computatus in ſemine patris expulſo maiore eius fratre; quia minor erat filius promiſſionis, & hæres: & maior filius carnis, & ex ancilla generatus. Sed etiam Rebecca ex uno patre noſtro, Iſaac, dum ſeſe illi coniunxiſſet, duos filios concepit, quos cũ in utero ſuo pugnantes ſenſiſſet, antequam in lucem ederentur, antequam quicquam aut boni, aut mali peregiſſent, audiuit à Domino, quòd maior ſeruiturus eſſet minori. Hoc etiam Dominus Malachiæ ſignificauerat, cum eidem dixit. Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui. Ex utroq; autem exemplo perſpicue apparet minores natu maioribus in hæreditate, & dominio uoluntate Dei prælatos fuiſſe. Nam ex priori quidem exẽplo Iſmaelem primogenitum Abrahæ ſecundum carnem genitum, & à patre ſedibus ſuis eiectum, & hæreditate priuatum legimus; ſicut contra minorem natu Iſaac ſecundum promiſſionem editum, & hæredem patris inſtitutũ fuiſſe colligimus, ut huius exempli teſtimonio Iudæi, cum primogeniti eſſent (dicente Domino. Primogenitus meus Iſrael) ſecundum carnem, & non ſecundum ſpiritum, ac promiſſionem genitos ſe eſſe cognoſcerent, & propter hoc à ſedibus patrijs, & hæreditate patris quandoque ſe excludendos eſſe intelligerent; & Gentiles minores natu tum in filios promiſſionis, ac ſpiritus, tum etiã in paternam hæreditatem accerſitos, atque uocatos ſe eſſe cognoſcerent, quamobrem querimoniæ Iudæorum de Deo lamentantium ſatis facit. Conquerebantur enim de Deo, quòd Deus, quæ ipſis promiſiſſet, non præſtitiſſet, cũ à Gentilibus poſterius genitis ipſi, qui fuiſſent primogeniti in promiſſionibus, ac pactionibus eis factis, ſuperarentur, Gentileſq; hæredes, & diuinorum miniſteriorum conſcij, ac participes eſſent facti. Ipſi uero non modo paternis ſedibus excluſi eſſent, ſed etiam hæreditate promiſſa priuati; Quare dicit Apoſtolus non eſſe mirandum, ſi gentiles ſunt promiſſiones Dei conſecuti, & non Iudæi, quia hoc non caſu aliquo, aut euentu, ſed diuina, & æterna prouidentia factũ eſt. Quod ut facilius crederemus, longis antea ſæculis in ipſis ſuæ gentis auctoribus hoc eueniſſe monſtratũ eſt, ut illi, qui primogeniti fuiſſent, minoribus natu

Gen. 2.

Exod. 4.

in paterna hæreditate poſtponerentur. Nam cum Abraham duos filios Iſmaelem prius genitum, & Iſaac minorem natu ſuſcepiſſet, non maiorem natu, ſed minorem hæredem inſtituit, & maiorem paternis ſedibus, & hæreditate priuauit. Cuius rei exemplo Iudæi non debent ægre ferre, ſi Gentiles minores natu conſpiciant ſibi in promiſſionibus Dei præferri; Quandoquidem patres eorum filios ſuos minores maioribus ſuis filijs præponere uoluerint, quia filij promiſſionis, & non carnis ſunt uocati in ſemen, & hæredes ab eorum patribus ſunt inſtituti: & ſic Deus non fecit irritas, atque inanes promiſſiones ſuas: neque propter hoc excidit, aut defecit uerbum oris ipſius, quia etſi Iudæis tanquã primogenitis non ſeruauit, quod promiſit, hoc ideo fecit, quia erant primogeniti filij carnis tantum, & non ſpiritus, ac promiſſionis: ſeruauit tamen Gentilibus tanquam minoribus natu promiſſiones ſuas, qui erant filij promiſſionis, ac Dei, quia crediderunt promiſſionibus Abrahæ factis: & ideo eis tãquam poſterioribus pactiones ſeruauit, ſicut patres eorum minores natu, & non maiores filios ſuos hæredes ſibi eſſe uoluerunt. Ex poſteriori uero exemplo Eſau quoque priorem natu Iacob in dominio poſtpoſitum fuiſſe uidemus, qui minor natu erat, ut huius alterius exempli teſtimonio altera Iudæorum lamentatio, ac querela diſſolueretur. Aegre enim ferebant Iudæi, quòd cum ipſi primogeniti eſſent, quorum etiam fuiſſet adoptio, & gloria, & teſtamenta, & pactiones; & qui demũ eſſent geniti ex eiſdem patribus, ex quibus (quãtum ad carnem ſpectat) natus eſſet Chriſtus, à Gentilibus in gloria, & dominatu, & honore uincerentur: Præſertim cum Gentiles poſteriores; & minores natu illis eſſe uiderentur. Quorum lamentationi reſpondens Apoſtolus dicit, quòd minores natu non modo ab eorum patribus fuerunt in hæreditatem adſciti repudiatis maioribus, ſed etiam maioribus ſuis fratribus ſunt dominati, & ita illis in honore, ac gloria, patrum ſuorum iudicio, ac uoluntate fuerunt antepoſiti, atque prælati. Qua ex re Iudæi non debent moleſte ferre, ſi Gentiles conſpiciant ſibi in honore, ac gloria præferri, cum Deus uoluerit primogenitos ſeruituti minorum filiorum ſubiugare: atque ita Gentiles non modo factos eſſe filios promiſſionis, ac hæredes cœleſtis patriæ pulſis Iudæis, quod longe nobilius eſt, quàm eſſe filios carnis, ut erant Iudæi, ſed eoſdẽ etiam Gentiles in honore, ac gloria dominij temporalis Iudæis antepoſitos extitiſſe, ſicut Iacob antepoſitus fuit Eſau, dicente ſcri-
Gen. 27. ptura. Eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, ex quibus lucidiſſime apparet, quòd Apoſtolus non loquitur hoc in loco de prædeſtinatione, aut reprobatione, ut multi clariſſimi homines putauerunt. Voluerunt enim illi Deum ab æterno aliquos ad felicitatem cœleſtem elegiſſe ſine eorum aliquibus bonis operibus, ut in illis ſuam miſericordiam oſtenderet, & hos

prædeſtinatos

prædeſtinatos appellauerunt; quaſi quòd ante omnia eorum opera bona eſſent ad felicitatem illam beatam præmiſſi. Quoſdā uero uoluerunt à Deo reprobari, quos præſcitos appellant, ut in eis Deus ſuam iuſtitiam cōmoſtraret: Quā opinionem hauſerunt ex proximis horum uerborum fontibus, quibus Apoſtolus dixit de Eſau, atque Iacob, quòd antequam geniti eſſent, & antequā quicquam mali, aut boni feciſſent, ut firmum, atque immobile permaneret Dei propoſitum, ſecundum electionem, non ex operibus, ſed ex uocante dictum eſt. Gen. 25.
Vt maior ſeruiret minori, & Iacob dilexi, & Eſau odio habui. Putāt enim omnia hæc de prædeſtinatione Iacob, et reprobatione Eſau eſſe intelligēda, ita ut Iacob ſine ullo eius opere bono fuerit electus, atque prædeſtinatus, & Eſau præſcitus, ut damnaretur, ut in uno miſericordia, et in altero eluceret iuſtitia Dei. Nos uero non, ut tot maximis, præſtantiſſimisq; uiris repugnemus, quos omnia uentura ſæcula prædicabunt, ſed, ut ueritatem defendamus, quæ omnibus rebus eſt anteponenda, nihil aliud minus hoc loco Apoſtolum, quàm de prædeſtinatione locutum fuiſſe cogitamus. Dicit enim ille. antequam Eſau, & Iacob geniti fuiſſent; & antequam quicquam mali, aut boni feciſſent, non ex eorū operibus, ſed ex uocante dictum fuiſſe. Maior ſeruiet minori, ut propoſitum electionis Dei inuiolabile permaneret. Quæ quidem uerba ſiquis diligenti conſideratione perueſtigauerit, uidebit profecto Apoſtolum nihil de hac prædeſtinatione, quam illi inuenire uoluerunt, locutum eſſe. Quid enim minus conuenire dictis Apoſtoli dicemus, quàm opinari, illum aut de ſalute Iacob, aut de damnatione Eſau loqui uoluiſſe, cum illū de dominio, & ſeruitute utriuſque loqui conſpiciamus. Dicit enim antequam Eſau, & Iacob geniti eſſent, cū ambo in utero matris colluctarentur, & antequam illi quicquam boni, aut mali feciſſent, audiuiſſe Rebeccam à Deo, quòd maior ſeruiturus eſſet minori. Quare (ut diximus) non eſt conſentaneum dicere Apoſtolum de prædeſtinatione Iacob, et reprobatione Eſau quicquam hoc loco opinari uoluiſſe, cum perſpicuum ſit illum de dominio temporario, ac de ſeruitute utriuſque diſputare. Quòd ſi aliquis occurreret putans, Apoſtolum in illis poſterioribus uerbis, quibus Dominus Ma- Malach. 1.
lachiæ dixit. Iacob dilexi, et odio habui Eſau. id uoluiſſe oſtēdere, ut Iacob prædeſtinatum, & Eſau reprobatum ſignificaret, quia Deus oderit Eſau, et Iacob dilexerit. Nos uero, ſicut in prioribus uerbis nihil ab Apoſtolo de prædeſtinatione, aut reprobatione dici putamus, ita quoq; in his poſterioribus minus quicquā de eadem re contineri cogitamus; Cum his uerbis: Iacob dilexi, Eſau odio habui; Apoſtolus priorem ſententiam de ſeruitute, & dominio confirmauerit; Quia ille dixit, ex uocante dictum eſt, quòd maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Hæc enim uerba comprobant, quòd

maior ſeruiturus eſſet minori, quia Deus ideo dilexit Iacob, ut dominaretur Eſau; & ideo odit Eſau, ut eum ſubigeret ſeruituti minoris. Cuius rei ueritatem ex
Malach. 1. uerbis Malachiæ facile cognoſcemus. Dicit enim ille. Dilexi uos (dicit dominus) & dixiſtis, in quo dilexiſti nos? Non'ne frater erat Eſau Iacob? (dicit dominus) & dilexi Iacob, odio habui Eſau? & poſui Seir montes eius in ſolitudines, & hæreditatem eius in dracones deſerti? Ex quibus uerbis facile unuſquisque intelligit, Deum adeo odiſſe Eſau, ut montes, quos ille coluit, deſertos fecerit, & urbes eius euerterit, & in deſolationem redegerit. De ſeruitute igitur, & cõminutione regni ſui; & non de reprobatione, aut eius damnatione Apoſtolum inttellexiſſe cenſendum eſt. Quòd ſi de prædeſtinatione, ac reprobatione utriuſque Apoſtolus loqueretur, quomodo Deus ſine malis operibus aliquem damnare poteſt ſola ſua uoluntate? Hoc utique eorum, qui hanc opinionem tuentur, inſtitutis atque doctrinæ repugnat; Quoniam uoluerunt Deum aliquem ſine aliquo antecedente bono opere prædeſtinare, quod maxime dicũt illuxiſſe in anima Chriſti, quæ ſine ullis ſuis bonis operibus antecedentibus prædeſtinata fuit, cũ ſemper fuerit diuinitati coniuncta, ſed nullum hominem unquam dicunt Deum reprobauiſſe, niſi ille prius peccauiſſet. Quomodo igitur Eſau potuit reprobari, & odio à Deo haberi, atque à felicitate cœleſti repelli, antequam in lucẽ editus eſſet, & antequam quicquam mali perpetrauiſſet, cum homines nõ niſi propter eorum peccata, ut etiam ipſi dicunt, reprobentur à Deo? Vnde, quãquã nulla ſit requirenda cauſa apud hos, cur aliquis prædeſtinetur, quia dicũt, quòd ſola Dei uoluntas, atq; clementia in cauſa eſt, ut aliquis ſit prædeſtinatus, ut in eo Deus oſtendat diuitias miſericordiæ ſuæ, tamen bene ſecundum eoſdem petẽda eſt cauſa, cur aliquis damnetur, ac reprobetur, quod & Apoſtolus confir-
Cap. 2. mare uidetur. Supra enim ille dixerat, iis uero qui ſunt ex contentione, et qui non acquieſcunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam operantis malum. Cum igitur reprobatio fieri non poſſit etiam apud iſtos, niſi in eo, qui antequam reprobetur, peccauerit: Cum igitur Eſau, antequam genitus eſſet, nihil mali fecerit, reprobari nõ debuit à Deo. Et propter hoc lucide apparet Apoſtolum non de prædeſtinatione, aut reprobatione: Sed de dominij, & ſeruitutis odio, & amore locutum eſſe. Iniuſtus quippe eſſet Deus, ſi Eſau ſine malo ſuo opere reprobauiſſet, cum pœna, atque ſupplicio hominem innocentem affeciſſet, quia illum non adhuc peccantem, neque oberrantem punire decreuiſſet. Sed, quãquam Deus Iacob ſine aliquo bono opere ſuo dominium fratris conceſſerit, & ſine aliquo malo opere maiorem ſuum fratrem ipſius ſeruituti ſubegerit, iniuſtus appellari non poteſt; Quia omnis poteſtas à Deo eſt, & in manu ipſius omnes fines terræ conſiſtunt:

& ideo

& ideo Deus poteſt dare prælationē, cui uult, ſine præiudicio iuſtitiæ ſuæ. Sed quia perditio, ac reprobatio noſtra in nobis eſt, quia perditio (ut dicit Propheta) ex te Iſrael eſt, non poteſt Deus hominem damnare innocentem ſine labe iuſtitiæ ſuæ, quia damnationem communi omnium conſenſu pœnam peccati eſſe dicimus, & confitemur. Potuit igitur Deus abſq; præiudicio ſuæ iuſtitiæ ſubigere ſine aliquo opere malo Eſau ſeruituti Iacob. Sed eundem, ſi ſine malo opere ſuo reprobare, & damnare uoluiſſet, fieri non poſſet, quin ille minus iuſtus, atq; minus æquus, quàm ipſum deceat eſſe, iudicaretur. Sed, quia poſſent dicere aliqui (ut ſæpe hi, qui hanc opinionem defenderūt, dicere ſoliti ſunt) quòd propter mala opera ſua, quæ facturus eſſet Eſau, illum Deus reprobauiſſet; & non propter opera ſua mala iam facta. Verum iſtos Apoſtolo plurimum repugnare putamus: Nam ille, ut omnia eorum opera tam bona, quàm mala; ſiue facta, ſiue futura excluderet, dicit de illis. Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni, aut mali, ut ſecundum electionem propoſitū Dei maneret, non ex operibus, ſed ex uocante dictum eſt Rebeccæ, quia maior ſeruiturus eſſet minori; Quibus uerbis non'ne omnia eorum opera tam facta, quā futura Apoſtolus excludere uidetur, cum ſoli electioni Dei, & ipſius propoſito amorem Iacob, & odium Eſau cenſeat eſſe imputandum? Si igitur ſolo ſuæ uoluntatis propoſito reprobauit Eſau, non igitur illum reprobauit ex ſuis futuris malis operationibus; Quare non eſt exiſtimandum Apoſtolum quicquam hoc loco de prædeſtinatione, aut reprobatione cogitauiſſe, ſed tātum de dominio, & ſeruitute utriuſque fratris locutum eſſe, propterea quòd neque prioribus, neque poſterioribus dictis Apoſtoli ſermo aliquis de prædeſtinatione, aut reprobatione poſſit accommodari, ea uero, quæ illi de prædeſtinatione, aut reprobatione dixerunt (ut de his rebus modo eorum loquamur) ueriſimilia nequaquam eſſe arbitramur. Sicut enim Deus neminem reprobat, niſi eum, quem ille male operaturum præſciuerit, ita quoq; neminem prædeſtinat, niſi eundem ab æterno recte uicturum eſſe proſpexerit. Vnde ſicut opera mala futura in cauſa ſunt, ut ſceleſti, nefariiq; homines reprobentur, ita quoque bona opera futura, ut iuſti ſanctiq; homines prædeſtinentur, in cauſa exiſtere, rationi conſentaneum eſſe cōfitendum eſt. Cui enim Dominum legimus in Euangelio aut peccata remiſiſſe, aut ſanitatem contuliſſe; aut quem alium ad felicitatem uocauiſſe, aut mortuū ſuſcitauiſſe, niſi fides quædā eorum, qui beneficia ſuſceperunt, aut credulitas aliorum, qui pro eis orauiſſent, anteceſſiſſet? Dimiſit quidem collachrimanti peccatrici peccata, ſed prius illa fleuit, lachrimas effudit, pedes lauit, et lotos capillis ſuis abſterſit. Sanauit puerum Centurionis: Cannanææ filiam Dæmone pulſo liberauit; Sed prius in utroque poſtulante ſanitatem pro ſeruo, & pro fi-

Oſe. 13.

lia, fides, & gemitus, & lamentationes præceſſerunt. Latroni quoq; pendenti in cruce felicitatem promiſit, ſed prius ille propria ſcelera, & eius inter cruciatus ſuos confeſſus fuit diuinitatem. Nullum denique mortuũ ſuſcitauit, niſi
Act. 10. prius ſuorum lachrimas, ac fletus conſpexiſſet. Legimus etiam in actis Apoſtolorum, Angelũ Cornelio centurioni dixiſſe. Orationes, & eleemoſynæ tuæ aſcẽderunt in memoriam in conſpectu Dei, propter quod meruit ab Apoſtolorũ principe baptizari. Si itaque Chriſtum ſine operibus antecedentibus nullum ſanauiſſe, nulli peccata remiſiſſe, nullum ad felicitatem uocauiſſe, nullumq́; etiam ſuſcitauiſſe conſpicimus, cur Deum quẽpiã ſine præuiſis bonis operibus eius prædeſtinauiſſe, & ad patriam cœleſtem uocauiſſe dicemus? Quare in utriſq; tam prædeſtinatis, quàm etiam reprobis opera à Deo præuiſa præceſſerunt, ut ſicut per mala opera Deus ſceleſtos punit, ita quoque per bona opera ſanctos ſaluet. Præuenit autem Deus mouendo nos, ſubſequitur etiam nos ipſos, quia miſericordia Domini præueniet, & miſericordia Domini ſubſequetur nos. Si enim motioni illius, atque pulſationi non repugnauerimus, intrabit in nos ipſos, prædeſtinabit nos, ſaluabit nos. Si uero motioni ipſius, atq; pulſationi reſtiterimus, quia ipſe ſtat ad oſtium cordis, & pulſat, non intrabit in nos ipſos, ſed repellet nos, & reprobabit. Itaque tam prædeſtinatio, quàm reprobatio in noſtra poſita eſt uoluntate. Neminem enim Deus reprobat, niſi eum ſceleſtũ fore præuiderit, neminem prædeſtinat, niſi quem iuſtum futurũ eſſe proſpexerit. Stat enim firmum ſignaculum, & nouit Dominus, qui ſunt eius. Sed doctiſſimi, grauiſſimiq́; uiri multis quidem rationibus his, quæ nunc diximus, reſtiterunt; Quia prædeſtinationem nullo quidem opere bono noſtro, ſed ſola Dei uoluntate fieri putauerunt. Dicunt enim opera noſtra bona, noſtra non eſſe; cũ cogitationes noſtræ bonæ, quæ bona noſtra opera præcedunt, non ſint noſtræ, ſed
2. Cor. 3. ipſius Dei; Vnde Apoſtolus Corinthijs ſcribens dicit. Non quòd ſufficiẽtes ſimus ex nobis, quaſi ex nobis aliquid cogitare, ſed ſufficientia, & idoneitas noſtra ex Deo eſt. Quare dicunt, ſi cogitatus noſtri boni, noſtri non ſunt, multo minus opera noſtra bona, noſtra erunt, ſed Dei; et ideo opera nulla nobis in cauſa exiſtunt, ut à Deo prædeſtinemur. Nos uero dicimus, quòd hæc Apoſtoli uerba aliud quidem ſpirant ab eo, quod iſti præſeferre uoluerunt. Non enim omnis noſtra cogitatio eſt à Deo, ut ſine ipſius dono, ac munere peculiari de uirtutibus, de cultu Dei, de contemnendis uoluptatibus naturaliter cogitare nequeamus.
Pſal. 4. Lumen Dei naturaliter ſuper nos, ut de ipſo Deo, et eius honore, ac gloria per nos ipſos cogitare poſſimus. Natura enim nos admonet, ut iuſte, ac honeſte co-
Rom. 2. gitemus. Gentes autem, quæ legem non habent, ea, quæ ſunt legis, naturaliter faciunt, quia opus legis ſcriptum habent in cordibus ſuis, & conſcientia earum

earum oſtendit, quòd huiuſmodi opera ſint ſcripta in earum uiſceribus; Quo-modo igitur huiuſcemodi noſtri cogitatus boni noſtri non erunt, ſi opera ipſius legis naturaliter etiam in cordibus Gentiliũ ſint inſculpta, & infixa? Iſtæ igitur cogitationes honeſtæ, ac bonæ ſunt in nobis naturales: Sed aliæ illæ, quibus uerbum Dei prædicamus, & aliquid aliud magnum, atque excelſum molimur, à Deo ſunt, de quibus Apoſtolus eo loco diſſerebat. Ipſe nanque cum in Macedoniã ueniſſet, Deo gratias egit, quòd per eum Deus in Macedonia odorẽ notitiæ ſuæ reuelaſſet, & quòd non eſſet de numero eorum, qui uerbum Dei adulteraſſent; & ideo ſubiungens dicit, quòd fiduciam habemus per Ieſum Chriſtum ad Deũ, non quòd idonei ſimus aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, ſed idoneitas noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti. Quis nõ uideat Apoſtolũ hic loqui de cogitatu prædicationis? ſicut enim gratia gratis data, quæ etiam prædicandi idoneitatem complectitur, à Deo eſt, ita & cogitatus prædicandi à Deo nobis dati ſunt, & cogitatus, ac dona Dei appellantur. Cogitationes igitur, quibus benefacere, Deo obtemperare, & honeſte uiuere deſideramus, ſunt in nobis naturaliter (ut paulo ante diximus) inſertæ. Sed illi cogitatus, quibus concinne, et apte uerbũ Dei diuulgamus, & miniſteria Dei exequimur, à Deo ſunt nobis conceſſi. Ex his itaque, & illam aliam difficiliorem eorum rationẽ poſſumus facile diſſoluere. Dicunt enim omnia noſtra bona opera prædeſtinationis effectus eſſe, propter hoc enim dicunt nos bene operari, quia ſumus prædeſtinati. Opera igitur noſtra bona dicunt eſſe prædeſtinationis effectus, & non cauſam illius. Cum igitur effectus ſuæ cauſæ principiũ eſſe nullo modo poſſit, conſequenter neque opera noſtra bona erunt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Nos uero longe aliter rem ſeſe habere cogitamus: Teſtimonio enim ſcripturarum ſanctarum opera noſtra bona, ſalutis noſtræ cauſam, ita Chriſto ordinante, ac uolente eſſe confitemur. (Vt enim paulo ante dicebamus) omnes eos, quos in Euangelio aut ſanatos, aut ſuſcitatos, aut ad miſericordiã receptos legimus, propter eorum fidem, & ſuas, aut ſuorum lachrimas, gratiam, & ſalutem à Deo conſecutos fuiſſe uidemus. Niſi enim ante credidiſſent, aut fleuiſſent, aut ingemuiſſent, nunquam ſaluati fuiſſent. Cur etiam ſi mala opera ſunt in cauſa, ut homines reprobentur, cur (inquam) igitur bona opera non erunt in cauſa, ut ſaluentur? Oppoſitarum enim rerum ſunt oppoſitæ rationes, atque principia; & ſi preces noſtræ ſunt in cauſa, ut ea obtineamus, quæ Deus per eas ab æterno propoſuit nobis dare, cur etiam ipſa bona noſtra opera non erunt in cauſa, ut per ea à Deo ſaluemur, et prædeſtinemur, & cœleſtem patriam conſequamur? Quamobrem nullam aliam magis, quàm hanc unam de prædeſtinatione opinionem Apoſtolo repugnare iudicamus. Nam

cum omnia, quæ ipſe dicit, ſacrarum literarum teſtimonio confirmet, rationi-buſq; probet; & cum hanc opinionem de prædeſtinatione, neque ulla ſanctarũ ſcripturarum auctoritate, neque ullis etiam rationibus ab eodem comprobatam eſſe uideamus, neceſſe eſt, ut hanc ipſam opinionem Apoſtolo totam repugnare arbitremur. Si enim uniuerſos ſacræ ſcripturæ campos, ſpaciáq; peragraueri-mus, nihil profecto, quod hanc opinionem tueri poſſit, inueniemus. Quinim-mo aduerſus illam innumera prope loca, ſacrarum ſcripturarum oſtendi poſ-ſunt; Vt autem multa in hiſce locis prætereamus, unum tantũ ex Ezechiele pro-pheta referemus, quem huic opinioni plurimum refragari exiſtimamus, unde felicitatem atque ſalutem noſtram non ex uoluntate Dei prædeſtinante, ſed ex
Ezech. 33. noſtra uoluntate, noſtriſq; operibus, Deo ita ſtatuente, naſci iudicamus. Dicit enim ille ſic, ex ore Dei. Etiam ſi dixero iuſto, quòd ille uita uiuet, & confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ ſuæ obliuioni tradentur, & in iniquitate ſua, quàm operatus eſt, in ipſa morietur: Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam, à peccato ſuo, feceritq; iudicium, & iuſtitiam, uita uiuet, & non morietur. Præclare ergo nobis Deus ex hiſce uer-bis declarauit noſtram ſalutem non ex ſua, ſed ex noſtra oriri uoluntate, pro-pterea quòd ille dicit. Iuſtum non ex eo, quòd ipſe dixerit illi, quòd uiuet, eũ eſſe uicturum: Neque etiam propterea quòd ipſe dixerit impio, quòd morietur, eum eſſe moriturum; Sed magis dicit, uitam, & mortem utriuſque ex operibus eorum uel bonis, uel malis eſſe profecturam. Vbi igitur erit iſta hominũ præ-deſtinatio, quando Deus ore ſuo dicit, uoluntatem ſuã nihil conducere ad ui-tam, & mortem hominum, ſed ſola eorum opera ad uitam, & mortem eorũ eſſe ualitura? Non igitur ſalus noſtra ex uoluntate Dei nos prædeſtinante, ſed magis ex noſtra, & noſtris operibus Deo hoc modo uolente proficiſcetur. Hunc enim ille ordinem ſtatuit, has ille leges fixit, ut quãquam huic dixerit, quòd uita uiuet; & alteri, quòd morte morietur; neuter tamen eorum propter uo-luntatem ſuam, ſed propter utriuſque opera uel bona, uel mala ſit uicturus, aut moriturus. Hæc igitur opinio de prædeſtinatione ſacris literis quam maxi-me refragatur. Quinimmo omnia etiam Euangelia, omneſq; epiſtolæ tũ Pauli, tum aliorum Apoſtolorum, ſalutem noſtram in noſtra uoluntate, noſtriſq; ope-ribus oſtendunt eſſe collocatam. Hæc etiam opinio in primis libertaté animi no-ſtri tollit, nam ſi Deus uelit aliquos prædeſtinare, neceſſe eſt, ut illi non iudicio neque uoluntate ſua, ſed ſola neceſſitate bene faciant,. Quoniã, ſi non neceſſi-tate operarentur, poſſent quidem ij, qui prædeſtinati ſunt male facere; pro-pterea quòd uoluntas, iudiciumq; hominis, quãdiu ille uixerit, liberum ſit; & ad bonum, & ad malum opus flecti, conuertiq; poſſit. Vel igitur concedendũ

eſt, ho

eſt, hominem prædeſtinatum poſſe peccare, quod ſi conceſſum fuerit, neceſſe eſt, ut eundem prædeſtinatum damnari poſſe confiteamur. Vel hominem prædeſtinatum dicendum eſt non poſſe peccare, & ſic neceſſe erit dicere, eundem non habere liberam uoluntatem, ad utranque partem contradictionis, & propterea illum non libere, ſed neceſſitate quadam benefacere; atque ita prædeſtinatum non habere liberi arbitrij poteſtatem, dicere cõpelleremur. Multa plærique homines doctiſſimi, ut huic argumentationi ſatisfacerent, de ſenſu compoſito, ac diuiſo confinxerunt, quæ quidem cum magis ueritatem obſcurent, quàm illuſtrent, prætermittẽda eſſe iudicauimus. Vidimus enim multos doctiſſimos homines, hoc uno argumento adeo cõmotos eſſe, ut aliqui eorum libertatem noſtrã penitus ſuſtulerint, aliqui uero confiteantur nõ poſſe cognoſcere, quanam ratione prædeſtinatio poſſit cum libertate noſtra coniungi. Fatentur enim nos & liberos eſſe, & prædeſtinatos; ſed dicunt ſeſe ignorare, quomodo poſſit prædeſtinatio cum libertate noſtra copulari. Quid etiam à communi omnium opinione remotius eſſe poteſt, hoc uno de prædeſtinatione inuento? Nam illos bonos, ac iuſtos homines propter hanc opinionem iudicare debemus, non qui ſua, ſed qui Dei uoluntate prædeſtinati ſunt, ut iuſti, ac boni exiſtant. Illi enim apud hos homines tantum boni ſunt, quos Deus prædeſtinauit, & uoluit eſſe bonos; hiq; etiam tantum mali, atque improbi, quibus Deus neque gratiam ſuam, qua benefacere poſſent, neque miſericordiam, qua eis peccata dimitterẽtur, dare determinauit. Quid, quòd etiã Deus nõ noſtra, ſed ſua bona opera in nobis præmio afficeret? Dei enim fatendum eſt, ea eſſe opera, quæ nos nõ noſtro iudicio, neq; noſtra uoluntate, ſed illius uoluntate, quæ nos prædeſtinauit, quæ nos bonos eſſe uoluit, faceremus. Quare ij, qui prædeſtinationem iſtam inuenerunt, ueritate eos compellente, Deum non noſtra, ſed ſua opera in nobis coronare aſſeruerunt. Quid autem hoc uno eorum dicto tum Euangelio, tum etiam Apoſtolo magis repugnare dicemus? Cur enim Euangelium, cur Apoſtolus cur aliæ omnes ſcripturæ ſacræ nos tantopere ad ea opera inuitant, quæ, neque noſtra ſunt, neque etiam noſtra poſſunt appellari, ſi illa non à nobis, ſed à Dei uoluntate nos prædeſtinante facta eſſe prædicãtur? Hæc igitur opinio funditus libertatem noſtram euertit. Nam ſi nos conceſſerimus, Deum uelle huic homini gratiam ſuam præſtare, quam propoſuerit nolle alteri concedere, cum nemo hominum hunc ordinem diuinæ uoluntatis immutare poſſit, neceſſe eſt, ut omnes homines uel malos, uel bonos: uel iniuſtos, uel iuſtos; uel damnatos, uel ſaluos eſſe neceſſitate quadam confiteamur. Hanc etiam opinionem iuſtitiæ Dei maxime repugnare uidemus. Proponamus enim duos homines, quorum unus ſit prædeſtinatus, alter uero (ut eorum nominibus utamur) ſit præſcitus. Cum uterque

eorum homo ſit, peccare uterque poteſt. Cum uero Deus (ut iſti opinantur) prædeſtinato uelit gratiam ſuam præſtare, ut reſurgat à peccato; et præſcito nolit eandem gratiam condonare, ut ab eodẽ peccato reſurgere poſſit, non'ne hac confeſſione Deum ipſum poſſemus de iniuſtitia accuſare? Quæ enim iniuſtitia maior uideri poteſt, quàm, quòd duobus æque peccantibus, cõcedamus, Deũ uni eorum uelle, & alteri nolle miſericordiam ſuam impertiri, & condonare? Nunquid Chriſtus non eſt pro nobis omnibus mortuus? Quem ergo pro nobis omnibus mortuum eſſe confitemur, eundem nolle nobis ſuum ſanguinem condonare dicere compellemur: propterea quòd ille uelit unum, & alterum nolit ab eodem peccato liberare. Hæc etiam opinio miſericordiam, & pietatem Dei totam labefactat, & funditus euellit: Quandoquidem iſti dicant, Deum aliquos, ſine aliquo eorum bono opere, uoluiſſe predeſtinare, ut in eis oſtenderet miſericordiam ſuam: aliquos uero præſcire, quibus diſpoſuit gratiam ſuam nunquã dare, immo ſempiternis eos pœnis damnare, ut in illis demonſtraret ſæueritatem iuſtitiæ ſuæ. Quid hoc uno miſericordiam Dei magis oppugnat? Eſt enim hoc perſimile huic, quòd diceremus, aliquem Principem uelle filios procreare, quorum alios hæredes ſuos faceret, ut in illis oſtenderet beneuolentiam ſuã: alios uero etiã ſi ſceleſtos uideret, permitteret labi, ac in uaria ſcelera ruere, ex quibus eos diris ſupplicijs afficeret, morteq́; necaret, ut in eis poſſet demõſtrare iuſtitiam ſuam: Quis hunc Principem talem non inhumanum, non crudelem nominaret? Hoc igitur modo, ſi Deus aliquos creare uoluiſſet, ut in illis iuſtitiam ſuam oſtenderet, propter hoc, quòd eos peccantes emendare noluiſſet, eiſq́; miſericordiam ſuam præſtare nunquam ſtatuiſſet, non'ne Deũ immiſericordem, & crudelem eſſe diceremus, quandoquidem nolit his præſtare opem, ut à peccato reſurgant, quam ſi præſtitiſſet, reſurrexiſſent? Quòd ſi diceretur, neq; Deum eſſe iniuſtum, neque immiſericordem, ſi hunc uelit, alterum nolit à peccato liberare, quia in his, quæ ex ſola liberalitate alicuius dari ſolẽt, nemo poteſt dici iniuſtus, atque immiſericors: Hæc eorum reſponſio facile refelli poteſt, quia Deus non tantum per miſericordiam, ſed etiam per iuſtitiã ſuã nos ſaluat: Pepigit enim nobiſcum Deus, ſi fecerimus opera iuſtitiæ, daturũ ſe nobis uitam æternam. Vnde beatus Apoſtolus dicebat. Certaui, fidem ſeruaui, (2.Timoth.4.) curſum conſumaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Deus iuſtus iudex, non ſolum mihi, ſed & omnibus diligentibus aduentum eius. Et quænam maiores æſtus, & uehementiores tempeſtates commouit, quàm hæc una de prædeſtinatione opinio; præcipue his noſtris miſerrimis temporibus, cũ nemo iam ferè ſit tam rudis, ac indoctus, qui de prædeſtinatione contendere non audeat? Nullæ enim diſputationes, aut ad populum conciones fieri ſolent,

in quibus

in quibus de eadem prædeſtinatione argumentationes obſcuriſſimas texi non uideamus; tantæq; inter Chriſtianos de hac re iam exortæ ſunt diſſenſiones, ut in ea tempora incidiſſe uideamur, quibus primum (Sigiſberto teſte in ſuis Cronicis) prædeſtinatorum hæreſis orta fuit, quã ille ex dictis diui Auguſtini male intellectis refert principium ſumpſiſſe: Quæ turbulentiores perturbationes excitauit? quæ horribiliores tragædias aduexit, quandoquidem miſeri præſciti, tãquam hoſtiæ ad palũ deligati, ſemper male faciant, quia Deus illos ad hoc produxerit, ut in eis oſtẽderet ſæueritatem iuſtitiæ ſuæ? Hæc igitur una opinio libertatem animorum noſtrorum euertit, iuſtitiam, & miſericordiam Dei tollit, deſperationem, in animos noſtros immittit, ſacras ſcripturas labefactat, Apoſtoli ſenſa obſcurat, ueritatemq; perſpicuam, tãquam immiſſa caligine, decolorat. Quare uel hanc prædeſtinationem hoc modo ſuſceptam refellamus: Vel ſi qua eſt prædeſtinatio, eam modo illo, quo Paulus accepit, ſuſcipiamus. Ille enim dicit. Quos Deus præſciuit, ſcilicet in Chriſtum credituros, beneq; uicturos, & bene libertate animorum ſuorum uſuros, hos prædeſtinauit, ut eſſent ad ſimilitudinem filij ſui. Quare, ſi qua eſt prædeſtinatio, hoc modo eſt intelligenda, ut Deus eos prædeſtinet, quos præſciat in filium ſuum credituros & bene operaturos: Et tales definiuit, & determinauit, ut eſſent (quantũ ad gloriam, & immortalitatem) ad inſtar filij ſui in regno ſuo: Opera igitur noſtra bona, ſicuti etiam preces, & orationes noſtræ in cauſa ſunt noſtræ ſalutis, & felicitatis. Quemadmodũ igitur in damnatis opera eorũ mala ſunt in cauſa ſuæ dãnationis, ita etiam opera bona in prædeſtinatis in cauſa erunt ſuæ felicitatis. Nulla igitur prædeſtinatio in nobis neceſſaria eſſe poteſt, quandoquidem opera noſtra bona, quæ ſunt cauſa illius, in noſtra ſint poſita libertate. Sed hæc præter propoſitum noſtrum de prædeſtinatione declarauimus: id autem tantũ fecimus, ut ex his fontibus, ex quibus aliqui acceperunt prædeſtinationem, oſtenderemus illam non poſſe hauriri: Nũc iam procul ab inſtitutione noſtra digreſſi, ad expoſitionem literæ regrediamur.

QVID ERGO DICEMVS? NVNQVID INIQVITAS APVD DEVM? ABSIT. MOYSI ENIM DICIT. MISEREBOR CVI MISERTVS SVM, ET MISERICORDIAM PRAESTABO, CVI MISEREBOR. IGITVR NON VOLENTIS, NEQVE CVRRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI.

Si itaque ex nullis operibus bonis, aut malis: Sed ex ſolo ſuo propoſito, et uo-

luntate, & electione ſua propria præpoſuit Deus Iacob minorem natu primogenito fratri ſuo Eſau, quid dicemus ad hæc? Nunquid Deus ex hoc non uidebitur iniquus, & iniuſtus? Si enim eum, qui æqualibus æqualia non conceſſerit, iniuſtum dicimus, num non iniuſtiſſimus uidebitur, qui minoribus natu dederit ea, quæ ad primogenitorum pertineant dignitatem, atq; conditionem, cũ hoc lex ipſa naturæ obſeruandum præcipere uideatur? Cum itaque Deus Iacob minorem natu prætulerit primogenito fratri ſuo Eſau, ſine ullo huius malo opere, hunćq; ſeruituti ipſius ſubegerit, nemo ferè eſſe uidebitur, qui Deum propter hoc iniquitate notandum eſſe non ſuſpicetur. Hanc itaque difficillimã, atque obſcuriſſimam quæſtionem Apoſtolus diſſoluens, dicit. Abſit, ut propter hoc, quòd Deus minorem natu primogenito præpoſuerit, iniuſtus eſſe cen-

Exod. 33. ſeatur: quod quidem auctoritate ſacræ ſcripturæ cõprobat, qua legimus, Deũ Moyſi dixiſſe. Miſerebor, cui uoluero miſereri, & cui uoluero miſereri, miſericordiam præſtabo. Horum itaque uerborum hic quidem eſt intellectus, quòd in his, quæ non noſtris meritis, & operibus, ſed ſola benignitate, & miſericordia Dei concedi ſolent, nulla poteſt eſſe iniquitas, & iniuſtitia; Poteſtas autem, atque prælatio neque ex meritis, neque ex operibus noſtris, ſed ex ſola miſericordia Dei concedi ſolet: neque ſemper ſeruitus propter peccata, ſed aliquãdo Dei uolũtate immittitur. Quare propter hoc, quòd Deus ſine opere bono ullo Iacob prætulerit ipſi Eſau, non eſt cenſendus iniquus, aut iniuſtus. Hæc enim ſenſa uerba ipſa, quibus Deus Moyſi loquebatur, ſignificare uidentur. Legi-

Exod. 33. mus enim, Moyſem duo à Deo petiſſe. Vnũ quidem, ut per deſerta illa horrida ſe, ac populum, quem ex Aegypto eduxerat, præcederet, ut in conſpectu omnium populorum, ac gentium terræ glorificaretur: Alterum, ut ſibi gloriam ſuam commoſtraret. Promiſit autem Dominus illi, ſeſe eum, ac illius populum anteceſſurum, ut antea in columna nubis, atque ignis præceſſerat, ut omnes nationes, ac populi circumiacentes eidem ſubigerentur, quod quidem conſecutus fuit, quandoquidem pulſis tot uarijs gentibus, ac nationibus illarũ dominium urbium, & ciuitatũ eſt adeptus: & ita Deus miſertus eſt Moyſi; & ſic illi miſericordiam ſuam oſtendit: quando in manu forti, atque excelſa tot ſemiferas nationes, tot bellaces populos ipſius ſeruituti ſubegerit. Gloriã uero ſuam noluit ei manifeſtare, quia nullus homo in hac mortalitate noſtra cõſtitutus humanis ſenſibus utens Deum uidere poteſt per eſſentiam ſuam. Quis autem uel mediocriter literis inſtitutus hoc loco non uideat uerba hæc neq; præſcitis, neque prædeſtinatis accommodari poſſe, ſed ab Apoſtolo inſerta fuiſſe, ut Deum oſtenderet non eſſe iniuſtum, ſi ſine ullo opere bono prætuliſſet Iacob ipſi Eſau, qui nullum ſcelus adhuc perpetrauiſſet, quandoquidem poteſtas, &

imperium

imperium à Deo nullis meritis hominum, ſed ſola ipſius miſericordia, ac uoluntate ipſis hominibus concedatur. Non eſt ergo, ut quiſquam Deum dicat eſſe iniquum, ſi ſine ſuis operibus malis ſe ſubiectum, aut ſine bonis operibus ſuis uiderit ſe fuiſſe prælatum, cum omnis poteſtas à Deo ſit, & in manu ipſius omnia regna, & imperia, ultimaq; terrarũ littora concludantur. Quãobrem uos Iudæi, qui primogeniti fuiſtis, quãquam uos ipſos ſeruituti minorũ fratrum ueſtrorum ſubiectos eſſe conſpiciatis, nolite propter hoc Deum ipſum iniuſtum dicere; cum poteſtatem, atque prælationem non meritis hominum, ſed benignitate ſua, atque miſericordia Deus conſueuerit diſpenſare, ut teſtimonio Moyſi lucidiſſime demonſtraui. Quare ſi ſola Dei uoluntate, atque miſericordia poteſtatem, & dominium dari confiteamur, conſentaneũ igitur erit, ut dominiũ non ſit illius, qui concupiuerit, aut uoluerit dominari, neque etiam ipſius, qui cucurrerit, & infinitis laboribus ad imperium adipiſcendum contenderit; ſed illius tantum, cui Deus miſertus fuerit, cui ſuam benignitatem præſtiterit, quem denique ipſe coronare uoluerit. Quod quidẽ in Pharaone Aegyptiorum Rege paulo poſt demonſtrabit. Ille enim curribus, & equis ſuis currebat poſt Iudæos, ut illos ſuo imperio, ac regno ſubijceret, Deus autem illum uolentem, atque currentem in medijs fluctibus maris ſubmerſit, atque illi uitam ſimul, & imperium eripuit. Quare quicquid honoris, quicquid dignitatis, & imperij nos homines obtinemus, non noſtræ uoluntati, neq; noſtris operationibus, ſed Dei electioni, propoſito, ac uoluntati acceptum referamus. Sed quãquam Deus ſola ſua uoluntate regna, atque imperia, cui uoluerit concedat, exiſtimandum tamen eſt id non facere Deum, niſi illo ſuo recto, ſapientiq; conſilio, cuius receſſus, occultiſſimaq; arcana, quibus omnia moderatur, ac regit, nemo eſt, qui poſſit ratione, aut ingenio conſequi, & metiri. Non eſt igitur exiſtimandum, hic intelligere Apoſtolum, quòd noſtra uoluntate, noſtroq; curſu, & operatione noſtra Regnum cœleſte conſequi non ualeamus. Hoc enim tum Euangelio, tum etiam Apoſtolo repugnat, qui ad Corinthios ſcribẽs, dicit. Multi quidem currunt, ſed unus accipit brauium; deinde dicit. Sic currite, ut comprehendatis. Quibus uerbis ſatis liquet curſibus, & operationibus noſtris poſſe à nobis apprehendi regnum cœleſte: Regna uero, & imperia non noſtro curſu, & labore; Sed ſola Dei uoluntate, & miſericordia conſequi nos poſſe fatendum eſt. 1. Cor. 9.

DICIT ENIM SCRIPTVRA PHARAONI. QVIA IN HOC IPSVM EXCITAVI TE, VT OSTENDAM IN TE VIRTVTEM MEAM, ET VT

ANNVNCIETVR NOMEN MEVM IN VNIVERſA TERRA. ERGO, CVIVS VVLT MISERETVR, ET QVEM VVLT INDVRAT.

Cum dixiſſet Apoſtolus, Deum ſola ſua miſericordia prætuliſſe Iacob Eſau, quia miſeretur, cui uult miſereri. Hanc deinde intulit concluſionem, quòd nõ eſt, neque uolentis, neque currentis hominis poſſe acquirere, aut acquiſita conſeruare regna, atque imperia, ſed ſolius Dei miſerentis. Et cum poſteriorem huius concluſionis partem, exemplo Iacob, & auctoritate ſcripturæ declarauiſſet priorẽ partem huiuſce concluſionis, ſcilicet, quòd neque uolentis, neque currentis hominis eſt poſſe acquirere, & retinere regna, ac imperia, nunc exemplo Pharaonis, uult manifeſtare. Dicit itaque, uere non uolentis hominis, neque currẽtis eſt poſſe dominari, quia ſcriptura dicit Pharaoni Aegyptiorum Regi. Iccirco Exod. 9. *in hoc ipſum factum excitaui, & prouocaui te, ut tam crudeli, atque obſtinato animo perſequereris Iudæos, ut deinde hac iuſtiſſima occaſione tuæ efferatæ crudelitatis adductus in te impio, ac ſcelerato tyranno oſtenderem cunctis gentibus potentiam meam; Quia ego ipſe, qui te conſtitui Regem, te ab illo etiam excelſo Regni ſolio propter crudelitatem tuam detrudam, teq; cum omni peditatu, ac equitatu tuo in fluctibus maris ſubmergam, ut gloriam nominis mei in omnibus locis, & per omnia extrema, & ultima terrarum littora manifeſtem; Vt ex ruina tua omnes nationes cognoſcant, quòd ego ille ſim, qui poſſim dare, & præripere imperia. Ex qua re perſpicue apparet, quòd ea, quæ ſupra diximus, uera ſunt, quòd ſcilicet neque uolentis, neq; currentis ſunt imperia, ſed ſolius Dei miſerentis, quia omnis poteſtas à Deo eſt, ut ipſe paulo infra teſtatus eſt; quod maxime comprobari poteſt ex ijs, quæ legimus in Regũ* 1. Reg. 16. *libro: In eo nãque uidemus manifeſte Deum miſiſſe Samuelẽ ad Iſai Bethlemitã, ut unum ex filijs eius inũgeret in Regem Iſrael, abiecto Saule ipſorum Rege, qui cum maiorem natu ad ſe uocauiſſet, dixit Samuel. Non hunc elegit Dominus, & abiecit eum. Identidem cum dixiſſet de omnibus alijs filijs ipſius, uocato denique minore natu, dixit: Hunc elegit Dominus in Regem, quoniam Deus non ſtaturam, neque uultum, ſed cor hominis intuetur. Idem quoque confir-* Dan. 4. et 5. *mari poteſt teſtimonio Danielis Nabucdonoſori dicentis. Eicient te ab hominibus, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd dominetur excelſus ſuper Regnum hominũ, et cuicunque uoluerit det illud. Apparet itaq; ex his exemplis, quæ retulimus, Deum eligere homines in Reges, et, quos uult, de regno abijcere, prout etiã de Saule factum fuiſſe uidemus. Et quòd de electione, & reprobatione regni hoc loco loquatur Apoſtolus, & non de electione, &*

ne, & reprobatione ſalutis, facile comprobatur: Propterea quòd exemplum, quod adducit, eſt de Rege Pharaone. Si enim de electione, atque reprobatione ſalutis intelligere uoluiſſet, profecto non unum hunc Pharaonē Regem; Sed innumeros alios ob eorum ſcelera à Deo reprobatos in teſtimonium protuliſſet. Si itaque Deus pro ſua miſericordia dat, cui uult, regna, & imperia: Idemq; pro uoluntate ſua crudelibus, atque iniquis regna eripit, & imperia: Igitur tot exemplis & auctoritatibus ſacræ ſcripturæ adducti rationabiliter dicemus, quòd cui uult miſeretur, &, quem uult, obdurat. Verum hoc ſanè loco obſcuriſſima dubitatio occurrere uidetur; Nam Apoſtolus aperte dicit, Pharaonē à Deo induratum eſſe (teſte ſcriptura.) Itaque cum indurare cor, ac mentem hominis, nihil prorſus aliud eſſe queat, quàm illam ſic ad unam partem flectere, ut in contrariam adduci non poſſit, neceſſe eſt, ut eum, qui à Deo induratus extiterit, liberum arbitrium perdidiſſe fateamur. Eſt enim liberum arbitrium ea animi uis, qua in utranque partem contradictionis ferri poſſumus. Cum autem induratus hoc facere non poſſit, conſentaneum igitur erit dicere, eiuſmodi hominem non habere liberum arbitrium; Quod ſi confeſſi fuerimus, quanam ratione iſtum hominem induratum denominatione hominis appellabimus? cuius illi natura omnino adempta ſit, propter hoc quòd illius intellectus ſit obuolutus ac uoluntas eius quaſi quibuſdam uinculis alligata, ut eo, quod natura ſua illi conceſſit, libere quodcunque uellet appetendi, atque eligendi, uti non poſſit. Itaque cum de hac dubitatione ſæpenumero ipſe mecum cogitaſſem, uerbáq; tum Exodi, tum Apoſtoli diligentius conſideraſſem, tandem potior hæc ſententia mihi uiſa eſt, ut iſtud uerbum indurare ſine tropis (ne ueritas obſcuretur) intelligendum eſſe exiſtimemus; Nam iuſtiſſime Deum facere arbitramur, ſi pro magnitudine ſcelerum, multitudineq; aliqua inſigni peccatorum aliquem hominē indurat; Hoc autem, quod dico, poſſem ſanè multis ſanctarum ſcripturarum locis oſtendere, ſed paucis contentus ero. Eſt quidem Ioannis præcipuum teſtimonium, quod ille de Phariſæis attulit: Mirabatur enim ille ſapientiſſimus homo: quidnam cauſæ eſſet, quòd ſacerdotes, ac Phariſæi, qui tam magna, ac inſolita miracula à Chriſto facta uiderent, cæcis à natiuitate poteſtatem uidendi datam, redditam mutis loquelam, mortuos ad uitam reuocatos, in eū tamen credere noluiſſent. Huius itaque dubitationis hanc eſſe diſſolutionem putauit, ut cenſeret Deum, & oculos eorum excæcaſſe, ne miracula uiderēt, & corda etiā induraſſe, ne mollirentur, & ad illius fidem ſuſcipiendam accenderentur. Verba itaque ipſius ſubijcere uoluimus. Dicit enim. Cum autē tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Eſaiæ impleretur, qui dixit. Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt;

Ioan. 12.

Eſai. 53.

Eſai. 6. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias. Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non uideant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hæc dixit. Eſaias, quando uidit gloriã eius, & locutus eſt de eo. Quis igitur non uideat ex iſtis lucidiſſimis uerbis, Ioannẽ cauſam incredulitatis Iudæorum retuliſſe in excœcationem, & indurationem eis datam à Deo? Illis enim Deus lucem oculorum eripuit, & cor indurauit ne miracula Chriſti conſpicerent, quia ſi intellexiſſent magnitudinem miraculorum Chriſti, potuiſſent conuerti ad illum, & ſanati eſſent. De eiſdem etiam Apoſtolus in hac epiſtola paulo inferius Eſaiæ uerba, & Dauidis uerſus dictos eſſe
Eſai. 29. affirmat, quibus dicit. Cæteri uero excœcati ſunt (ſicut ſcriptum eſt.) Dedit illis ſpiritum compunctionis, oculos, ut non uideant, & aures, ut non audiant,
Pſal. 18. uſque in hodiernum diem; & Dauid dicebat. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & captionem, & ſcandalum, & retributionem, obſcurentur oculi eorum, ne uideant, & dorſum eorum ſemper incurua. Sed tamen Deus nunquam illos excœcaſſet, & indurauiſſet, niſi illi antea ſe ipſos ſuis ſceleribus, ac
Sap. 2. peccatis excœcaſſent, & indurauiſſent. Legitur enim Sapientiæ libro. Excœ-
Soph. 1. cauit eos malitia eorum; & in Sophonia. Ambulabunt uti cæci, quia Domino peccauerunt. Propter hoc enim quòd miracula Chriſti, quæ ipſi à Dæmone fieri non poſſe iudicabant, Dæmonis tamen eſſe prædicarent, factũ eſt, ut lippi, ac cæci à Deo facti ſint, ne deinde multitudinem operum Chriſti uidere poſ-
Math. 12. ſent. Iccirco legimus in Mathæo, Dominum de huiuſmodi hominibus dixiſſe. Qui dixerit blaſphemiam in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. His itaque grauiſſimis peccatis præſertim infidelitatis, ac calumniæ, Deus aciem oculorum ſuorum hebetauit, & eorum corda indurauit, ne cæteris miraculis Chriſti crederent, quibus ſi credidiſſent, conuerſi, & ſanati eſſent. Quòd enim Deus non induret aliquem, niſi illum, qui ſe prius à ſe ipſo indurauerit, oſtendere poſſumus tum ex ijs, quæ legimus in Exodo, tum
Exod. 3. ex ijs etiam, quæ ſcripta ſunt in Euangelijs. In Exodo enim ſcriptum eſt. Vidi (inquit Deus) afflictiones populi mei, qui eſt in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiẽ eorum, qui præſunt operibus, Pharaone præcipiente. Itẽ
Math. 13. in Mathæo. Sic enim apud illum loquitur Dominus. Ideo in parabolis loquor eis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, ut ad-
Eſai. 6. impleatur in eis prophetia Eſaiæ dicentis. Auditu audietis, & non intelligetis; & uidentes uidebitis, & non uidebitis: Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando uideat oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Hanc eandem ſententiam à cæteris Euangeliſtis ſcriptam eſſe meminimus:

Quæ

Quæ cum ita ſint, quid eſt, quòd dubitare poſſimus, aliquos à Deo pro ſuorum ſcelerum magnitudine, & infidelitate induratos; & quoſdam alios ob nefaria ſua peccata excæcatos eſſe? Hæc autem ſententia ex eis, quæ in Daniele de Nabuchdonoſore legimus, maxime confirmari uidetur; Nam cum illum Deus à regno Babyloniæ detruſiſſet, & cum feris fœnum comedere feciſſet, eidem ſenſum abſtulit, & figuram ſui corporis immutauit. (Illius enim capilli in ſimilitudinem Aquilarum creuerunt, & ungues eius quaſi ungues auium facti ſunt.) Quid igitur mirandum, ſi cor Pharaonis, & aliquorum Iudæorũ propter magnitudinem peccatorum ſuorum indurauerit Deus, cũ ille Nabuchdonoſori Aegyptiorum regi ſenſum, ac mentē abſtulerit, & humani corporis figuram in imaginem monſtruoſam commutauerit? Nunquam enim Deus homines hac crudeli pœna afficeret, niſi illi prius eundē grauiſſimis ſceleribus offendiſſent. In Oſea enim legimus, ex ore Dei dicente. Oblitus es legis Dei tui, et ego obliuiſcar tui. Propter ſcelera igitur nefariáq; eorum crimina Deus homines opibus ſpoliat, imperio detrudit, alios morbis afficit, alios alijs calamitatibus affligit, uitamq; eis tandē eripit. Sicuti Apoſtolus de his, qui indigne ſummebant corpus Chriſti, Corinthijs dicebat. Multos inter illos imbeciles, & infirmos factos, multoſq; etiam mortuos eſſe. Quare quid eſt, quòd mirari debeamus, ſi Deus aliquibus hominibus propter eorum inſignia crimina lucem ſenſuum eripiat, intellectumq; obſcuret, & libertatem à præclaris uirtutibus, & operationibus auferat? Quid enim eſt tradere hominem in reprobũ ſenſum, niſi facere, ut improbe ſentiat, prauiſq; operibus inhæreat? Hunc enim, uel aliũ profecto Deus nunquam in hanc improbitatem detruſiſſet, niſi illi gloriam Dei tot mirabilibus ſignis declaratam immundis hominibus, ac uolucribus, fœdiſq; animalibus antepoſuiſſent. Hac ratione arbitramur Deum cor Pharaonis induraſſe: Niſi enim Pharao, operumq; ſuorum præpoſiti ſe ipſos ante induraſſent, in affligendos Hebræos, nunquam eos Dominus induraſſet. Iuſtiſſima igitur compenſatione à Deo factum eſt, ut regnum Aegypti, quod prouidentia Hebræorum à fame, & penuria conſeruatum fuit, ſui ipſius regis iniqua, & iniuſta perſecutione periret: & idem Rex, qui ante ſe ipſum indurauerat, affligendo Hebræos, deinde induraretur à Deo; & qui infantes Hebræorum præcepiſſet mergi in Nili aquis, fluctibus, atque undis maris rubri tandē ipſe mergeretur. Quamobrem libere confitemur, Deum, pro magnitudine ſcelerum, inſigniq; aliquorum immanitate, quoſdam indurare, ut neque molliri, neque ad bonas, & ſanctas operationes conuerti poſſint: Alios excæcare, ne lucem miraculorum, & ueritatis aſpiciant. Alios detrudere in improbum ſenſum, ut mercedem erroris ſui, quam oportuit, recipiant. Alios deniq; excitare ad obſti-

Dan. 4.

Oſe. 4.

Cor. 15.

nationem, & indurationem animi, ut in eos obſtinatos, & induratos oſtendat iram, & indignationem ſuam, ut hoc loco uidetur Apoſtolus dicere de Pharaone, ex ore Dei. Quoniam (dicit Dominus) in hoc ipſum excitaui te, hoc eſt in hac una re te ipſum prouocaui, ut contra populum meum induratus ſæuires, eumq́; abire uolentem non dimitteres. Niſi enim Deus eum prouocauiſſet, ille tot flagellis, ac plagis admonitus, ut ſæpe facere decreuerat, populum Dei dimiſiſſet. Quare illi argumentationi, quam paulo ante fecimus, conſentiendum eſſe putamus; quoſdam non habere libertatem ad bona opera, propter calumniam, & eorum infidelitatem in Deum, æquiſſimeq́; factum, ſi Deus pro magnitudine ſcelerum, à quibuſdam auferat libertatem bonarum operationũ; cum ſæpiſſime (ut paulo ante diximus) legamus, Deum quorũdam hominũ ſenſum abſtuliſſe, atque intellectum; quoſdam alios uita ſimul atque imperio priuaſſe; ut Propheta dicit. Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Nec nos unquam auſi eſſemus dicere, Deum indurare quẽquam, niſi hoc ſcripturã Exodi, multoſq́; prophetas, & Chriſtum ipſum teſtimonio omnium Euangeliſtarum apertiſſime dicere uideremus.

Pſal. 18.

DICIS ITAQVE MIHI, QVID ADHVC QVAERITVR? VOLVNTATI ENIM EIVS QVIS RESISTIT? Ò HOMO TV QVIS ES, QVI RESPONDEAS DEO? NVNQVID DICIT FIGMENTVM EI, QVI SE FINXIT. QVID ME FECISTI SIC? AN NON HABET POTESTATEM FIGVLVS LVTI EX EADEM MASSA FACERE QVIDEM ALIVD VAS IN HONOREM, ALIVD VERO IN CONTVMELIAM?

S*i igitur Deus miſeretur unius, et alterum, quem uult, indurat, ut illi det, & huic eripiat imperium, alteriuſq́; cum ſubigat poteſtati, ex his aliquis poſſet moueri, & dicere. Quid ulterius Apoſtole eſt inquirendum, cur Deus alicuius miſereatur dando ei prælationem, & poteſtatem; & quid ulterius eſt inquirẽdum, cur Deus alium obduret, ut ei datum regnum eripiat, ſi ſcriptura dicit, quòd Deus indurauerit Pharaonem Regem Aegypti, ut eum regno ſola ſua uoluntate priuaret? Quis autem uoluntati ipſius poteſt reſiſtere, & repugnare? Ille enim quicquid uult facit. Apoſtolus itaque ſic quærenti ſatisfacit, dicens.*

Ò homo

O homo tu quis es? Num tam arrogans es, qui reſpondeas Deo dicenti Moyſi. Miſerebor cui miſerebor, & eidem etiam dicenti Pharaoni. In hoc ipſum excitaui te, ut oſtendam in te uirtutem meam? Quis enim tam temerarius eſt, qui cum Deo diſceptare uelit, & quærere cauſam, cur unum magis Regem, quàm alium conſtituat? Non'ne homo (quicunque ſis) tali es comparatione ad Deum, quali eſt figmentum, & uas luteum ad figulum? Ideo tu non debes dicere Deo. Cur me tam uilem, ac deſpectibilem feciſti? & cur me non magnum aliquem Regem? Cur non Imperatorem? Cur non Principem? Cur denique, cæteris hominibus non præcellentem formaſti? Aut cur me aliorum ſeruituti ſubiugaſti? Profecto nemo ſapiens, nemoq; bonæ mentis hoc dicit. Quippe quia tanti nos ſumus, reſpectu Dei, quanti fictilia ſunt, reſpectu figuli: quia ipſe eſt pater, & creator noſter, nos uero ex luto ipſius bonitate formati ſumus: An igitur fictilia figulo ſuo dicunt. Cur me ſic rude uas, ſic informe, ſic impolitum finxiſti? Vtique uas informe, & inornatum non ſic lamentabitur? Quia non'ne figulus habet poteſtatem ex eadem parte, ac eodem ex globo terræ fingendi uaria, ac multiplicia uaſa; ut aliud eorum ſit in honorem, ferculis ſcilicet, & dapibus accommodatum, aliud uero in ignominiam, ideſt fecibus, ac ſordibus perferendis deputatum. Si itaque hoc ſit in poteſtate, ac libertate figuli (ut ſanè eſt) nullum igitur uas ex eo, quòd ſe minus cultum factū ſenſerit, lamentari debet. Ita quoque uos Iudæi, cum ſitis Dei fictilia, & in poteſtate illius ſit Gentiles uobis præferre, facereq; eos, ueluti uaſa conſpicua, atque ornata; & in poteſtate etiam ipſius ſit, uos eis ſubmittere, facereq; uos, ueluti uaſa ſordida, & impolita, non debetis de Deo propter hoc lamētari, & temere eum ſic interrogare. Cur nos quaſi uaſa rudia, & informia; Gentiles autem quaſi uaſa conſpicua, & ornata feciſti? quia non in fictilium natura, neque in operationibus, neque etiam in eorum alia atque alia materia, ſed in ſolius figuli poteſtate, atque uoluntate conſiſtit, ut unum eorum alio inſignius, & cultius uideatur. Cum igitur nos omnes ex eadem terra, ac luto eodem ſecundum ſuam uoluntatem Deus finxerit; & alios prætulerit, alios pro ſua uoluntate ſubiecerit; alios quaſi uaſa rudia, alios quaſi uaſa conſpicua formarit; uoſq; Iudæos ſeruituti Gentilium, ac eorū poteſtati, tāquam minus honoratos ſubegerit, non debetis propter hoc de ipſius uoluntate conqueri; cū hæc omnia, non hominum operibus, ac meritis (ut exemplo Iacob, & Eſau perſpicue uidere potuiſtis) ſed ſola Dei uoluntate fieri cognoſcamus. Sed diligenter eſt conſiderandum, quòd ideo Apoſtolus exemplo figuli uſus eſt, quia ſicut figulus habet in poteſtate ſua facere unum uas ex eadem parte terræ in honorem, & aliud in contumeliam, ita quoque Deus habet in ſua poteſtate facere unum

hominem Regem, & alium ſeruum. Ex quo apparet, quòd hic Apoſtolus non intellexit, propter hoc exemplum, quòd Deus faciat unum hominem bonū, & alium malum: unum prædeſtinatum, & alium reprobum; quia exemplū figuli huic propoſito accōmodari non poteſt; quia non dicit figulum facere unū uas bonum, & alterum malum; ſed unum honoratum, & alterum ingloriū. Dicit etiā ex eadem maſſa terræ, propter hoc, ne præſtantia, aut uilitas fictilium crederetur eſſe propter diuerſitatem materiæ, ſed ut tantum hoc attribueretur poteſtati figuli; ut ſicut in ſolius figuli poteſtate eſſet facere uas honoratum, aut uile; ita in ſolius Dei uoluntate eſſet facere hominem Regem, aut ſeruum; & non unum bonum, & alium malum. Quam quidem ſimilitudi-
Eſai. 45. nem, ſiue comparationem figuli ad Deum Apoſtolus ab Eſaia, & Hieremia ac-
Hiere. 18. cepiſſe uidetur, quorum uterque Deum comparat figulo. Vt enim figulus habet in ſua poteſtate ex eodem luto facere quoddam uas honoratum, & quoddā inglorium, ſic ambo dicunt, Deum facere poſſe unum hominem præcellentem, & alium ſubiectum. Propterea cenſendum eſt, Apoſtolum hác utriuſque Prophetæ ſententiam huic loco accommodare uoluiſſe, ut quemadmodum illi iiſdem locis nihil de reprobatione, aut prædeſtinatione intellexerunt, ſic etiam illum nihil de eadem re, ſed de ſolo regno, & dominio loqui uoluiſſe fateamur. Sed ex his, quæ modo diximus, obſcura ſanè dubitatio oriri uidetur, quia nos uidemur ſuperioribus dictis Apoſtoli contradicere. Nam dicit. Antequam Eſau, & Iacob nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali feciſſent, ut propoſitum Dei immobile permaneret, reſponſum fuiſſe à Deo Rebeccæ, quòd maior ſeruiturus eſſet minori. Quare apparet, quòd ſicuti dominium fuit datum Iacob ſupra fratrem ſuum ſola Dei uoluntate, & miſericordia, abſque ullo bono illius opere, ita ſeruitus fuit data Eſau, ſine illius aliquo malo opere. Nos uero in adducto exemplo Pharaonis diximus, illum miſericordia Dei factum fuiſſe Regem, deinde merſum fuiſſe in fluctibus, regnoq; priuatum propter ſua ipſius ſcelera, & crudelitatem ſuam, qua miſeros Iudæos affligebat; quæ inuicē pugnare uidentur, quia priuatio regni non uidetur fieri ſola Dei uoluntate, ſed malis operibus illius, qui à regno priuatur. Cui quæſtioni ita reſponderi poſſe iudicamus, quòd Deus ex ſola ſua uoluntate, antequā homines naſcantur, aut quicquam boni, aut mali faciant, poteſt aliquem eorum facere Regem, alium uero ſeruum. Quia in poteſtate ſua eſt facere unum hominem honoratum, alterum uero ingloriū, ſine præiudicio Iuſtitiæ ſuæ; ut eſt in poteſtate figuli facere unum uas honoratum, & alterum deſpicabile. Sed poſtquam Deus alicui homini contulit regnum, nunquam eum regno eodem priuare ſolitus eſt, niſi homo ille prius Deum ſceleribus ſuis prouocauerit. Aliud quippe eſt facere hominem

hominem ſeruum, & aliud eſt hominem regno priuare; ut de Saule Rege legimus. Illum enim, quia abiecerat ſermonem Domini in conſeruandis Amalechitis, Deus à regno abiecit. Eandem quoque ſententiam de Baldaſare Rege Babiloniæ in Daniele legimus, qui propter ſcelera ſua regno priuatus eſt; quod quidem de Pharaone ſimiliter dicendum eſt, quem Deus miſericordia ſua Regé fecerat, & propter eius magnitudinem ſcelerum regno priuauit, ut his conſequentibus uerbis Apoſtolus declarabit.

QVÒD SI DEVS VOLENS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SVAM, SVSTINVIT IN MVLTA PATIENTIA VASA IRAE APTA IN INTERITVM, VT OSTENDERET DIVITIAS GLORIAE SVAE, IN VASA MISERICORDIAE, QVAE PRAEPARAVIT IN GLORIAM. QVOS ET VOCAVIT, NOS: NON SOLVM EX IVDAEIS, SED ETIAM EX GENTIBVS, SICVT IN OSEE DICIT. VOCABO NON PLEBEM MEAM, PLEBEM MEAM: ET NON DILECTAM, DILECTAM; ET NON MISERICORDIAM CONSECVTAM, MISERICORDIAM CONSECVTAM. ET ERIT IN LOCO, VBI DICTVM EST EIS. NON PLEBS MEA VOS, IBI VOCABVNTVR FILII DEI VIVI. ESAIAS AVTEM CLAMAT PRO ISRAEL. SI FVERIT NVMERVS FILIORVM ISRAEL, TANQVAM ARENA MARIS, RELIQVIAE SALVAE FIENT. VERBVM AVTEM CONSVMANS, ET ABBREVIANS IN AEQVITATE, QVIA VERBVM BREVIATVM FACIET DOMINVS SVPER TERRAM. ET SICVT PRAEDIXIT ESAIAS. NISI DOMINVS SABAOTH RELIQVISSET NOBIS SEMEN, SICVT SODOMA FACTI ESSEMVS, ET SICVT GOMORRA SIMILES FVISSEMVS. QVID ERGO DICEMVS? QVÒD GENTES, QVAE NON SECTABANTVR IVSTITIAM, APPREHENDERVNT IVSTITIAM: IVSTITIAM AVTEM QVAE EX FIDE EST. ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM IVSTITIAE, IN LEGEM IV-

STITIAE NON PERVENIT. QVARE? QVIA NON EX FIDE, SED QVASI EX OPERIBVS.

Eſt itaque in poteſtate Dei facere unum hominem Regem, alterum uero ſeruum; quemadmodum eſt in poteſtate figuli facere unum uas in honorem, & alterũ in contumeliam, ut duobus exemplis Iſaac, & Iacob; Iſmaelis, & Eſau, Apoſtolus lucidiſſime demonſtrauit. Nec propter hoc Deus iniuſtus cenſeri debet, quia regna, & imperia non ſunt hominis uolentis, atque currentis, ſed Dei miſerẽtis. Verũ ſi Deus uelit contra aliquẽ oſtendere iram, & indignationem ſuam, manifeſtamq́; facere magnitudinẽ poteſtatis ſuæ, ſicuti fecit in Pharaone, quẽ indurauit, ut eum regno, ac uita priuaret, hoc quidem non facit ſola ſua uoluntate, ſed, ut ſcelera, & peccata perditiſſimorum hominum puniat; ut ſicuti in ſceleſtis iram, & magnitudinem potentiæ ſuæ oſtendit, ita in bonis diuitias gloriæ ſuæ manifeſtet. Dicit igitur, quòd ſi etiam ille idem Deus ſimili modo uolens oſtendere iram, & magnitudinẽ potentiæ ſuæ, tulit in multa longanimitate, ac patientia ſua, uaſa iræ, & indignationis, ſcilicet Pharaonem, reliquosq́; Aegyptios obſtinatos, & iniquos, qui tot grauiſſimis oneribus Populum Dei innocentem uexabant, non ideo iniuſtus eſt appellandus: Quòd autem Pharao, atque Aegyptij appellati ſint uaſa iræ apta ad interitum, cauſa eſt, quia Dei Populum tam acerbe, tamq́; inique oppreſſerant, dum non ſolum illũ miſeræ ſeruituti ſubegiſſent, qua duris operibus luti, & lateris, omni deniq́; famulatu crudeliter premebatur, uerumetiam illius mares interfici iuſſiſſent. Hac itaque Pharaonis, reliquorumq́; Aegyptiorum impijſſimam uoluntatem, crudeliſſimamq́; tyrannidem Deus diuturna patientia ſua pertulit, ut eos, qui Populum ſuum ſupra trecentos annos duriſſima ſeruitute compreſſiſſent, iuſtiſſima tandem pœna damnaret. Nam Regem illum Aegypti, ferociſſimumq́; illius exercitum cum curribus omnibus, & equis in mari rubro demerſit. In qua quidem re mirabiliter facta, Deus oſtendit tum iram, et indignationem: tũ uim, & magnitudinem potentiæ ſuæ. Quod quidem etiam hac ratione fecit, ut deinde affluentiſſimas opes gloriæ, ac felicitatis ſuæ oſtenderet erga Populum ſuũ, quem afflixerat Pharao, quem per uaſa miſericordiæ ſignificare uoluit. Vt enim Pharaonẽ, reliquosq́; Aegyptios uaſa iræ, & indignationis eſſe dixit, quoniam eos perdidit Deus, ſic Populum ſuum appellauit uaſa miſericordiæ, quia eum ſua pietate ſeruauit. Ipſum enim de Aegypto eduxit, per mediumq́; mare ſicco pede tranſire fecit, in deſerto pauit, ab hoſtibus eripuit, & in terra Abrahæ, ſeminiq́; ſuo promiſſa tuto collocauit. Quos homines per uaſa miſericordiæ Dei ſignificatos, non modo præparauit ad gloriam ſuam, ſed etiam

eoſdem

eoſdem uocauit, inter quos non modo nos Iudæi ſumus, qui magnitudine potentiæ Dei liberati fuimus à ſeruitute Pharaonis, & deinde in Chriſtum credidimus: Sed etiam Gentiles illi, qui in Chriſtum crediderunt, ad eandem felicitatem, & gloriam uocati ſunt. Hi enim futuri erant ueri Iſraelitæ hæredes Dei, & in ſemine Abrahæ computandi propter imitationẽ fidei ipſius. Quod quidem antea in eductione Hebræorum ex Aegypto fuit oſtenſum. Non enim ſolum Deus Hebræos ab Aegypto eduxit, ſed etiam innumerabilium Aegyptiorum cor accendit, ut ſeſe fugientibus Hebræis comites adiungerent. Quapropter non eſt mirandum, ſi Gentiles ſint uocati ad fidem Ieſu Chriſti una cũ Iudæis, quandoquidem una cum illis iiſdem etiam Aegyptij à miſera Pharaonis, & miniſtrorum eius ſeruitute fuerunt liberati. Quòd autem, inter ea uaſa miſericordiæ Dei, Gentiles etiam ſint præparati, & uocati ad gloriam, apparet ex teſtimonio Oſeæ Prophetæ, qui ex ore Dei dicebat. Vocabo non plebem meam (ſcilicet Gentiles) plebem meam, ideſt Populum meum (Gentilis enim qui non fuerat Iſraelita, deinde propter ſuam fidem Iſraelita factus eſt, & de Populo Dei) & non dilectam (propter Idolorum cultum) dilectam (propter fidem, & credulitatem ipſius; ſicut fecit in Iacob, qui quãuis fuerit poſterior genitus, propter hoc tamen, quòd fuit à Deo dilectus, ab eo fuit præpoſitus Eſau) & non miſericordiam conſecutam (propter eorum ſcelera) miſericordiam conſecutam (propter fidem ſuam, ut in eis etiam adimpleretur id, quod dixit Deus Moyſi. Miſerebor eius, cui miſerebor.) Et ſic Gentilis etiam propter ſuam fidem miſericordiam Dei eſt conſecutus, & in eis locis Gentilium, in quibus olim dictum fuit eis à Domino, cum Idolis & ſimulacris immolarent. Non mea plebs uos. deinde dicetur. Plebs mea, & in ipſis eiſdem ueſtris regionibus uocabimini filij Dei uiuentis, cum olim eſſetis filij Deorum mortuorum, quia olim homines mortuos pro Dijs ueſtris coluiſtis. Et ſic uere Gẽtiles facti ſunt filij adoptionis, & gloriam Dei ſunt conſecuti; & propter hoc omnis gloria, quã ſupra Apoſtolus tribuebat Iudæis, fuit attributa Gentilibus. Nec uaſa hæc miſericordiæ Dei, quæ præparauit, & uocauit ad gloriam ſuam, ſunt Gentiles tãtũ, ſed etiã Iudæi, qui in Chriſtũ ſunt crediturі, in quorũ teſtimoniũ cũ lachrimis clamabat Eſaias dicens. Si numerus filiorũ Iſrael fuerit innumerabilis, ſicut arena maris, reliquiæ, ideſt pauci illi, qui ex tam magna, ac innumerabili multitudine Iudæorum relicti fuerunt, ſalui fient, propter eorum credulitatẽ. Hi enim illi fuerunt, qui cum Apoſtolis crediderunt; quos ideo reliquias appellauit, quia reliqui fuerunt ex illa ingenti multitudine Iudæorum, de qua etiã in alio loco ipſemet Apoſtolus dicebat. Nos, qui reliqui ſumus, occurremus obuiam ei. Illud uero, quòd has reliquias Iſraelis ſaluabit, erit uerbum Dei, quod

Oſe. 1.

Eſai. 10.

1. Theſſ. 4.

ante omnia ſæcula uerbum erat Deus, & apud Deum, quod eſt conſumans, & finiens, ſcilicet legem; quia finis legis Chriſtus eſt, & ipſum idem uerbū erit abbreuians in æquitate: Abbreuians quidem, quia omnia præcepta legis, hoſtias, uictimas, & omnia holocauſta, quæ ad expiationem ſcelerū erant inſtituta abbreuiauit una ſanctificatione, & uno ſacrificio corporis ſui, qua quidem una ſua oblatione ſanctificauit nos in æternum. Abbreuiauit igitur omnia ſacrificia ueteris legis morte ſua, & conſumauit; quia lex ad perfectam expiationē nos ducere non poterat; & in æquitate, quia unica morte ſua iuſte, ac æque pro noſtris peccatis Deo Patri ſatisfecit. Hoc autem uerbum, ut iuſte ſatisfaceret pro peccatis noſtris, Dominus Deus breuiatum, & exinanitum faciet ſuper terram. Non quidem in cœlo, quia in illo hoc uerbum non eſt abbreuiatū, neque comminutum; ſed ſuper terram tantū, quia ibi non in ſua, ſed in aliena uidebitur eſſe natura. Vere autem hoc uerbum abbreuiatum ſuper terram
Eſai. 1. erit conſumans, & abbreuians, ſicut prædixit Eſaias. Niſi dominus Deus Sabaoth, & militiæ reliquiſſet nobis ſemen ſcilicet illud, in quo benedicentur omnes gentes, omnes nos Iudæi, atque Gentiles, tāquam Gomorra, & Sodoma, fuiſſemus. Sicut enim omnes, qui in his urbibus inuēti ſunt poſt diſceſſum Loth, ex igne de cœlo immiſſo perierunt, ita quoque nos omnes Iudæi, atque Gentiles, niſi ſemen hoc, ſcilicet Chriſtus, relictum nobis fuiſſet, perijſſemus; quia nec circunciſio, nec lex etiam ſcripta, nec uictimæ, nec cæteræ legis cærimoniæ nos ſaluare potuiſſent. Si ergo Gentiles ſunt etiam præparati in uaſa miſericordiæ
Oſe. 1. Dei, & ipſi etiam ſunt uocati ad illius gloriam (ut teſtimonio Oſeæ conſpici licet) quod quidem Iudæis non modo difficile, ſed etiā impoſſibile fieri uidebatur; quid igitur ad hoc reſpōdebimus (dicit Apoſtolus) ueluti diceret. Quare hoc factum fuit, quòd Deus uocauerit etiam gentes ad ſuam miſericordiam conſequēdam, cum illæ ſemper ſine uera lege, ac uero cultu Dei uixiſſent. Cui quæſtioni reſpondens, dicit, quòd hoc ideo factum fuit, quia gentes, quæ prius non ſequebantur iuſtitiam, ideſt, quæ neque ſecundum naturæ rationē uiuebant, neque eam legem ſcriptam Iudæorum ſeruabant, per quam ipſi Iudæi putabant ſe poſſe iuſtificari, apprehenderunt iuſtitiam iſtam aliam, quam per fidē Chriſti conſequimur, quæ hominem coram Deo iuſtificat. Credentes enim in Chriſtū in lege à tot Prophetis promiſſum, per eorum fidem iuſtificantur coram Deo. At uero Iſrael cum tanto ſtudio, ac diligentia ſequeretur legem ſuam illā iuſtitiæ, quæ ſecundum puram literam ſeruata faciebat, ne homines aliquo genere pœnæ afficerentur, & ſic iuſtos eos reddebat in cōſpectu hominum, tamen in illa eadem lege ambulans peruenire non potuit ad eam legem iuſtitiæ, quæ homines faciebat iuſtos in conſpectu Dei, quia eam noluit ſecundū ſpiritum intelligere:

intelligere: & quare in lege iuſtitiæ ambulando non peruenerit in eam legem iuſtitiæ, quæ reddit homines iuſtos in conſpectu Dei, ratione adducit, dicens: Hoc eueniſſe propter hoc, quia Iſrael arbitrabatur ſe poſſe peruenire ad terminum ſuæ iuſtificationis per obſeruationem operum, quæ per legem præcipiebantur, Ille enim circuncidendo ſe, & uictimas mactando, putauit ſe ad uerum finem ſuæ iuſtificationis coram Deo peruenire poſſe, & non exiſtimauit per fidem, quam de Chriſto habere debuiſſet in eorum lege promiſſo, ad eundem terminũ ſe unquam peruenturum eſſe. Diligenter uero conſiderandum eſt, quòd Apoſtolus hoc loco de duplici iuſtitia meminit. Verum quoniam multis in locis huius epiſtolæ tum de iuſtitia, tum etiam de iuſtificatione, ac deinde de homine iuſtificato, uidemus beatum Apoſtolum meminiſſe, neceſſarium eſt eiuſmodi nominum ſignificationes explicare, ut illis expoſitis, ſententia epiſtolæ facilius intelligatur. Iuſtitiam igitur Ariſtoteles quinto Eticorum libro duplicẽ eſſe dixit, unã particularem, quæ à temperantia, prudentia, & fortitudine ſeiuncta eſſet, & in diſtributione, & cõmutatione quadam æquali rerum conſiſteret; Alterã uero cõmunem appellauit, quæ omnes uirtutes complexa omnes earum operationes ad honeſtam, atque innocentem uitam traducendam ordinaret. Huius contrarium eſt iniquitas omnia uitiorum genera comprehendens. Iuſtitia igitur hæc communis eſt uirtus in uoluntate conſiſtens eadem cum Iuſtitia Chriſtiana, hoc tantum ab ea diſtincta, quòd Chriſtiana omnes uirtutes complexa omnium reliquarum uirtutum operationes ad uitam honeſtam traducendam non ſolum propter rationem, quæ excellentem in homine locum tenet, ſed etiam propter Chriſtum, ut ei conformes, & ſimiles ſimus, dirigit, & gubernat; Cuius quidem iuſtitiæ meminit Apoſtolus, cum Philippenſibus ſcriberet dicens. Vt ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti repleti fructibus iuſtitiæ, qui ſunt, per Ieſum in gloriam, & laudem Dei; Si itaque Iuſtitia Chriſtiana omnes uirtutes complexa ſpiritu ac ratione propter Chriſtum nos uiuere docet; is igitur homo erit iuſtus, & iuſtificatus, qui uirtutes omnes complexus ſpiritu ac ratione uitam traducet propter Chriſtũ, ut ei ſimilis efficiatur. Cũ autem is, qui ſpiritu uiuit in Chriſto, filius Dei ſit (ut dicit Apoſtolus) et qui filius idem hæres Dei, et cohæres Chriſti ſit, conſentaneum utique erit, ut, qui iuſtus, & iuſtificatus fuerit, idem filius, & hæres Dei, & Chriſti cohæres appelletur. Iuſtificamur igitur ex fide Chriſti, quoniam per fidem credentes in illum ſpiritu uiuimus, carnem cum uitiis, & concupiſcentiis eius crucifigimus, uirtutibus uacamus, & propter hæc omnia hæredes Dei efficimur. De altera uero iuſtitia particulari, quæ conſiſtit in commutatione rerum, meminit Apoſtolus Cap 3. huius Epiſtolæ, ubi dicit. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt: propter enim peccatum

Ariſtoteles.

Philip. 1.

hominis Deus uoluit filium ſuum mori. Nam primus homo inobedientia abſtulit ſibi ipſi uitam, & gratiam: Chriſtus morte, atque obedientia ſua reddidit illi gratiam, & uitam, quam perdiderat. Vnde quadam commutatione factum eſſe uidetur, ut in expiationem peccati uita Chriſti data fuiſſe uideatur, et hæc eſt illa iuſtitia moralis, quæ eſt perpetua conſtanſq; uolũtas reddendi unicuiq;, quod ſuũ eſt. Theologi uero iuſtitiã ipſam in alias ſignificationes diuiſerũt. Quædam enim iuſtitia eſt obſeruantia legis, ſiue naturalis, ſiue legalis, & hoc
Pſal. 118. modo dicebat Propheta, qui diuinam legem cuſtodierat. Feci iudicium, & iuſtitiam; & propter hoc præcepta legis Prophetæ ſæpe iuſtitias, & æquitatem appellauerunt. Nonnunquam iuſtitia ſummitur pro pietate in Deũ, ſicuti di-
Cap. 3. ctum fuit Abrahæ. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Aliquando uero iuſtitia appellatur obſeruatio promiſſorum, & hoc modo Apo-
Cap. 1. ſtolus dicebat, quòd Euangeliũ eſt uirtus Dei in ſalutem omni credenti, quia in eo reuelatur iuſtitia Dei ex fide in fidem. Quod enim Patres noſtri crediderunt Deum eis ſeruaturum eſſe, nos credimus illum nobis ſeruauiſſe, dum pro nobis filium ſuum ſatisfacere uoluit, quem ſatisfacturum eſſe antea promiſerat: Et ideo ille, qui eſt uerax in ſeruando promiſſa, iuſtus appellabitur. Aliquãdo uero iuſtitia illa eſt, qua homines ſiue coram hominibus, ſiue coram Deo iuſtificãtur, & hanc iuſtitiam legem iuſtitiæ Apoſtolus hic nuncupauit. Duplex autem eſt hæc iuſtitia, una, quæ iuſtificat homines coram hominibus tantum, & non coram Deo, unde ille, qui feciſſet opera legis, iuſtificatus erat coram homini-
Leuit. 18. bus, quia dicit Moyſes. Qui fecerit legem, uiuet in ea; & ideo Apoſtolus ſu-
Cap. 4. pra dixit. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed nõ apud Deum: & hæc iuſtitia legis dicitur. Alia uero eſt iuſtitia, quæ iuſtificat hominẽ apud Deum: Hæc autem ex fide, & credulitate cauſatur, qua credimus Chri-
Cap. 5. ſtum pro nobis mortuum, ac ſuſcitatum eſſe: Et propterea ſupra dixit Apoſtolus, quòd ſumus iuſtificati per fidẽ; & hæc appellatur iuſtitia fidei. Dicit ergo Apoſtolus, quòd Iudæi ſectando legem iuſtitiæ, illius ſcilicet, quæ ex operibus iuſtificabat coram hominibus, & non coram Deo, non peruenerunt in legẽ iuſtitiæ, & illius iuſtitiæ, quæ iuſtificabat coram Deo, quia opera legis non iuſtificant coram Deo, ſed fides. At Gentiles, qui non ſectabantur iuſtitiã, ideſt qui prius nullo ſtudio legem Moyſi, eiuſq; præcepta ſeruabant, in Chriſtũ credentes deinde apprehenderunt iuſtitiam, & fidem, & credulitatẽ, & ſic fuerunt iuſtificati coram Deo. Longiores autem fuimus in expoſitione huius partis epiſtolæ, quàm conſueuimus, propter obſcuritatem literæ, quæ etiam doctiſſimis uiris ſemper uiſa eſt difficillima.

Offenderunt

OFFENDERVNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS, SICVT SCRIPTVM EST. ECCE PONO IN SION LAPIDEM OFFENSIONIS, ET PETRAM SCANDALI; ET OMNIS, QVI CREDIT IN EVM, NON CONFVNDETVR.

Quare autem Iſrael ambulando in legem iuſtitiæ non peruenerit ad intentum finẽ ipſius legis, nunc rationem adducit; & cum uſus eſſet metaphora ambulantis, nunc in eadem metaphora perſiſtens, dicit. Ideo ad intentum finem Iudæi non peruenerũt, quia inter eundum ad ſalutem, dum operibus legis fidunt, & in illis omnem ſpem ſuam collocant, et Chriſtum in eorum lege promiſſum ueniſſe non credunt, nec eum, ut filium Dei ſuſcipiunt, offenderunt in lapidem offenſionis, ideſt impegerunt in Chriſtum, qui lapis dictus eſt offenſionis eorũ; quoniam propter hoc, quòd in Chriſtum non crediderunt, præcipites ruerunt, & obcæcati fuerunt propter eorum incredulitatem: ita, ut Chriſtus, qui uenerat, ut illis opitularetur, factus fuerit eis offenſio, & ruina: de quo lapide ſcripſit Eſaias. Pono (inquit Dominus) in Hieruſalem lapidem, qui eſt Chriſtus. Nam Eſai. 8.
Chriſtus in Iudæa natus eſt, & in ea mortuus reſurrexit, qui quidem petra dicitur, uel, quòd ille ſit, ut fundamentum: uel, quòd ſit, ut res firma. De quo etiã lapide meminit Daniel in ſacris uiſionibus ſuis, dicens. Quòd lapis ab- Dan. 2.
ſciſus à monte ſine manibus comminuit illam ſtatuam ingentem, & uniuerſum orbem compleuit. Hic itaque lapis dicitur offenſionis, & petra ſcandali: Offenſionis quidem, quia nõ modo hic lapis offendit Iudæos propter hoc, quòd illos ſacerdotio, ac regno ſpoliauit, ſed etiã ſic eos offendit, ut illos omnes per exteras nationes in opprobrium ſuæ ipſorum obdurationis errare compellat: Et ideo non modo fracti ſunt, ſed etiã ab hoc lapide fuerunt contriti, ut Eſaias uaticinatus Eſai. 28.
erat, dicens. Qui ceciderit ſuper hunc lapidem, confringetur: ſuper quem uero lapis hic lapſus fuerit, conteretur. Fuit etiã petra ſcandali Iudæis, quia audientes, Chriſtum filiũ Dei ſe facere, ſcandalizati ſunt: ita, ut miracula eius dicerent Dæmonum, & non Dei uirtute facta eſſe. Et ideo Apoſtolus Corinthijs 1. Cor. 1.
dicebat. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gẽtibus autem ſtultitiam. At uero illi, qui in eum lapidem, ideſt in Chriſtum crediderunt, eumq; filium Dei confeſſi fuerunt, non confundentur, nec pudefiẽt, quia ſua expectatione non fraudabuntur. Quare non eſt mirandum, ſi Deus Gentiles prætulerit Iudæis in hæreditate, in imperio, in plebe, ac populo ſuo, illiſq; promiſſiones, quas maioribus, ac patribus Iudæorum fecerat, ſeruauerit: hoc enim propter ſupradictas rationes eueniſſe dicimus, quia Iudæi noluerunt

eſſe filij promiſſionis, ſed tantum carnis; & uoluerunt magis ſectari iuſtitiam legis, quàm fidei. Gentiles uero fuerunt filij promiſſionis, quoniã fidẽ Abrahæ imitati ſunt, & crediderunt magis in fide Ieſu Chriſti, quàm in operibus legis ſe poſſe ſaluari, propter quod ipſi filij, hæredes, plebs, & populus Dei dici meruerunt. Quare apparet uerbum Dei non excidiſſe, quia ſi Iudæis propter eorum incredulitatem Deus non ſeruauit ea, quæ illis promiſerat, ſeruauit tamen Gentilibus, & his Iudæis, qui in Chriſtum crediderunt. Et ideo Apoſtolus ea omnia, quæ in principio huius capitis de Iudæis dixerat, de Gentilibus credẽtibus in Chriſtum dici quoque poſſe demonſtrauit: Dixerat enim de Iudæis, quòd eſſent Iſraelitæ, ijdem quoque adoptiui filij, quibus etiam gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, cæteraq; promiſſa Dei data erant, quæ omnia in Gentilibus illis, qui crediderunt in Chriſtum, completa fuiſſe lucidiſſime oſtendit. Quòd autem Gentiles Iſraelitæ poſſint merito appellari, demonſtrauit exemplo Iſaac. Sicuti enim ille, quia fuit filius promiſſionis, fuit exiſtimatus in ſemine Abrahæ, & nõ Iſmael, ita quoque Gentiles illi, qui fidem Abrahæ fuerint imitati, debent dici filij promiſſionis, & Iſraelitæ, hoc eſt hæredes Dei. Iidẽ quoque Gentiles propter hoc, quòd crediderunt in Chriſtũ, appellati ſunt adoptiui filij Dei, et maioribus natu, ideſt Iudæis non credentibus in Chriſtum præpoſiti fuerunt; quod etiam exemplo Eſau, & Iacob filiorum Iſaac cõprobauit; nam ſicut Iacob minor natu fuit adoptatus à patre in hæredem, & conſtitutus dominus fratrum ſuorum, quãuis illi prius geniti eſſent, quàm Iacob, ita quoque Gentiles propter eorum credulitatem, quãuis poſteriores filij Dei eſſent, fuerunt adoptati in filios adoptiuos illius, & conſtituti domini primogenitorum fratrum ſuorum Iudæorum; & propter hanc adoptionem dedit etiã illis Deus gloriam, poteſtatem, ac dominium, & eos, tãquam fauoris, & miſericordiæ ſuæ uaſa, præparauit in gloriam, oſtenditq; illis diuitias gloriæ ſuæ, propter hoc, quòd illis conceſſerit dominia, regna, & poteſtates. Iisdem etiam Gentilibus Deus teſtamenta ſua ſeruauit, quibus promiſerat Abrahæ, et ſemini ſuo, quòd eſſet poſſeſſurum portas inimicorum ſuorum, quod quidem in Gentilibus in Chriſtum credentibus ſeruatum eſſe declarauit. Iisdem quoque Gentilibus legẽ ſuam Deus communicauit, quia illi apprehenderunt iuſtitiam eam legis, quæ eſt ex fide, & non eam iuſtitiam, quæ eſt ex operibus, ut Iudæi faciebãt; & propter hoc meruerunt conſequi à Deo cognitionem ueri cultus, & obſequij, qua Deum ipſum colere, & eidem obtemperare didicerunt; quod Iudæi propter ſuã ipſorum incredulitatem conſequi non potuerunt. Iidem quoque ex ijsdem patribus nati ſunt, ex quibus natus eſt Chriſtus, quia propter fidem facti ſunt filij Abrahæ, ſicut ille propter ſuam fidem factus eſt pater multarum gentium.

Ex his

Ex his igitur, quæ Apoſtolus toto hoc nono capite declarauit, ſatis perſpicuum eſſe debet, nihil eum de prædeſtinatione, aut reprobatione cogitauiſſe: Sed tantum id uoluiſſe oſtendere, quòd ſcilicet Deus propter incredulitatem Iudæorum non irritum fecit, quod illis promiſſerat; quia ſi non omnibus Iudæis ſeruauit, quod promiſerat, hoc fuit, quia fuerunt filij carnis tantum, & non promiſſionis, propter ſuam incredulitatem: ſeruauit tamen promiſſa in eis filijs Abrahæ, qui fuerunt filij promiſſionis, & fidem illius imitati fuerunt, prout fuerunt Gentiles, & reliquiæ illæ Iudæorum, qui Chriſti fidem acceperunt; quod auctoritate ſcripturæ, et exēplis, et teſtimonio Prophetarū luciſſime demōſtrauit.

CAPVT DECIMVM.

FRATRES, VOLVNTAS QVIDEM CORDIS MEI, ET OBSECRATIO AD DEVM FIT PRO ILLIS IN SALVTEM. TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO ILLIS, QVÒD AEMVLATIONEM QVIDEM DEI HABENT, SED NON SECVNDVM SCIENTIAM. IGNORANTES ENIM IVSTITIAM DEI, ET SVAM QVAERENTES STATVERE, IVSTITIAE DEI NON SVNT SVBIECTI. FINIS ENIM LEGIS CHRISTVS, AD IVSTITIAM OMNI CREDENTI.

Quāquam Iudæi impegerint in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali, quia nec miraculis, nec operibus Chriſti crediderunt, & (quod execrabilius fuit) eum crucifixerunt, uoluntas tamen cordis mei, propenſa quidem, et magna mihi eſt pro eorum ſalute. Opto enim quàm maximo cordis affectu ſalutem eorum; & non modo eorum ſalutem deſidero, ſed etiam omnis mea obſecratio, & oratio, qua Deum deprecor, ſpectat ad eorum ſalutem, ut & ipſi mecum fidē Chriſti ſuſcipiant: Quoniam potens eſt Deus eos conuertere, & in fide Chriſti corda eorum obcœcata illuminare. Quāquam in hunc lapidem offenſionis, & in hanc petram ſcandali impegerint, qui eſt Chriſtus, eò tamen libentius pro eorum ſalute Deum obſecro, quandoquidem ego de illis poſſum teſtificari, quòd habeant æmulationem Dei, quia ſummo ſtudio enituntur ſectari legē Dei: ſed

oberrant, quoniam falluntur prauo ſuo iudicio, quia non intelligunt legem. Si enim legem cognouiſſent, Chriſtum utique non eſſent perſecuti, & propter hoc ignorantes iuſtitiam Dei, eam ſcilicet, quæ iuſtificat peccatores per fidem Chriſti, & in ſua ipſorum iuſtitia, qua ex operibus legis dicunt homines poſſe iuſtificari, ſpem omnem ſuam collocantes, non ſubmittunt ſeſe iuſtificationi ipſius Dei, quia ex ſeſe, ſuiſq; operibus, & non propter iuſtificationem Dei, ac ſatisfactionem Chriſti putant ſe ſaluos poſſe fieri. Vere autem hoc arbitrantes ignorabant legem, quia neſciebant finem ipſius legis: nam Chriſtus, quem Iudæi refellunt, & in quem credere nolunt, eſt finis legis; finis (inquam) Chriſtus eſt omni credenti ad conſequendam iuſtitiam, & ueram iuſtificationem, quæ nõ datur ex operibus legis, ſed ex fide, & credulitate, qua Chriſtum & mortuũ fuiſſe, & reſurrexiſſe corde credimus, & ore confitemur. Chriſtus autem finis eſt, & conſumatio totius legis, non modo quia omnes figuræ, ac Prophetarum oracula ad eũ ordinabantur, ſicut ad finem, & propter hoc, eo in cœlũ aſcendente, omnium Prophetarum uaticinia ceſſauerunt, ſed etiam, quia lex neminem potuit unquam iuſtificare, niſi Chriſtus, ad quem tota lex ordinabatur, nos ſua morte, ac ſanguine iuſtos feciſſet, & Patri ſuo reconciliauiſſet.

MOYSES ENIM SCRIPSIT. QVONIAM IVSTITIAM, QVAE EX LEGE EST, QVI FECERIT HOMO, VIVET IN EA. QVAE AVTEM EX FIDE EST IVSTITIA, SIC DICIT. NE DIXERIS IN CORDE TVO. QVIS ASCENDET IN COELVM? IDEST CHRISTVM DEDVCERE? AVT QVIS DESCENDET IN ABYSSVM? HOC EST CHRISTVM À MORTVIS REVOCARE? SED QVID DICIT SCRIPTVRA? PROPE EST VERBVM IN ORE TVO, ET IN CORDE TVO. HOC EST VERBVM FIDEI, QVOD PRAEDICAMVS; QVIA, SI CONFITEARIS IN ORE TVO DOMINVM IESVM, ET IN CORDE TVO CREDIDERIS, QVÒD DEVS ILLVM SVSCITAVIT À MORTVIS, SALVVS ERIS.

Vere Chriſtus eſt finis legis omni credenti ad iuſtitiam, dico autem eam iuſtitiam, quæ homines coram Deo iuſtificat, & non illam iuſtitiam, quæ homines ſolum

iuſtificabat

iuſtificabat coram hominibus. De utraque autem hac iuſtitia Moyſes legiſlator meminit. Ipſe nãque in Leuitico, ſcripſit iuſtitiam legis, dicens; Quòd iuſtitia legis eſt illa, quæ facit hominem uiuere in ea, ſi ille præcepta, ac ipſius mãdata cuſtodierit: Qui enim non obſeruabat legem, uel lapidabatur, uel crucifigebatur, uel aliquo alio genere mortis, uel ſupplicij puniebatur. Sed qui legem obſeruauiſſet, uiuebat, nullum tamen premium, aut munus futurum æternæ felicitatis expectabat: quia illa lex non iuſtificabat homines coram Deo: nam illi, qui obſeruabant legem, mouebantur metu pœnarum, aut præſentia bonorum temporalium, & non aliqua ſpe, aut fide rerum inuiſibilium à Deo promiſſarum: & ideo ſupra Apoſtolus dicebat. Si Abraham iuſtificatus eſt ex operibus, habet gloriam, ſed non apud Deum. Deus autem iuſtificat ſolum eos, qui ſpe, aut fide rerum inuiſibilium bona opera faciũt. Ideo iterũ ſupra dixit Apoſtolus, quòd iuſtificamur ex fide, quia his, quæ à Deo promittuntur, quæ non uidemus, neque ſenſu ullo percipimus, credimus, & aſſentimus. Sed iuſtitiam fidei idem Moyſes deſcripſit in Deuteronomio, dicens. Reuertaris Iſrael ad dominum Deum tuum in tota anima tua, & in toto corde tuo, hoc uero mãdatum, quod tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque eſt in cœlo ſitum, ut poſſis dicere. Quis noſtrum aſcendet in cœlum, & iſtud deferat ad nos mandatum, ut faciamus illud? Neque trans mare poſitum, ut dicas. Quis ex nobis poterit trans mare nauigare, & id ad nos perferat, ut faciamus illud? Sed iuxta te eſt uerbum in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud. Ex his itaque uoluit Moyſes (ſi diligenter conſiderauerimus) quòd iuſtitia, quæ eſt ex fide, non in operibus, ac cærimonijs legis conſiſtat, ſed in fide, credulitate, atque dilectione, & affectu cordis, & animæ; quia Moyſes ſupra dixerat. Quòd ſi propter peccata tua Iſrael te Dominus diſperſerit in alijs gẽtibus, et in toto corde, & in tota anima tua reuerſus fueris ad Dominum, reducet te dominus Deus tuus de captiuitate tua. Volebat ergo ex his Moyſes Iudæis oſtendere, quòd quãuis diſperſi per orbẽ poſſent excuſari ab obſeruatione legis ſcriptæ, non poterant tamen excuſari à iuſtitia fidei, quæ eſt ex dilectione ad Deũ, quoniam hæc non diſtabat loco, ut uel in cœlum aſcenderent, uel in infernũ deſcenderent, ad diligendum Deum toto corde, & tota anima ſua: ſed erat hoc mandatum prope unumquẽque eorum in corde, & in anima uniuſcuiuſque eorum. Hoc etiam modo uult dicere Apoſtolus, quòd ſi uelimus liberari ab æterna captiuitate, & iuſtificationem conſequi, non eſt neceſſe, ut aliquis dicat in corde ſuo. Quis aſcendet in cœlum, quaſi Chriſtum ab illo deducturus? ueluti diceret. Vt ſalui ſimus nemo habet aſcendere in cœlum, & deducere Deum in terras, ut ille homo fiat: Neque aliquis habet deſcendere in Abyſſum, ut Chriſtum

Leuit. 18. Cap. 4. Cap. 5. Deut. 30.

reſurgere faciat, ut inde ſaluus fiat. Hæc enim tibi impoſſibilia ſunt, ut ea facias; Sed audi quid dicat ſcriptura, ipſa enim docet te, quid facere debeas, ut ſaluus fias: Nam illa dicit. Prope ſcilicet te eſt uerbū in ore tuo, & in corde tuo, quia ubicunque fueris, in promptu tibi eſt, & tibi non erit opus, quò illud ore confitearis, & corde credas, aut aſcendere in cœlum, aut deſcēdere ad infernum, aut ad ignotas gentes, & extrema littora peragrare, quia in omni loco poteris uerbum ore confiteri, & corde credere. Hoc autem uerbum, quod dicit Moyſes prope te eſſe, & in ore, & in corde tuo eſt, uerbum ſcilicet fidei, quod nos Apoſtoli prædicamus. Non enim nouum aliquod prædicamus, ſed illud idem, quod Moyſes longiſſimis antea ſæculis uobis prædicauit; ita, quòd ſicut uerbū illud, quod Moyſes fieri mandabat, erat in ore, & in corde tuo iuxta te, ſic quoq; uerbū, quod nos Apoſtoli prædicamus, prope te eſt, nec oportet, ut in cœlum aſcendas ad deducendum Chriſtum, ut carnem ſumat, & homo fiat; aut, quòd deſcendas ad inferos, ut Chriſtum à mortuis reuoces. Hæc enim facere non potes, ſed ſatis eſt, ut confitearis in ore tuo dominū Ieſum, eū ſcilicet ſeruatorem, & dominum noſtrū exiſtere, & in corde tuo credas, quòd eum mortuum Deus ſuſcitauerit. Non enim laus eſt Chriſtum mortuum confiteri, ſed gloria noſtra ipſum reſurrexiſſe credere, & prædicare. Quia & Iudæi infideles, & Gentiles dicunt, Chriſtum mortuū eſſe. Si igitur ore, & corde tuo credideris, & confeſſus fueris, Chriſtum dominum, & redemptorem noſtrum mortuum pro nobis fuiſſe, & eūdem à Deo ſuſcitatū eſſe, ſaluus eris.

Leuit. 18. *Vide quantum differat igitur iuſtitia legis, à iuſtitia fidei. De illa enim dictum eſt. Qui fecerit eam, uiuet in illa. De iuſtitia uero fidei. Qui crediderit corde, & ore confeſſus fuerit dominum Ieſum ſuſcitatum à mortuis, ſaluus erit; & ſic per iuſtitiam legis datur uita hæc præſens, per iuſtitiam uero fidei, uita, & ſalus æterna.*

CORDE ENIM CREDITVR AD IVSTITIAM, ORE AVTEM CONFESSIO FIT AD SALVTEM. DICIT ENIM SCRIPTVRA. OMNIS, QVI CREDIT IN ILLVM, NON CONFVNDETVR. NON ENIM EST DISTINCTIO IVDAEI, ET GRAECI. NAM IDEM DOMINVS OMNIVM, DIVES IN OMNES, QVI INVOCANT ILLVM. OMNIS ENIM, QVICVNQVE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT.

Vere

Vere ſi ore confeſſi fuerimus dominum noſtrum Ieſum, & corde eundem crediderimus ſuſcitatum fuiſſe à mortuis, ſalui erimus. Quoniam corde creditur ad iuſtitiam (corde enim credimus, quia multi ſe dicunt credere ore, & tamen non credunt corde.) Creditur autem corde ad iuſtitiam conſequendam, quia niſi crederemus corde, ac uoluntate, non mereremur à Deo iuſtificari. Premiũ igitur credulitatis eſt iuſtificari à Deo, & propterea dictum eſt. Credidit Abraham Deo, & fuit ei reputatum ad iuſtitiam: & ore etiam confeſſio fit ad ſalutem, quia non oportet tantum credere uoluntate, ac intellectu; Sed etiã oportet, ut ore, quod credis, confiteare; ſiue, ut alios doceas; ſiue, ut nomen Dei magnifices: quandoquidem ſi illius liberam, atque apertam confeſſionem continueris, plus uideare homines timere, quàm Deum; & uitam hanc fugacem pluris facere, quàm ſempiternam illam. Vere autem, qui corde crediderit, iuſtificabitur, & ſalutem conſequetur ſempiternam, quia ſcriptura, quæ falli non poteſt, hoc affirmat. Eſaias enim dicit. Omnis, qui credit in illũ, non confundetur, non pudefiet, neque erubeſcet de ſua credulitate; quia de illa non modo huberrimos fructus, ſed etiam certiſſimos eſt conſecuturus. Ille enim, qui crediderit in eum, ſiue fuerit Græcus, ſiue Iudæus, nullo modo confundetur. Non enim ulla diſtinctio eſt inter Iudæum, atque Gentilem, dummodo uterque crediderit. Premium enim fidei, atque credulitatis eſt iuſtificatio: & ideo omnes illi, qui pares fuerunt in fide, & credulitate, pares quoque erunt in iuſtificatione, atque ſalute. Quãuis enim Iudæis primo fuerunt eloquia Dei ad credendũ data, ipſiq; etiam filij adoptionis electi, quibus teſtamentum, lex, pactiones, ac fœdera promiſſa, tamen quo ad fidem, & credulitatem, & fructus utriusq; conſequendos, nulla eſt diſtinctio, atque diſparilitas inter illos. Nam ideo eſt dominus omnium, ſiue Iudæorum, ſiue Gentilium, ut omnibus in ſe credentibus æquam mercedem ſuæ credulitatis impartiat: Et ideo ad Deũ æque ſpectat habere curam de utriſq;, & ut iuſtiſſimum, & amantiſſimum æqui, non magis uni, quàm alteri in eum credenti, ſe bonum, ac placabilẽ, et gratioſum oſtendere. Non enim ſolis Iudæis diuitias, & opes miſericordiæ ſuæ impartiturus eſt, ſed etiam Gentilibus, & his omnibus, quicunque ad eum confugerint, et nomen ipſius inuocauerint. Propterea nõ in circunciſione, non in lege, non in cærimonijs, nõ in alijs operibus legis ſalus hominum ſita eſt, ſed in fide, in credulitate, in confeſſione, & in inuocatione Dei: In quibus omnibus cum pares, & æquales eſſe poſſint Gentiles cum Iudæis, & nulla eſſe poſſit in hoc inter utroſque differentia, pares quoque eos, & æquales in ſalute, & iuſtificatione eſſe, neceſſe eſt, ut confiteamur.

Eſai. 28.

QVOMODO ERGO INVOCABVNT EVM, IN QVEM NON CREDIDERVNT? AVT QVOMODO CREDENT EI, QVEM NON AVDIERVNT? QVOMODO AVTEM AVDIENT, SINE PRAEDICANTE? QVOMODO VERO PRAEDICABVNT, NISI MITTANTVR? SICVT SCRIPTVM EST. QVAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIVM PACEM, EVANGELIZANTIVM BONA.

Si itaque ad ſalutem conſequendam neceſſe eſt inuocare nomen domini: Et cum nemo inuocet, in quem non credat; qua ratione igitur fieri poterit, ut tam Iudæi, quàm Gentiles inuocent nomen domini, in quem prius non crediderunt? Prius enim credere neceſſe eſt, deinde illum, in quem credideris, inuocare; quia fides præcedit inuocationem; & nemo credere poteſt, niſi prius audiat ab alijs ea, quæ ipſe non uidit. Quomodo igitur credent in Chriſtum, niſi audiant ab aliquo ea, quæ de Chriſto neceſſario ſunt credenda? &, quæ proponuntur uoce exteriori credenda, quomodo poterunt audire, ſi prædicatorem non habuerint? Poſtremo, quoniam ea, quæ ſunt Dei, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei, non poſſunt igitur prædicatores ea, quæ ſunt Dei, prædicare, niſi ab illo mittantur. Miſſus enim fuit Moyſes à Deo prædicaturus populo Iſraelitico. Miſſi ſunt etiam alij Prophetæ. Miſſus fuit Ioannes Baptiſta, de quo dictum eſt. Ego
Math. 3. *uox clamantis in deſerto. Miſſus fuit Chriſtus à Deo patre. Miſſi ſunt Apo-*
Ioan. 6. *ſtoli à Chriſto. Propterea ueritas dicit. Sicut me miſit Pater, ita ego mitto uos; Vnde nomen Apoſtoli miſſum ſignificat. Et quòd miſſi fuerint, probat teſtimo-*
Eſai. 52. *nio Eſaiæ, qui ex ſpecioſitate, ac pulchritudine greſſuum Euangelizantium, ac prædicātium: & ex eo, quòd pacem, & bona annunciant, perſpicue probat ipſos eſſe miſſos. Pacem uero annunciant (illam inquam) qua ſumus reconciliati Deo Patri, quia propter peccatum primi parentis eramus inimici Deo: in qua quidem pace noſtra æterna felicitas conſiſtit, nullis antea ſæculis prædicata: Et bona etiam prædicant, non terrena, atq; caduca, ſed ſempiterna, & immarceſſibilia, nunquam antea neque promiſſa, neque promulgata. Nā cæteri prædicatores, legumq́; latores, & ipſemet Moyſes non niſi mundi pacem, & bona terræ polliciti ſunt; & omnes etiam, qui poſt Chriſti aduentum ſua ſponte ad prædicandum uenerunt, abſque quòd ab eo mitterentur, inuenti ſunt fallaces, ſicut legimus de Iuda Galileo, et Simone, et Theoda magis, et alijs Pſeudo Apoſtolis.*

ſtolis. At Chriſtus, & qui ab eo miſſi ſunt, non niſi bona æterna prædicaue-runt. Ioannes enim Baptiſta primus uicinitatem regni Dei prædicauit, quã eandem etiam Chriſtus, & Apoſtoli ab eo miſſi ex illius præcepto prædicauerunt.

SED NON OMNES OBEDIVNT EVANGELIO. ESAIAS ENIM DICIT. DOMINE, QVIS CREDIDIT AVDITVI NOSTRO?

Sed quãquam omnes tum ex Iudæis, tum etiam ex Gentilibus audierint Euangeliũ, non tamen omnes obtemperant Euangelio, & hoc eſt, quia non credunt illi; & propterea inducit auctoritatem Eſaiæ dicentis. Domine, quis credidit ea, quæ à nobis, prophetata, & ab omnibus ferè audita fuerunt? uel quis credidit ea, quæ ſcilicet nos prophetæ abs te audiuimus, & locuti ſumus mundo de ore tuo domine: ueluti diceret. Pauci admodum fuerunt, quod maxime uerificatum fuit de Iudæis, quorum pauci Euangelio, quod audierant, crediderunt. Eſai. 53.

ERGO FIDES, EX AVDITV: AVDITVS AVTEM PER VERBVM CHRISTI.

Concludit igitur auctoritate Eſaiæ, quòd fides ſit ex auditu, et auditus per uerbum Chriſti prædicatum per Apoſtolos, ueluti diceret: Si fides eſt ex auditu, & auditus eſt per uerbum Chriſti prædicatum per Apoſtolos, et uos illos Apoſtolos prædicantes audiuiſtis, quam ergo excuſationẽ poteſtis habere, ſi in Chriſtum non credideritis? certe nullam.

SED DICO. NVNQVID NON AVDIERVNT? ET QVIDEM IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONVS EORVM; ET IN FINES ORBIS TERRAE VERBA EORVM.

Si itaque auditus eſt per uerbum Chriſti prædicatum per Apoſtolos, dico ergo, nunquid tam Iudæi, quàm Gentiles non audierunt uerbum illud Chriſti prædicatum per Apoſtolos? Vtique audierunt, quoniam in omnem terram, quaſi dicat tam Iudæorum, quàm Gentilium penetrauit ſonus eorum prædicantium; et uſque ad fines orbis terræ ab illis habitatæ uerba illorum diffuſa, & propagata fuerunt. Quoniam Apoſtoli, antequam diſceſſiſſent à Iudæa prædicaturi inter alias mundi partes Euangelium, per omnem regionem Iudæorum primum illud

prædicauerunt. Non autem putamus Apoſtolum iſta uerba ſuſcepiſſe à Propheta, ut omnes ferè opinati ſunt, tum quia non inducit ſcripturam, quia ubi eam citat, ſolitus eſt dicere, ſicut ſcriptum eſt: tum etiam quia, omnibus hoc cognitum erat, quòd Apoſtoli in utraq; terra tam Iudæorum, quàm Gentilium eo tempore Chriſtum prædicaſſent, & propter hoc non erat opus adducere teſtimonium Prophetæ: tum etiam quia argumentum ſumptum ab iſta auctoritate non eſſet efficax præcipue contra Hebræos, quia Propheta (ſi ſenſum literæ ſequi uoluerimus) non loquitur ibi de Apoſtolis, ſed de cœlis, deq; ornatibus eorum deſignantibus gloriam Dei, de quibus dicit, quòd in omnem terram extenditur filus, & linea eorum; noſtri autem ad Apoſtolos illud referunt ſecundum allegoriam: tum poſtremo etiam, quia tempore illo, quo Paulus talia ſcribebat, non erat uerum, quòd ita in omnem terram iam penetrauiſſet ſonus Apoſtolorum, ut ad fines uſq; orbis peruenire potuiſſet: ſed uerba hæc ſic intelligenda eſſe putamus, ut in omnem terram tam Gentilium, quàm Iudæorum, & in fines orbis habitati ab eiſdem peruenerit uox prædicantium Chriſtum, ita, quòd tam Gentiles, quàm Iudæi audierint Chriſti Euangelium, quod Apoſtoli prædicauerunt.

SED DICO, NVNQVID ISRAEL NON COGNOVIT? PRIMVS MOYSES DICIT, EGO AD AEMVLATIONEM VOS ADDVCAM IN NON GENTEM, IN GENTEM INSIPIENTEM, IN IRAM VOS MITTAM.

Cum itaq; tam Gentiles, quàm Iudæi audierint Euangelium Chriſti prædicatum per Apoſtolos, quoniam in omnem terram illorum diffuſum fuit nomen Chriſti; nunquid fortaſſe dicit Apoſtolus. Iudæi Euangelium illud cognouerunt, & intellexerunt? Certe Iudæi non intellexerunt, neq; cognouerunt; Gentiles, & intellexerunt, & cognouerunt: Quod quidem probat Apoſtolus auctoritate ſcripturæ, quæ Moyſem de hac re uaticinatum fuiſſe refert. Ille
Deut. 32. enim prior cæteris Prophetis in Deuteronomio in perſona Dei dicit. Ego (intelligitur Deus) ad æmulationem uos adducam ò Hebræi in non gentem, id eſt propter ueſtram infidelitatem conducam uos ad inuidiam inter non gentem meam, hoc eſt inter Gentiles, quia propter Idola ab eis culta, non erant de gente Dei: conducam (inquam) uos ad inuidiam Gentilium, quia tantum uirtutis ad cognitionem ueritatis conſequendam in illos conferam, ut inde prouocem uos ad inuidiam; & in gentem inſipientem in iram uos mittam, ueluti

diceret. Excitabo uos uſq; ad iram ob magnitudinem cognitionis à me datæ genti inſipienti: Nam ipſi Gentiles gentes inſipientes merito dicebantur, quia ante aduentum Chriſti ueram cognitionem de Deo nondum erant aſſecuti: quia illi non tantum Solem, Lunam, reliquosq; planetas, qui fulgore ſuo mundum illuſtrant, numina habuerunt, ſed etiam homines, uolucres, fœdiſſimáq; animalia adorauerunt: Democritus enim pœnam, ac ſupplicium finxit Deos: quin etiam morbis, ac peſtibus; ut febri, ac malæ fortunæ templa Romæ celeberrima constructa legimus.

ESAIAS AVTEM AVDET, ET DICIT. INVENTVS SVM A NON QVAERENTIBVS ME: PALAM APPARVI IIS, QVI ME NON INTERROGABANT.

Non ſolum Moyſem teſtem induxi, quòd Gentiles cognouerint Euangelium Chriſti, quod Iudæi infideles non intellexerunt, ſed etiam Eſaiam celeberrimum inter Prophetas de eadem re loquentem induco: Ille enim audenter, & ſine ullo timore Iudæorum dicit in perſona Dei. Inuentus ſum ab illis, qui me non quærebant, hoc eſt à Gentilibus, qui ſine cultu, & expectatione Meſiæ, & lege Dei uiuebant; & manifeſtus apparui ijs, ſcilicet Gentilibus, qui me non rogabant; Quos Gentiles cum gentem inſipientem Moyſes appellaſſet, eos Eſaias non quærentes, & non rogantes Deum dicit, ueluti cognitionis Dei, legis, & ueritatis penitus expertes, & ignaros. Eſai. 65.

AD ISRAEL AVTEM DICIT. TOTA DIE EXPANDI MANVS MEAS AD POPVLVM NON CREDENTEM, ET CONTRADICENTEM.

Probauerat teſtimonio Moyſi, & Eſaiæ, quòd Gentiles cognouerunt Chriſtum per Apoſtolos prædicatum: nunc probat, quod de Iudæis propoſuerat, quòd ſcilicet non cognouerunt Chriſtum per eoſdem Apoſtolos prædicatum, & hoc eiuſdem Prophetæ Eſaiæ teſtimonio confirmat, qui ex ore Dei ſic loquitur. Ego, ſcilicet Eſai. 65. Deus factus homo propter ueſtram ſalutem, tota die, id eſt toto tempore, quo in terris degi, expandi manus meas communicando uobis innumera beneficia, leproſos mundando, cœcos illuminando, mortuos ſuſcitando, uos tamen ſemper fuiſtis increduli; & non modo neq; mihi, neq; operibus meis credere noluiſtis, ſed quod dictu uix nefas eſt, contradixiſtis mihi, dicentes. In Beelzebub principe Dæ- Math. 9.

moniorum hic homo eijcit dæmonia, & hic etiam homo non eſt à Deo: Non ergo mirum uobis uideri debet ò Iudæi, ſi me gentibus non quærentibus oſtenderim, quia gentes, ut primum audierunt nomen meum, non fuerunt incredulæ, neq; mihi contradixerunt, ut uos feciſtis. Quare ò Iudæi nulla excuſatio uobis relinquitur, quòd non credideritis in Chriſtum, quia ex prædicatione Apoſtolorum nomen illius audiuiſtis, & ex prophetis ueſtris in eo ipſo Chriſto completis debuiſtis eum cognoſcere. Vnde quòd Gentilibus tot beneficia Deus contulerit, nulla debet eſſe uobis cauſa querelæ, quia uos ſemper illi fuiſtis increduli, & cōtradictores.

CAPVT VNDECIMVM.

DICO ERGO. NVNQVID DEVS REPVLIT POPVLVM SVVM? ABSIT. NAM ET EGO ISRAELITA SVM EX SEMINE ABRAHAM, DE TRIBV BENIAMIN.

Cum probauiſſet Gentiles cognouiſſe Chriſtum, oſtendiſſetq; Iudæos eundem neq; intelligere, neq; cognoſcere uoluiſſe, rationabiliter propter hoc Apoſtolus mouet dubitationem, & dicit. Nunquid propter crimen hoc tam magnum incredulitatis, & contradictionis Deus repudiauit totam gentem Iudæorum olim populum ſuum? Cui quæſtioni reſpondet, dicens. Procul hoc abſit, ut exiſtimemus, quòd Deus uniuerſum populum Iſraelis repulerit, & hoc rationibus comprobat, & exemplum ſumit primo à ſe ipſo. Nam ego Paulus (inquit) ex gente Iſraelitica ſum, & ex progenie Abraham de tribu Beniamin, & tamen non ſum repudiatus à Deo: Non igitur uerum eſt, quòd Deus totam gentem Iudæorũ repulerit.

NON REPVLIT DEVS PLEBEM SVAM, QVAM PRAESCIVIT.

Alia ratione hoc idem comprobat, quæ ſumitur ex perſona omnium Iudæorum, quos Deus præſciuerat in Ieſum Chriſtum credituros, dicens. Deus non repudiauit plebem ſuam populi ſcilicet Iſraelitici, quam præſciuit: id eſt, quã ſcientia ſua infallibili ab æterno cognouerat in Filium ſuum credituram, ex hoc igitur loco ſatis lucide declaratur ab Apoſtolo, quòd hoc nomen præſcientia non ſcientiam cum uoluntate Dei ad damnandum (ut multi putauerunt) ſed ſolum ſignificet illam æternam, & infallibilem Dei cognitionem, qua Deus nouit omnia, ante-

quam

quam facta ſint; & eos fide, & bonis operibus præcognouit Filium ſuum fore ſecuturos: Quoniam ſi illi, qui ſalui ſunt, ij prædeſtinati ſolum debeant appellari, & non præſciti, Paulus iſtorum nominum inuentor hoc utiq; loco dixiſſet hoc modo. Deus non repulit plebem ſuam, quam prædeſtinauit, ſicuti etiam ſupra latius diximus.

AN NESCITIS IN ELIA QVID DICIT SCRIPTVRA, QVEMADMODVM INTERPELLAT DEVM ADVERSVM ISRAEL?

Poſtremo illud idem Eliæ teſtimonio comprobat, quod colligitur ex Regum libro. Inquit enim, an neſcitis, quonam modo Elias in ſui opem Deum inuocet contra Iſraelem, id eſt contra eos, qui propter idolatriam ex decem tribubus interfecerant cultores Dei? inquit enim Elias. 3.Reg.19.

DOMINE PROPHETAS TVOS OCCIDERVNT, ET ALTARIA TVA SVFFODERVNT, ET EGO RELICTVS SVM SOLVS, ET QVAERVNT ANIMAM MEAM.

Domine Idolatræ illi occiderunt Prophetas tuos in Dam ſcilicet, & Bethel, qui uitulos aureos adorandos à Hieroboam ſuſceperunt, qui ſcilicet Prophetæ, cum prohiberentur ire in Hieruſalem à regibus idolatris, noluerũt dæmonibus immolare, ſed conſtruxerunt altaria Deo; quibus interfectis altaria tua domine idolatræ ſuffoderunt, & euerterunt in terram; & ego ex tot Prophetis ſolus ſuperſtes relictus ſum, & quærunt animam meam, ut me etiam interficiant, ſicuti Iezabel impia regina, quæ mortem Eliæ minabatur.

SED QVID DICIT ILLI DIVINVM RESPONSVM? RELIQVI MIHI SEPTEM MILLIA VIRORVM, QVI NON CVRVAVERVNT GENVA ANTE BAAL.

Quid reſponderit Deus Eliæ ſtanti in ſpelunca montis Oreb, explicat Apoſtolus, & dicit. inquit enim Deus. Quanquam innumera ferè multitudo ò Elias ſanguinem Prophetarum hauſerit, altaria euerterit, dæmonibus immolauerit in populo Iſraelis, nihilominus reliqui mihi ſeptem millia uirorum, qui noluerunt flectere 3.Reg.19.

ſe ante altaria dæmoniorum. Quare Eliæ dicenti ſe ſolum relictum eſſe inter illos, qui Deum timerent, reſpondit Deus dicens; Hoc non eſſe uerum, quia de populo Iſraelitico ſeptem millia relicta erant immunium hominum ab hac impietate adorationis idolorum, qui per ſpeluncas erant occultati; quos ideo Deus ſibi reliquerat, quia noluerant Baal idolum Sidoniorum adorare; ſeptem autem millia uirorum dixit, non ut determinatum numerum, ſed potius, ut multitudinem incertam deſignaret.

SIC ERGO, ET IN HOC TEMPORE RELIQVIAE SECVNDVM ELECTIONEM GRATIAE FACTAE SVNT.

Cum igitur non omnes tempore Eliæ idolis inſeruiuerint, ſicuti fuerunt ſeptem illa millia uirorum, ſic etiam non omnes Iudæi tempore Apoſtolorum non crediderunt, & contradixerunt, ſed aliqui ex ipſis ſuſceperunt fidem Chriſti, & crediderunt in eum; & hos Apoſtolus reliquias uocat, quia iſti tantum ex tam numeroſa multitudine poſt fidem ſuorum patrum relicti ſunt ad iſtam fidem ſuſcipiendam. Ex his uerbis Apoſtolus uult innuere, quòd quemadmodum ante Chriſti aduentum propter idolatriam non omnes Iudæi perierunt, ſed aliqui illorum ſalui facti ſunt, ita etiam tempore Chriſti non omnes repulſi ſunt à ſalute, tanquam non credentes, & contradicentes, quia aliqui crediderunt, & non contradixerunt Chriſto, & ſalui facti ſunt; Quæ quidem ſalus eſt ſecundum electionem gratiæ, quia tales ex ſua ipſorum fide, & credulitate facti digni ſunt, ut eligerentur à Chriſto, & ſalutem conſequerentur; cùm electi dicantur ij, quos Deus propter eorum fidem, & credulitatem ſaluare propoſuit, ſicuti toties in
Luc.7. et.8 Euangelio legitur. quia fides tua te ſaluum facit. Dixit autem ſecundum electionem gratiæ, non ut arbitremur Deum hunc, uel illum, magis quàm alterum eligere, cum uelit omnes homines ſaluos fieri, & pro omnibus mortuus ſit Chriſtus; Sed dixit electionem gratiæ, ut oſtenderet modum, per quem ſaluamur; quia ſi ſic eſſet, ut hunc magis, quàm alterum eligeret, quem ſaluaret; & alterum magis, quàm alium repelleret, quem damnaret, dixiſſet utiq; ſic. Reliquiæ ſecundum electionem uoluntatis ſuæ, & non dixiſſet. Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ. Dixit autem electionem gratiæ propter Iudæos, quia illi credebant ſe ſupra omnes eſſe electos, ita, ut propter hanc electionem, & propter opera legis ſuæ à ſe ipſis ſeruatæ, ſe ſolos putarent poſſe ſaluari. Innuit ergo nobis per hæc uerba modum, per quem Deus nos elegit ad ſalutem conſequendam, qui quidem modus fuit per electionem gratiæ, & non per opera legis,

ra legis, quia ſi ſic, nos magis per iuſtitiam quàm per miſericordiam, & gratiam ſuam ſaluos eſſe uoluiſſet: nam ille pro omnibus moriendo gratia ſua nos ſaluat; unde qui talem ſalutem conſequuntur, merito electi dicuntur. Modus *autem electionis gratia eſt, quam per mortem* Ieſu Chriſti *conſecuti ſumus, & quæ omnibus credentibus in eum, communicatur.*

SI AVTEM GRATIA: IAM NON EX OPERIBVS. ALIOQVIN GRATIA IAM NON EST GRATIA.

S*i igitur, qui ſalui facti ſunt ex* Iudæis, *ſecundum gratiam talem ſalutem ſunt conſecuti:* Apparet *iam, quòd non ex merito operum legis, ſi qui ſaluantur, adipiſcantur ſalutem;* Ideo *dicit.* Si *hoc ex gratia eſt, nullo modo ex operibus legis poteſt eſſe: nam, quæ per gratiam conceduntur, gratis dantur ſine ullo premio, ac merito: quæ uero per operationes, ex mercede, & ex debito tribuuntur, ut ſupra latius demonſtrauit.* Vnde *infert, ſi gratia ex operibus concederetur, ſtatim amitteret naturam gratiæ, & mercedis conditionem reciperet, & non eſſet iam amplius gratia: & aduertendum eſt, quòd* Apoſtolus *propter hoc non intendit excludere opera noſtra ita, quòd poſt* Chriſti *aduentum neceſſaria non ſint; quia poſt communicatam nobis gratiam in baptiſmo maxime neceſſaria ſunt, & fructuoſa opera, ita quòd ſine ipſis nullam ſalutem conſequeremur.* Sed *excludit opera legis* Iudæorum, *qui putabant per illa, abſq;* Dei *gratia, ſe ſalutem conſequi poſſe, & ideo dicit.*

QVID ERGO? QVOD QVAEREBAT ISRAEL, HOC NON EST CONSECVTVS: ELECTIO AVTEM CONSECVTA EST.

C*um itaque ſalutem non ex operibus legis, ſed ex gratia* Dei *ſimus conſecuti, quid ergo dicetis* Iudæi, *qui in operibus legis ſpem omnem conſequendæ ſalutis collocauiſtis?* Dicimus *ergo nos, quia* Iſrael *confidebat in operibus legis ſe ſalutem conſecuturum, & non per gratiam* Chriſti, *quòd propter hoc eam ſalutem, quam quærebat, non eſt adeptus.* Electio *autem eorum, qui crediderunt in* Chriſtum, *ſalutem per fidem ipſius eſt conſecuta.* Electio *autem hic non ſignificat partem illam* Iudæorum, *quam plerique putauerunt* Deum *ab æterno prædeſtinauiſſe, atque elegiſſe; ſed magis explicare uidetur eam partem* Iudæorum, *quam in* Chriſtum *credituram præſciuerat, quos ideo electionem appellat, quia credentes*

in Chriſtum electi in ſcripturis ſolent appellari.

CAETERI VERO EXCAECATI SVNT, SICVT SCRIPTVM EST.

Sed alij, qui propter eorum infidelitatem non fuerunt electi à Deo, facti ſunt cæci: Quærebant enim in lege eorum poſſe iuſtitiam conſequi, cærimonias ſeruando, ſabbata, & neomenias cuſtodiendo, & non uiderunt Chriſtum in eorum lege promiſſum iam ueniſſe, per quem omnis ſalus eorum expectanda erat. Vnde merito cæci dicuntur, ideſt carentes uero lumine intellectus, & cognitionis: cuius cæcitatis Eſaiam, & Dauidem teſtes inducit, ne hæc, quæ dicebat, ſua ſolum uideatur dicere auctoritate, præcipue dum illos redarguit, atque accuſat, dicens.

DEDIT ILLIS DEVS SPIRITVM COMPVNCTIONIS: OCVLOS, VT NON VIDEANT, ET AVRES, VT NON AVDIANT, VSQVE IN HODIERNVM DIEM.

Eſai. 6. Eſaias enim dicit, quòd Deus dedit illis (de Iudæis loquendo) ſpiritum compunctionis, id eſt ſpiritum compungentem eorum mentem, extrahentemq; ab illis uerum lumen cognitionis; ueluti ſi quis acu compungeret alicuius oculum, exinde extraheret lumen oculi illius, ne amplius uidere poſſet, ita quoque hoc modo Deus dedit eis ſpiritum compungentem mentem, extrahentemq; ab ipſis lumen intellectus, ne uiderent Chriſtum in lege eorum promiſſum, & prophetatum: Et ideo, quamuis præ oculis legem continue haberent, in qua ueniſſe Chriſtum luce clarius cognoſcere potuiſſent, illum tamen non uiderunt, id eſt non intellexerunt: Quotidie enim Chriſtum ante oculos habebant in templo docentem, nihilominus dicebant. Neſcimus quid loquitur, & dæmonium habet: Audieruntq; etiam Chriſtum de ſe ipſo teſtimonium perhibentem, Apoſtoloſq; eius prædicantes; ſed aures ſuas neque Chriſto, neque eius Apoſtolis accommodare uoluerunt: Adiungit autem, quòd habent oculos, & aures, quibus neque uidere, neque audire poſſunt, uſque in hodiernum diem, ut tam præteritos, quàm præſentes Iudæos omnino inexcuſabiles reddat, eo quòd in Chriſtum credere noluerunt.

ET DAVID DICIT. FIAT MENSA EORVM CO

ram ipſis

RAM IPSIS IN LAQVEVM, ET IN CAPTIONEM, ET IN SCANDALVM, ET IN RETRIBVTIONEM ILLIS.

Non modo Eſaias de eis prædixit, uerumetiam prius de eorum incredulitate Dauid meminerat, dicens. Fiat menſa eorum, & cætera. Per menſam eorum legem, & ſacram ſcripturam intelligendo. Quemadmodum enim menſa, id eſt cibis illius corpus nutritur, ita etiam mens humana ſacra ſcriptura, & illius ſenſibus paſcitur, & alitur: Iſta ergo lex, & ſcriptura eorum facta eſt illis in laqueum; nam per illam ipſi ſeruitutem conſecuti ſunt, per quam libertatem conſequi debuiſſent: Quotidie enim quanto diutius legunt, tanto magis illaqueantur deterius eam intelligendo. ET IN CAPTIONEM: id eſt ut inuoluantur captiui in illius ſacræ ſcripturæ prauo intellectu. ET IN SCANDALVM: id eſt, ut iſta ſacra ſcriptura illis ambulantibus ad cognitionem ueritatis fiat offendiculum, ut ſupra de lapide dictum eſt. ET IN RETRIBVTIONEM ILLIS: ita ut omnia hæc ſupplicia, quæ ſupra diximus, ſint illis in iuſtam ſuorum ſcelerum, & infidelitatis ſuæ retributionem. Pſal. 68.

OBSCVRENTVR OCVLI EORVM, NE VIDEANT, ET DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA.

Vltra has pœnas, quas memorauit, imprecatur etiam propter eorum incredulitatem illis cæcitatem, & obſcuritatem oculorum, ut immerſi caligine ignorantiæ oculi eorum nuſquam ueram ueritatis lucem uideant, & ſemper per omnes regiones mundi in ſeruitutem diſpergantur, quod per tropum ſignificauit his uerbis: ET DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA.

DICO ERGO. NVNQVID SIC OFFENDERVNT, VT CADERENT? ABSIT. SED ILLORVM DELICTO, SALVS GENTIBVS, VT ILLOS AEMVLENTVR.

Si igitur cæci facti ſunt, & propter incredulitatem ambulantes in ſua lege offenderunt in lapidem offenſionis; dico ego igitur. Nunquid ſic offenderunt, ut caderent, quaſi dicat, ſic, ut ad ueram fidei cognitionem reſurgere, & reuerti

amplius non poſſent? Abſit enim, ut credam, eos ſic cecidiſſe, ut ſublatam illis eſſe facultatem reuertendi ad ueram Chriſti cognitionem putem: ſed quanquam hoc non credam, dico tamen, quòd propter eorum incredulitatem, & delictum ſalus Gentibus parta eſt, eo quòd illi non credentes in Chriſtum eum crucifixerunt, per cuius mortem liberati ſumus à ſeruitute peccati, & gratiam Dei ſumus conſecuti, quam aliter adipiſci non poteramus; Et quemadmodum delictum Iudæorum fuit in cauſa, ut Gentes ſaluarentur, ita quoque ſalus Gentium in cauſa fuit, ut aliqui ex Iudæis æmularentur ipſas Gentes ad Chriſti fidem conuerſas, ita ut hac æmulatione excitati & ipſi ad eandem fidem conuertantur. Sed aduertendum eſt, quòd non omnes offenderunt ſic, ut uniuerſi caderent; Solum enim ij, qui detraxerunt miraculis Chriſti, dæmoniq; eius opera attribuerunt, ſic prolapſi ſunt, ut ad fidem Chriſti conuerti non poſſint; ut fuerunt Phariſæi illi, qui miracula Chriſti Principi dæmoniorum adſcribebant: Sed illi, qui in Chriſtum tantum credere nolunt, offendunt quidem, ſed non cadunt, quia poſſunt animum ſuum ab incredulitate illa reflectere ad fidem Chriſti.

QVÒD SI DELICTVM ILLORVM DIVITIAE SVNT MVNDI, ET DIMINVTIO EORVM DIVITIAE GENTIVM, QVANTO MAGIS PLENITVDO EORVM?

Quòd ſi delictum ipſorum propter hoc, quòd Chriſtum crucifixerunt, diuitias mundo contulit, unde gratia, & miſericordia Dei credentibus in Chriſtum condonata fuit: & ſi etiam diminutio eorum, id eſt ſi illi, qui ex tanto numero Iudæorum fuerunt diminuti, ut fuerunt Apoſtoli, & pauci alij qui crediderunt in Chriſtum, repleuerunt Gentes tot opibus, ſcilicet cognitionis Chriſti, eum annunciando; quanto magis eorum plenitudo mundum ditabit, & diuites faciet Gentes ſua prædicatione, ſi omnis multitudo Iudæorum non credentium in Chriſto fidem deinde illius ſuſceperit?

VOBIS ENIM DICO GENTIBVS. QVANDIV QVIDEM EGO SVM GENTIVM APOSTOLVS, MINISTERIVM MEVM HONORIFICABO, SI QVO MODO AD AEMVLANDVM PROVOCEM CARNEM MEAM, ET SALVOS FACIAM ALIQVOS EX ILLIS.

Si aliqui

S i aliqui Iudæorum Chriſtum prædicando ditauerunt Gentes, multo magis eaſdem ditaret plenitudo eorum, ſi ea plenitudo ad Chriſtum conuerteretur. Propterea hoc uobis Gentilibus dico, quandoquidem ego ſim ueſter Apoſtolus, quòd miniſterium, & officium mei apoſtolatus tunc maxime me putabo illuſtraturum cum aliquo modo potero prouocare carnem meam, id eſt Iudæos, ex quorum ſanguine natus ſum, ad æmulationem meam; ut quemadmodum ego Chriſtum prædico, ita quoque cæteri Iudæi æmulatione hac mea incenſi eundem prædicare contendant, atque ita ex hac imitatione illi etiam inducantur ad Chriſti fidem ſuſcipiendam, per quam ſalutem conſequantur.

SI ENIM AMISSIO EORVM RECONCILIATIO EST MVNDI, QVAE ASSVMPTIO, NISI VITA EX MORTVIS?

M axime quidem honeſtabo officium meum, ſi aliquos eorum æmulatione mea prouocauero, ut ſuſcepta fide Chriſti ſalutem conſequantur, quia ſi amiſſio eorum fuit in cauſa, ut mundus reconciliaretur Deo (per mundum autem uniuerſam multitudinem hominum intelligens) quænam erit deinde illorum Iudæorum aſſumptio ad Chriſtum, id eſt cum aſſumentur ad fidem Chriſti ſuſcipiendam, qualis nempe erit iſtorum Iudæorum conditio? qualis ſtatus? non alius profectò, quàm eorum, qui ex mortuis ad uitam reuocantur: Vtique erit tantæ utilitatis aſſumptio eorum ad fidem, quantæ ſolet eſſe reſurrectio his, qui ex mortuis reſurgunt ad uitam: mortui enim ſunt in infidelitate ſua: ubi uero in Chriſtum crediderint, reſurgent ex damnatione ad ſalutem, tanquam ex mortuis ad uitam.

QVÒD SI DELIBATIO SANCTA EST, ET MASSA; ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI.

N ec hoc quidem, quod diximus, eſt impoſſibile, quia ſi delibatio, id eſt ſi aliqui ex ipſis (libare enim eſt aliquid paululum ore attingere) ſalui facti ſunt, ſicut fuerunt Apoſtoli, & cæteri ad fidem conuerſi, cur prohibeatur maſſa, id eſt multitudo Iudæorum ſanctificari, & mundari à ſua incredulitate? Hic locus multum ſanè obſcurus eſt propter multiplicitatem literæ; nam noſtra dicit, ut expoſuimus; alia uero litera dicit. Quòd ſi primitiæ ſanctæ, & conſperſio ſancta eſt: Quam quidem literam minus probamus, propterea quòd tertia litera ſanior eſſe uideatur, quæ dicit. Quòd ſi fermentum ſanctum eſt, con-

ſperſio ſancta eſt: Conſperſio autem correſpondet fermento, ut Apoſtolus dixit
1. Cor. 5. ad Corinth. Expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azimi, hoc eſt infermentati: Sicuti ex fermento fit conſperſio, ita ex ſancto fermento poterit fieri ſancta conſperſio; Propterea ſi Apoſtoli, qui ex Iudæis fuerunt, propter hoc, quòd crediderunt in Chriſtum, ſancti fuerunt, ita & poſteriores Iudæi ſancti etiam erunt, ſi in Chriſtum crediderint, & cum per metaphoram delibationis, & maſſæ; fermenti, & conſperſionis probauerit non eſſe impoſſibile Iudæos ſaluar, immo oſtenderit illos habere aptitudinem naturalem, ut ſaluentur; nunc idem oſtendit per aliam metaphoram radicis, & rami, & inquit. Si radix Iudæorum ſancta eſt, id eſt ſi Abraham, qui pater eorum dictus eſt, cæteriq; Patriarchæ, ex quibus tanquam ex radicibus tota gens Iudæorum pullulauit, ſancti, & mundi ſunt; quomodo rami, id eſt Iudæi ex hac radice nati prohibebuntur ab iſta ſanctificatione, & mundatione?

QVÒD SI ALIQVI EX RAMIS FRACTI SVNT. TV AVTEM, CVM OLEASTER ESSES, INSERTVS ES IN ILLIS; ET SOCIVS RADICIS, ET PINGVEDINIS OLIVAE FACTVS ES, NOLI GLORIARI ADVERSVS RAMOS.

Proſequitur metaphoram radicis, & rami, in qua admonet Gentes conuerſas, ne contemnant Iudæos, quanquam defecerint à fide patrum ſuorum, dicens. Quamuis aliqui ex ramis, id eſt ex Iudæis fracti ſint, id eſt à fide patrum ſuorum deſciuerint, & tu Gentilis, cum oleaſter eſſes, id eſt arbor perſimilis oliuæ ſiluestri infœcundæ, & ſterili, quia quamuis humanam naturam haberes, ingenioq; excelleres humano, nullam tamen Dei ueram cognitionem attigeras: Quamuis (gratia tamen, & miſericordia Dei) inſertus, id eſt coniunctus es in illis ramis, ſcilicet qui permanſerunt in radice ſancta, ſicuti fuerunt Apoſtoli, & cæteri Hebræorum, qui in Chriſtum crediderunt: Quamuis (inquam) effectus es ſocius radicis, id eſt particeps fidei, quia ſcilicet imitatus es fidem Prophetarum, & tu ſterilis oleaſter ſic inſertus adeptus es pinguedinem oliuæ, id eſt fructum tuæ fidei, & credulitatis, quæ eſt uita æterna: Noli propter hoc ò Oleaſter gloriari contra ramos fractos, id eſt noli ò Gentilis tumide, atque inflate inſurgere contra Iudæos, qui à fide patrum ſuorum deſciuerunt.

QVÒD SI GLORIARIS, NON TV RADICEM PORTAS, SED RADIX TE.

Si igitur

S i igitur gloriari uolueris contra ipſos Iudæos fractos ab arbore, & radice ſancta, profecto inanis erit gloriatio tua, cum ipſi pullulauerint ab ea radice, quæ te ſuſtentat. Quanquam igitur ab ipſa radice illi euulſi ſunt, non ſunt tamen contemnendi propter dignitatem radicis: Quòd ſi non aliam ob cauſam hoc facere debes, ea tamen cauſa te mouere debet, ut eos non contemnas, quoniam illi ſunt radix tua, ex qua tu pullulaſti; Radix autem portat te, non tu illam, hoc eſt tu per illos ſtas in fide, non autem illi ſtant propter te.

DICIS ERGO. FRACTI SVNT RAMI, VT EGO INSERAR. BENE, PROPTER INCREDVLITATEM FRACTI SVNT. TV AVTEM FIDE STAS. NOLI ALTVM SAPERE, SED TIME.

O ſtenſo, quòd non habeant Gentiles gloriari aduerſus Iudæos, propter hoc, quòd Iudæi ſint producti à radice ſancta, quanquam propria obduratione deinde euulſi ab ipſa radice fuerint. Nunc demonſtrat, quòd neque gloriari poſſint, ex hoc, quòd Iudæi ſint ueluti rami fracti ab arbore ſancta, & ipſi in eorum loco ſint in eadem arbore inſerti dicens. Inquies fortaſſe Gentilis. Non glorior aduerſus radicem, ſed contra ramos; nam ob hoc illi fracti ſunt, ut ego in eorum loco inſerar. Quibus reſpondet Apoſtolus. Equidem confiteor fractos ramos eſſe, ſed non ſunt illi ideo fracti, ut uos insereremini, ſed fracti ſunt propter incredulitatem ſuam. Non igitur gloriemini ò Gentiles, neque contra radicem, neque etiam contra fractos ramos, quia Iudæi, qui crediderunt, per fidem erant coniuncti ueluti rami naturales radici naturali: Vos autem Gentiles per fidem eſtis inſerti huic arbori, non ſecundum naturam, ſed ſecundum fidem; quia Abraham patrem habetis non ſecundum carnem, ſed ſecundum eius fidem, quia in Chriſtum credidiſtis; & ideo uos Gentiles ſtatis fide in hac arbore inſerti, non natura, neque cognatione. Vnde propter hoc nolite altum ſapere, id eſt nolite ſuperbe, & inflate gloriari aduerſus Iudæos, tanquam aduerſus ramos fractos: nam timendum uobis potius eſt, quàm incredulis Iudæis inſultandum. Rationem autem, cur timere debeant, ſtatim annectit, dicens.

SI ENIM DEVS NATVRALIBVS RAMIS NON PEPERCIT, NE FORTE NEC TIBI PARCAT.

S i itaque ò Gentiles Iudæis ijs, qui ex tot fidelibus patribus nati ſunt, à quibus ueluti per hæreditatem fides emanauit, Deus non pepercit propter eorum incre=

dulitatem, quanto magis tibi timendum eſt, qui inductitius ſis, & arbor inculta, atque ſyluestris, ſi peccaueris, ne tibi Deus non ignoſcat.

VIDE ERGO BONITATEM, ET SEVERITATEM DEI: IN EOS QVIDEM, QVI CECIDERVNT, SEVERITATEM: IN TE AVTEM BONITATEM DEI, SI PERMANSERIS IN BONITATE, ALIOQVIN ET TV EXCIDERIS.

I*n utriſque igitur tam Gentilibus, quàm Iudæis ex his, quæ ante diximus, poſſumus conſpicere Dei bonitatem, & ſeueritatem; nam ille in Iudæis, quaſi in fractis ramis, & à radice ſancta diuulſis oſtendit ſuam ſeueritatem: quia illi neque ueri Iſraelitæ amplius dici poſſunt, neque filij adoptiui Dei ſunt, nullumq́; dominium ſunt amplius habituri, neque teſtamenta, & promiſſa Dei ſunt conſecuturi: In te uero ò Gentilis Deus oſtendit ſuam bonitatem, quia te uerum Iſraelitam, & hæredem ſuum fecit, teq́; in filium ſuum adoptauit, tibiq́; teſtamenta, & promiſſa ſua, quæ olim Iudæis pollicitus fuit, ſeruare uoluit, ſi tu tamen in hac fidei bonitate permanſeris, & in eadem fixus perſtiteris, credendo, quòd omnia hæc à clementia Dei tibi prouenerint; alioquin, niſi in hac credulitate permanſeris, tu quoque ab hac ſancta radice, & arbore euelleris. Nulla igitur cauſa gloriationis tibi ò Gentilis, ubi tam ſeuera Dei iuſtitia punit incredulos, & ubi tam magna Dei miſericordia credentes in Chriſtum tam amplis accumulat beneficijs: Quòd ſi in hac bonitate credulitatis permanere nolueris, idem tibi continget caſus, qui contigit Hebræis, ut quemadmodum illi euulſi ſunt ab arbore ſancta, ita etiam tu non modo euellaris, ſed etiam excidaris, & tanquam palmes à uera uite diuulſus in ignem mittaris.*

SED ET ILLI, SI NON PERMANSERINT IN INCREDVLITATE, INSERENTVR. POTENS EST ENIM DEVS ITERVM INSERERE ILLOS.

V*ere non debetis uos Gentiles Iudæis inſultare propter hoc, quòd illi ueluti fracti rami eſſe uideãtur; quia etſi Iudæi propter eorum incredulitatem fracti ſunt ab ipſa radice, habent tamen poſſibilitatem, ut iterum poſſint eidem inſeri, ſi obſtinati in ſua incredulitate non fuerint. Incredulitas enim illorum facit illos ab arbore ſua eſſe auulſos, non natura; & quia propter eorum delictum, & incredulitatem hoc utique Gentibus uideri poſſet impoſſibile, propterea aſſumit rationem*

tionem fortiſſimam ad oſtendendum poſſibilitatem inſertionis ex ipſa potentia Dei, & dicit, quòd Deus tantæ potentiæ eſt, ut hos ramos auulſos poſſit iterum priori arbori inſerere, ſi tamen ipſi ad fidem Chriſti conuerti non repugnauerint.

NAM ET SI TV EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATVRAM INSERTVS ES IN BONAM OLIVAM, QVANTO MAGIS II, QVI SECVNDVM NATVRAM INSERENTVR SVAE OLIVAE?

Poterit quidem Deus eos denuo inſerere ſuæ oliuæ, & ſiſtendo in priori metaphora, dicit. Deus poteſt utique facilius proprios ramos ſuæ arbori inſerere, quàm alienos: ſed Deus te Gentilis exciſum, atque euulſum ex naturali tuo oleaſtro contra naturam inſeruit in fertilem, & fœcundam oliuam; quia inſertus, & unitus es fidei Apoſtolorum, cum prius uiueres ſine cultu, & cognitione Dei: multo igitur facilius ramos, quanquam euulſos ab arbore propria, Deus poterit eidem arbori ſecundum naturam denuo inſerere; & ſic Iudæos quanquam ſeparatos à fide multo facilius, quàm te fidei patrum ſuorum, & Chriſto, qui radix, & arbor eſt ſanctorum omnium, & ſecundum carnem ab illis originem ſumpſit, iterum poterit coniungere, atque inſerere. Sed diceret aliquis in hac metaphora abſurdum uideri poſſe, quod ab Apoſtolo dictum eſt: Quòd ſcilicet oleaſter inſertus oliuæ pertrahatur ad naturam oliuæ, cum magis experimento uideamus in inſertionibus arborem eos fructus gignere, quos ramus inſertus gignere ſolet: unde inſertus oleaſter non oliuæ, ſed proprium fructum producere deberet. Cui dubitationi dicimus, hoc utique eſſe uerum ſecundum naturam; ſed quòd ramus inſertus non ſuum, ſed radicis quidem fructum pariat; hoc quidem contra naturam eſt, & propterea Apoſtolus dixit. Quòd ſi Gentiles inſerti radici Prophetarum fructus radicis pepererint, hoc non ex natura eorum eſt, ſed contra naturam; Propter hoc uult Apoſtolus oſtendere, quòd tota fides Gentium gratiæ & miſericordiæ Dei, & non naturæ illarum ſit adſcribenda.

NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES MISTERIVM HOC, VT NON SITIS VOBIS IPSIS SAPIENTES, QVIA CAECITAS EX PARTE CONTIGIT IN ISRAEL, DONEC PLENI-

TVDO GENTIVM INTRARET: ET SIC OMNIS ISRAEL SALVVS FIERET, SICVTI SCRIPTVM EST.

Quia ſupra Apoſtolus tot metaphoris explicauerat ſtatum, & ruinam Iudæorum; nunc uero ſine metaphoris explicite omnia ſupradicta manifeſtat, dicens. Nolo uos ò Gentiles, quos ego fratres propter unitatem fidei appello, neſcire hoc miſterium, & nolo uos omnia hæc occulta habere, quæ ſupra tot inuolucris declarauimus, ut non ſitis apud uoſmet ipſos nimium elati, ueſtro confidentes iudicio, & ſapientiæ ueſtræ, tanquam uos ſolos, repudiatis Iudæis, ſaluos eſſe arbitremini, propter hoc, quòd illi tanquam rami fracti ſint, & à ſancta illa radice diuulſi, & tanquam cæci oberrent, ita, ut lumen ueritatis uidere non poſſint: Nolite quidem hoc iudicare; quoniam non omnes Iudæi euulſi ſunt ab arbore illa ſancta; neque omnes cæci facti ſunt: Cæcitas enim hæc & obſcuratio non omnibus Iudæis, neque perpetuo tempore, ſed tantum aliquibus eorum, & ad definitum tempus contigit: Quia non omnes conſpirauerunt in necem ſeruatoris noſtri: plurimi enim eorum ante, & poſt paſſionem ipſius crediderunt in illum; & quòd neque perpetuo tempore contigerit, declarat dicens. Hæc cæcitas tandiu perdurare debebat in ipſis Iudæis, quandiu plenitudo Gentium, hoc eſt collectio ex omnibus gentibus ſuſceptura eſſet fidem Chriſti, & intratura in ſocietatem credentium Iudæorum; & tunc ubi hæc plenitudo ex omnibus gentibus, & nationibus collecta in Chriſtũ credidiſſet (quod factum fuit poſt mortem Chriſti, & per prædicationes Apoſtolorum) cæcitas hæc in Iudæis ceſſare debebat. Nam Iudæi poſt mortem Chriſti uidere poſſunt, quemadmodum etiam aliqui illorum uiderunt, omnes prophetias, quæ de futuro Miſſia prædicabant, completas fuiſſe in Chriſto. Viderunt etiam magnitudinem miraculorum, & maximam orbis partem credentem in Chriſtum; Quare cæcitas eorum ceſſauit, & obduratio eorum cæcitati ſucceſſit, & hoc modo factum eſt, ut omnis Iſrael ſaluus fieret, hoc eſt, ut omnis Gentilis, & Iudæus in Chriſtum credens ſalutem ſit conſecutus, accipiendo hoc in loco Iſraelem, pro etymologia nominis, non pro perſona, ſicuti etiam ſupra dixit. Quòd non omnes, qui ſunt ex Iſrael, Iſraelitæ ſunt. Nec propter hoc, quòd dixit: DONEC: intelligendum eſt (ut aliqui putauerunt) quòd quando ex omnibus gentibus homines intrauerint ad fidem Chriſti, tunc Iudæi omnes carituri ſint cæcitate, ita, ut omnes ſalui fiant. Hoc enim nequaquam intelligere uidetur Apoſtolus, tum quia ſicuti plenitudo gentium, quæ ingreſſura eſt ad fidem Chriſti, non ſignificat prorſus gentes omnes ſaluandas eſſe: ita neque etiam OMNIS ISRAEL debet ſignificare omnes

re omnes Iudæos ex Iſraele ſecundum carnem natos ſaluandos eſſe, ſed eos tantum, qui ex Iudæis, & Gentilibus ſunt hæredes Dei, ſicuti pauloante declarauimus: tum etiam, quia nulla auctoritate ſcripturæ hoc demonſtrari poteſt; quinimmo comprobatio Apoſtoli, quam adducet ex teſtimonio Eſaiæ huic opinioni contradicere uidetur, & ideo uerbum illud: donec: uel in ut transferendum eſt, ut ſenſus ſit, quòd ideo cæcitas contigit in parte Iſrael, ut Gentium plenitudo intraret ad fidem Chriſti, & hoc modo omnis hæres Dei ſaluus fiat; uel ſi perſiſtendum ſit in litera, illud: donec: quouſq; ſignificare uidetur, ut ſenſus ſit, quòd cæcitas hæc perduratura ſit in Iudæis, uſque quo ex omnibus gentibus, & nationibus confluxerint ad fidem Chriſti: Non tamen intelligendum eſt, quòd poſtquam confluxerint homines ex omnibus gentibus, & nationibus, omnes deinde Iudæi ſint ſalutem conſecuturi; quia fieri poteſt, ut homines ex omnibus gentibus, & nationibus ſuſcipiant fidem Chriſti, & poſtquam ſuſceperint, non omnes Iudæi ſaluentur: Quo quidem modo loquendi uſus eſt Euangeliſta, ubi de beata Virgine dixit, quòd non cognouit eam Ioſeph, donec pareret Filium ſuum primogenitum: Cuius quidem ſenſus eſt, quòd non cognouit eam, uſq; ad partum, ut Filium eius uirginitate permanente natum aſſereret, non ut eam poſt partum cognitam fuiſſe declararet. Math. 1.

VENIET EX SYON, QVI ERIPIAT, ET AVERTAT IMPIETATEM A IACOB; ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTVM, CVM ABSTVLERO PECCATA EORVM.

D ixerat omnem Iſraelem ſaluandum fore, ſecutus etymologiam nominis, nunc oſtendit ex uaticinio Eſaiæ qualis futurus ſit ille, qui debeat ſaluare omnem Iſraelem, & quando hoc ſit perfecturus, & dicit. Quòd ex Syon, quæ eſt ciuitas Dauid regis, ueniet redemptor Chriſtus ſecundum carnem, qui eripiet, & abſtrahet, & omnino auertet à Iacob, id eſt à populo Iudaico, qui alibi mutato nomine Iſrael dictus eſt. Auertet (inquam) impietatem, infidelitatem ſcilicet, & peccata à Iacob, quod ſignificat à ſupplantatore, id eſt à populo ſupplantatore, quando populus fiet Iſraelita, id eſt hæres Dei. Iſrael enim hæres Dei interpretatur, & hoc teſtamentum, id eſt firma, & immobilis promiſſio mea (dicit Deus) perficietur illis, & complebitur, cum peccata eorum abſtulero, quod utiq; fuit tempore gratiæ. Tunc enim per mortem Chriſti deleta fuerunt peccata omnium in illum credentium. Et aduertendum eſt, quòd hoc in loco Paulus utitur litera ſeptuaginta interpretum: Illa autem ultima uerba, ſcilicet A E- Eſai. 59.

Mich. 7. STVLERO PECCATA EORVM: ſunt ſuſcepta à Michæa, ubi legitur. Deponet omnes iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Teſtus autem hic ſecundum hebraicam ueritatem pluri- mum quidem fauet opinioni, quam pauloante retulimus, quòd non omnes Iu- dæi aliquando ſaluandi ſint. Dicit enim quòd timebunt, qui ab occidente, no- men Domini; & qui ab ortu ſolis gloriam eius; cum uenerit, quaſi fluuius uiolentus, quem ſpiritus Domini cogit; & ueniet Syon redemptor eorum, qui redeunt ab iniquitate in Iacob (dicit Dominus). Hoc fœdus meum cum eis (di-
Eſai. 59. cit Dominus) ex quibus uerbis manifeſte colligi poteſt, non omnes quidem Iu- dæos ſaluos aliquando fore, ſed eos tantum, qui ſuis iniquitatibus dimiſſis re- uerti uoluerint ad Chriſtum.

SECVNDVM EVANGELIVM QVIDEM, INIMICI PROPTER VOS: SECVNDVM ELECTIONEM AVTEM, CHARISSIMI PROPTER PATRES.

Quia potuiſſet uideri difficile Gentilibus, quòd Deus auferre haberet etiam peccata Iudæorum, cum eſſent inimici Dei; ideo Apoſtolus uolens huic dubitationi ſatiſ- facere, dicit. Si uos Gentiles conſideraueritis Iudæos ſecundum illam enunciatio- nem, quam de Chriſto audiuiſtis, utique ipſi ſunt inimici Dei, & quidem pro- pter uos, id eſt propter ueſtram ſalutem: quia non credentes in Chriſtum il- lum cruci affixerunt, propter quod facti ſunt Deo inimici; quæ quidem inimi citia propter uos, id eſt ad ueſtram ſalutem ordinata fuit; nam niſi illi eum crucifixiſſent, uos non fuiſſetis miſericordiam Dei conſecuti: ergo illorum deli- cto ſalus Gentibus (ut ſupra dixit) & ſecundum hanc conditionem ſi conſi- derentur Hebræi, utique cum ſint inimici Dei, inopinabile admodum, & dif- ficile factu uidetur, ut eorum peccata auferantur; Si uero conſiderentur ſe- cundum quòd ſunt ex electo populo, & ex ſanctis patribus nati, utique Deo dilecti ſunt, & propterea ſi crediderint, facile eſt credere Deum illis eorum peccata dimiſſurum.

SINE POENITENTIA ENIM SVNT DONA, ET VOCATIO DEI.

Et quia potuiſſet adhuc Gentilibus admodum durum uideri, quòd propter patres eorum Iudæi poſſent eſſe dilecti Deo, qui à fide ſuorum patrum maxime defe- ciſſent; propterea Apoſtolus etiam huic dubitationi reſpondens, dicit, quòd quan-

quam

quam illi defecerint à fide patrum ſuorum, Deus tamen non uult deficere à promiſſionibus, quas illis fecit; quia dona, & uocationes Dei promiſſæ ſanctis patribus Iudæorum ſunt tales, ut eorum nunquam pœniteat Deum; ſicuti ſupra dictum eſt, quòd incredulitas illorum fidem Dei non euacuauit.

SICVT ENIM ALIQVANDO ET VOS NON CREDIDISTIS DEO: NVNC AVTEM MISERICORDIAM CONSECVTI ESTIS PROPTER INCREDVLITATEM ILLORVM: ITA ET ISTI NVNC NON CREDIDERVNT IN VESTRAM MISERICORDIAM, VT ET IPSI MISERICORDIAM CONSEQVANTVR.

Certe Deus dimiſſurus eſt peccata Iudæis, ſi reuerſi fuerint ab iniquitatibus ſuis, & crediderint in Chriſtum, quia ita futurum eſt de ſalute eorum, ut de ſalute ueſtra factum eſſe conſpexiſtis: Sicuti enim aliquando uos Gentiles non credidiſtis Deo, quando muta idola colebatis, & nunc, id eſt poſt Chriſti mortem conſecuti eſtis miſericordiam propter eorum incredulitatem; quia Iudæi non credentes in Chriſtum, illum crucifixerunt; unde uos Dei miſericordiam conſecuti eſtis: Sic etiam & Iudæi per eandemmet cauſam, hoc eſt per eandem incredulitatem ſuam ſalutem ſunt conſecuturi. Illi enim non credentes in Chriſtum, qui eſt ueſtra miſericordia, eum crucifixerunt, cuius quidem morte, ſi in illum crediderint, ſicuti & uos credidiſtis, ſalutē et ipſi cōſequētur. Vna enim, eadē'q; ratio fuit Gentili & Iudæo de ſalute conſequenda. Incredulitas enim Iudæorum illorum, qui Chriſtum Crucifixerunt, fuit in cauſa, ut tam Gentilis, quàm Iudæus poſtea ſaluaretur: cōmunis uero cauſa principalis fuit utriuſq; fides: ambo enim per fidem Chriſti miſericordiam conſecuti ſunt. Quare nec uos Gentiles per ueſtra bona opera gloriari poteſtis, uos fuiſſe ſalutem conſecutos, ſed per miſericordiam Dei tantum: neque etiam uos Iudæi gloriari debetis per opera legis ueſtræ, eandem uos ſalutem fuiſſe adeptos, ſed pariter per miſericordiam Dei tantum: ſicuti enim fuiſtis pares in incredulitate, ita etiam pares inuenti eſtis in conſecutione miſericordiæ.

CONCLVSIT ENIM DEVS OMNIA IN INCREDVLITATE, VT OMNIVM MISEREATVR.

Cum demonſtrauiſſet utrunq; populum tum Gentilium, tum Iudæorum in incre-

dulitatem lapſum fuiſſe, nunc reddit cauſam, quare hoc utriq; populo contigerit, & dicit, quòd cum Gentiles Deum cognouiſſent per ea, quæ facta ſunt, & intellecta, non tamen eum, ut Deum, uoluerunt glorificare, ſed diuinum cultum uarijs ſimulacris exhibuerunt: Iudæi quoque cum per legem ſuam ueram Dei cognitionem habuiſſent, nihilominus & ipſi idolis ſacrificauerunt, & in tantam poſtremo infidelitatem deuenerunt, ut redemptorem Chriſtum in eorum lege promiſſum crucifixerint. Quare Deus propter hanc utriuſque populi infidelitatem, & impietatem, utrunque etiam eorum concluſit, id eſt pariter detinuit in illa eorum incredulitate, & impietate, ut utrique eodem modo, cum conuerſi fuiſſent ad ueram fidem, ſuamq; impietatem reliquiſſent, miſericordia ſua à carcere illo infidelitatis, in quo concluſi erant, liberarentur: & hoc quidem factum eſt, ut omnibus tum Iudæis, tum Gentilibus Deus miſericordiam ſuam impartiret: & ſic Apoſtolus, ut in meritis, ita & in premio utroſq; pares facit; cum prius utrique increduli eſſent, nec ulla ſua propria uirtute, ſed ſola Dei miſericordia ambo ſalutem ſint conſecuti.

O' ALTITVDO DIVITIARVM SAPIENTIAE, ET SCIENTIAE DEI, QVÀM INCOMPREHENSIBILIA SVNT IVDICIA EIVS, ET INVESTIGABILES VIAE EIVS.

Cum itaque Deus utrunq; populum, tam Iudæum, quàm Gentilem quaſi in carcere quodam infidelitatis concluſiſſet, ut deinde utriuſq; eorum miſereretur, cum de hac obſcuriſſima quæſtione, nullam ſatis idoneam cauſam Apoſtolus referre poſſe uideret, excitatus, & in admirationem conuerſus dicit. O' ALTITVDO DIVITIARVM SAPIENTIAE, ET SCIENTIAE DEI: ac ſi diceret. Cur intellectus humanus quærit ea, quæ nequit unquam ſua cogitatione comprehendere, & ſuo iudicio perſcrutari? Hæc quidem omnia (quòd utrunq; populum Deus in infidelitate concluſerit, ut deinde omnium miſereretur) ſunt ſecreta Dei, quæ neque ratione, neque coniectura aliqua noſtra aſſequi ualemus; ſed omnia referenda ſunt ad profundiſſimum illud pelagus diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, qua cœleſtia & ſuperiora moderatur, & inferiora omnia regit, & gubernat: Incomprehenſibilia quidem ſunt iudicia eius, quia decreta Dei nulla humana ratione perueſtigari poſſunt: Quis enim hoc Dei iudicium, & decretum comprehendere poſſit, ut homines, quos Deus in incredulitate concluſerat, ſaluare dijudicarit, nam ille incredulos magis damnare, quàm ſaluare debuiſſet? Et quàm etiam ſunt in inueſtigabiles uiæ

ipſius

ipſius. Quis etiam unquam cogitare poſſet, ut uia hac incredulitatis uſus eſſet Deus ad oſtendendam miſericordiam ſuam, cum credulitatis uia magis idonea uiſa fuiſſet, quàm incredulitatis, ut Deus ſalutem hominibus condonaret? Itaq; cum omnes tam Iudæi, quàm Gentiles in incredulitate ſua concluſi fuiſſent, omnium tamen eorum ſemper Deus uoluit miſereri, qui ad ſe per fidem toto corde conuerti uoluiſſent, cum ille Gentili nullam penitus de ſe cognitionem habenti fidem ſuam communicauerit, & Iudæo tam contumaci lumen ueritatis ſuæ oſtenderit, & utriq; miſericordiam ſuam tam abunde condonauerit.

QVIS ENIM COGNOVIT SENSVM DOMINI? AVT QVIS CONSILIARIVS EIVS FVIT?

V tique Dei iudicia ab intellectu humano comprehendi non poſſunt, quia quis unquam potuit cognoſcere ſenſum Dei, hoc eſt, quid Deus ſentiat, & decernat? Ille enim iudicium alicuius comprehendere poteſt, qui ſenſum illius, qui iudicare debet, cognoſcit. Quare cum nemo hominum unquam fuerit, qui, quod ſentiat Dominus, ratione humana cognoſcere potuerit, nemo etiam poteſt iudicium Domini humana ratione comprehendere. Quòd ſi aliquis poſſet, is quidem maxime poſſet, qui Dei conſultor eſſet, quia conſultores ea omnia cognoſcere ſolent, quæ iudicari debent. Sed cum Deus propter ſuam infinitam ſapientiam nullo conſultore egeat, icirco nemo hominum eius iudicia cognoſcere poteſt.

AVT QVIS PRIOR DEDIT ILLI, ET RETRIBVETVR EI?

V t enim iudicia Dei ab homine comprehendi nequeunt, ita etiam uiæ illius, quibus incredulis miſericordiam ſuam impartitur, nulla perueſtigatione humana cognoſci poſſunt. Non enim Deus ob eam cauſam aliquem beneficio afficit, quia ille prius ipſi Deo aliquid donauerit. Omne enim datum optimum, & omne 1. Iac. 1.
donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Quapropter quicquid nos boni aſſecuti eſſe uidemur, id totum diuinæ gratiæ, & non aliquibus noſtris meritis referamus.

QVONIAM EX IPSO, ET PER IPSVM, ET IN IPSO SVNT OMNIA; IPSI GLORIA IN SAECVLA SAECVLORVM. AMEN.

Quia dixerat omnia bona nobis communicata referenda eſſe in Deum; & illius miſericordiæ attribuenda, nunc huius rei rationem aſſignat, ueluti diceret. Vere nemo prior dedit Deo, ut ipſe illi retribuat, quoniam ex ipſo ſcilicet Deo, tanquam ex omnium cauſa formali, in quo omnia reſplendent; & per ipſum Deū, ueluti per cauſam omnium effectricem; & in ipſo, tanquam in cauſa finali, ad quem omnia referantur, cuncta nobis bona proueniunt. Ipſi itaque ſoli de omnibus bonis, nobis communicatis per miſericordiam, & gratiam ſuam, debetur gloria, & honor, quia nulla alia in re magis reſplendet gloria Dei in nobis, quàm in hac tam affluenti miſericordia, & gratia ſua, propter quod ſine fine, per omnium temporum interualla, uere à nobis ſemper eſt laudandus.

CAPVT DVODECIMVM.

OBSECRO ITAQVE VOS FRATRES PER MISERICORDIAM DEI, VT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA HOSTIAM VIVENTEM, SANCTAM, DEO PLACENTEM, RATIONABILE OBSEQVIVM VESTRVM.

Cum hucuſque Apoſtolus in hac epiſtola multis argumentis, & rationibus, atque auctoritatibus demonſtrauerit Iudæos & Gentiles pares fuiſſe in incredulitate, & pares etiam eſſe in conſecutione miſericordiæ, & inde inter eos diſcordes pacem poſuerit, & conſtituerit; nunc utroſque ad ueram uiuendi rationem ſuſcipiendam exhortatur, dicens. Per ea, quæ à me uobis ſatis lucide demonſtrata ſunt ſuperius, obſecro, & precor uos ò fratres (Iudæos & Gentiles alloquens) non enim per me ipſum, ſed per miſericordiam Dei, per quam nos omnes ſaluamur, ut ueteribus repulſis hoſtijs, quas uos Gentiles idolis ueſtris mactabatis; & uos etiam Iudæi repudiatis ueſtris uictimis, quas olim dum in lege ueſtra teneremini pro expiatione peccatorum ueſtrorum immolabatis, corpora nunc ueſtra, non ut illam antiquam hoſtiam, quæ in ſacrificio moriebatur, ſed ut hoſtiam uiuentem præſtetis, & exhibeatis Deo; quia per talem hoſtiam uiuentem conformamur ſtatui gratiæ, in quo mortui peccato à morte illa peccati reſurreximus. Olim enim offerebatur hoſtia mortua Deo, quæ homines propter peccatum morti eſſe ſubiectos oſtendebat: nunc autem, quia per mortem Chriſti à morte illa peccati ſumus liberati, uiuam hoſtiam offerre debemus in ſignum noſtræ futuræ uitæ æternæ; Quæ quidem hoſtia debet etiam eſſe ſancta, &

munda

munda ab omni ſcelere (quia nihil prohibet, quin aliquis defleat peccatum auaritiæ, & æſtuet igne luxuriæ) ſit ergo eadem hoſtia beneplacens Deo, ut amore Dei, non oſtentatione aliqua offerri uideatur : Tunc enim hic cultus, & hoc obſequium cum ratione factum erit, quando pro expiatione peccatorum ueſtrorum non hoſtias mortuas, quæ non peccauerunt, ſed corpora ipſa ueſtra, quæ peccauerunt, uiua offeretis in ſacrificium Deo, quia etiam, ſiquis caſtigaret corpus ſuum, idemq; mundum ſeruaret, ut hominibus placeret, & non Deo, utique hic cultus irrationabilis eſſet. Dixit etiam offerenda eſſe Deo propria corpora, & non aliena, ut ueteris legis inſtitutiones excluderet. Siquis enim tunc ſuperbiam expiare uolebat, uitulum offerebat; ſiquis libidinem, hyrcum; ſiquis iracundiam, arietem; & ſic pro expiatione diuerſorum peccatorum diuerſorum etiam animantium corpora mactabantur : quæ quidem ſacrificia ſine aliqua ratione fieri uidebantur. At nihil poteſt eſſe maiori cum ratione factum, quàm ut corpora noſtra uiuentia in ſacrificium Deo offeramus; quia fieri non poteſt, quin caſtigato corpore, ſenſibusq; ipſis mortificatis, animus noſter puriſſimus efficiatur.

ET NOLITE CONFORMARI HVIC SAECVLO, SED REFORMAMINI IN NOVITATE SENSVS VESTRI, VT PROBETIS, QVAE SIT VOLVNTAS DEI BONA, ET BENEPLACENS, ET PERFECTA.

N*on modo nolite hoſtias mortuas amplius offerre Deo, ſed etiam nolite conformes fieri moribus hominum huius temporis, & huius ſæculi. Nam alij idolis, alij Deo uictimas cædebant : uel* CONFORMARI HVIC SAECVLO: *id eſt uanitatibus, & delitijs horum temporum, nolite operam dare, & accipere formam, & ſimilitudinem prauorum morum huius temporis, ſed magis reformamini in nouitate ſenſus, ita ut carni non obtemperetis, ſed magis ſpiritui, & nouam uitam agatis, ſicuti Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem egit, ut demum experimento ipſo diſcatis, quæ ſit uoluntas Dei bona : Cum enim noſmet ipſos hoſtias immaculatas Deo obtulerimus, tunc experimento cognoſcemus, hanc eſſe uoluntatem Dei bonam, hocq; illi maxime placere intelligemus; & in hoc ſacrificio, quo nullum aliud Deo gratius offerre poſſumus, perficietur præcipua illius uoluntas : Nam cum in ueteri teſtamento uos Iudæi uoluntate, iuſſuq; Dei hoſtias brutorum animalium illi mactaretis, nunc oblite rata lege ueteri aliud genus ſacrificij Deus elegit, in quo non uictimas anima-*

lium, ſed corpora noſtra uiuentia, & cor noſtrum contritum, & humiliatum uult ſibi offerri; In hoc autem ſacrificio maxime ſatisfaciemus illius beneplacenti, & perfectæ uoluntati:

DICO ENIM PER GRATIAM, QVAE DATA EST MIHI, OMNIBVS, QVI SVNT INTER VOS: NON PLVS SAPERE, QVAM OPORTET SAPERE, SED SAPERE AD SOBRIETATEM.

Cum hortatus eſſet eos, ut renouarentur ſpiritu ſenſus eorum, ueteribus ſuis repudiatis uictimis, & quod deberent offerre Deo corpora ſua pro uictimis; cum utrunq; iſtorum ſpectet ad partem ſenſitiuam, nunc docet eos quomodo reformari debeant, quantum ad intellectum, deinde quo ad uoluntatem, dicit ergo. DICO ENIM: & cætera. Supra eos per miſericordiam Dei obſecrabat, nunc autem ſuadet utriſque, Iudæis & Gentilibus dicens. Vobis ſuadeo non mea tantum auctoritate, ſed per gratiam, quæ data eſt mihi à Deo. Gratia enim
1. Cor. 15. Dei ſum id, quod ſum (ut ad Corinth. dicit). Vel qua mediante Apoſtolus ueſter conſtitutus ſum; Vobis igitur inter uos diſſidentibus ſuadeo, ne plus uelitis ſapere, quàm uos oporteat ſapere: Vos quidem ſapere debetis, ſed modeſte quidem, & ad ſobrietatem: Decet enim Chriſtianum ſapere, & ſublimem habere mentem, ſed non ita ſapere, ut alios contemnat, ut inter ſe Iudæi & Gentiles contendentes faciebant, quando alter alteri præferri adnitebatur; ſed ſapiendum eſt ad ſobrietatem, hoc eſt temperanter, non ſupra uires ſuas, ſed quantum illis à Deo conceſſum eſt: & hoc dixit, quia tumidi & inflati inter ſe de præſtantia, & uocatione eorum contendebant.

ET VNICVIQVE SICVT DEVS DIVISIT MENSVRAM FIDEI.

Vtique temperate ſapiendum eſt, & unuſquiſq; tantum ſapere debet, quantum illi Deus conceſſit de muneribus gratiarum ſecundum menſuram fidei, quia non uni Spiritus ſanctus omnia gratiarum munera donat, ſed diuerſa dona diuerſis hominibus impartitur, quinimmo unum atque idem donum uni minus, alteri magis elargitur; quæ quidem dona non niſi ad ædificationem fidei conceduntur, menſura & ordine à Deo ſtatuto, de quibus paulo inferius copioſe pertractabitur.

Sicut

SICVT IN VNO CORPORE MVLTA MEMBRA HABEMVS, OMNIA AVTEM MEMBRA NON EVNDEM ACTVM HABENT: ITA MVLTI VNVM CORPVS SVMVS IN CHRISTO, SINGVLI AVTEM ALTER ALTERIVS MEMBRA.

Cum oſtenderit non æque omnibus ſapiendum eſſe, ſed ſapiendum eſſe ſecundum quòd diuiſim Deus unicuiq; dona ſua dediſſet; nunc ſimilitudine ſumpta à corporis membris, illud idem, quod dixerat, manifeſtat, dicens: quòd quemadmodum in uno corpore naturali, ab una eademq; anima informato, habemus quidem diuerſa membra, quæ tamen non habent eundem actum, & eandem operationem; ſic uos fideles eſtis unum corpus in Chriſto, à quo ueluti à capite omnia membra eiuſdem corporis dependent, & unuſquiſq; ueſtrum eſt alterius membrum; ita, ut quemadmodum in corpore unum membrum alteri ſubſeruire ſolet, ita & uos alter alteri ſubminiſtrare debeatis in fide, ſecundum gratiam uobis à Deo conceſſam: Propterea nolite adinuicem contentionibus uacare, quandoquidem ipſi uos alternis ueſtris operationibus egeatis.

HABENTES DONATIONES SECVNDVM GRATIAM, QVAE DATA EST NOBIS, DIFFERENTES.

Poſtquàm ſimilitudine oſtenderat eos eſſe diuerſa membra in corpore myſtico, ſicuti ſunt diuerſa membra in corpore naturali; nunc dicit eos habere diuerſas operationes in illo corpore differentes, ſicuti hoc manifeſtum eſt de membris corporis naturalis, quòd ipſa habent diuerſas, & diſtinctas operationes: dicit autem, quòd habent donationes uarias, & diuerſas: donationes quidem dixit, & non uirtutes, ut oſtenderet ea omnia, quæ infra commemorabit, non eſſe noſtra uirtute, aut laboribus noſtris comparata, ſed dono & munere Dei nobis conceſſa; propterea adiunxit: SECVNDVM GRATIAM: *Quæ data eſt nobis, ut omnia hæc munera, quibus uſui aliorum eſſe poſſumus, Dei gratiæ, & beneuolentiæ referamus.*

SIVE PROPHETIAM SECVNDVM RATIONEM FIDEI, SIVE MINISTERIVM IN MINISTRANDO, SIVE QVI DOCET IN DOCTRINA, QVI EXHORTATVR IN EXHORTANDO, QVI TRI

BVIT IN SIMPLICITATE, QVI PRAEEST IN SOLICITVDINE, QVI MISERETVR IN HILARITATE.

Declarat ſummatim dona diuerſa diſtinctis hominibus à Deo conceſſa, quibus alter alteri poſſit opitulari; Vnde inquit. Siquis dono Dei habeat prophetiam, id eſt interpretationem ſermonum (prophetia enim in hoc loco non pro prædictione
2.Pet.1. rerum futurarum, ſed pro interpretatione ſermonum accipitur, ſicuti Petrus dicit. Omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit: non enim uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Dei homines: Illa quidem interpretatio non proprio intellectu aut ſenſu fieri debet, ſed magis ſecundum quod fides rationabiliter nobis dictat: Tunc enim uere prophetamus, id eſt ſcripturas interpretamur, quando eas, ut ratio fidei nobis demonſtrat, exponimus, & declaramus.) Quòd autem pro-
1.Timoth.3. phetia pro interpretatione accipiatur, manifeſtum eſt auctoritate Pauli dicentis. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiã, quæ nihil aliud, quàm interpretandi ſcripturas ſignificare poteſt auctoritatem: Diligenter quidem conſiderandum eſt, quòd Prophetæ nomen multa ſolet ſignificare, uſitatior autem huius nominis ſignificatio eſt, cum explicamus cognitionem, ſiue uiſionem earum rerum, quæ ſunt ſupra noſtrum intellectum, & procul à noſtra naturali co-
1.Reg. 9. gnitione: Iccirco in primo Regum legitur, quòd qui nunc Propheta dicitur, olim uidens appellabatur. Quare prophetia erit uiſio, ac declaratio rerum futurarum contingentium facta ex apparitione diuina. Hæc igitur uiſio propter conditionem noſtri intellectus, qui rebus corporalibus in imaginatione collucentibus commouetur, exigit quædam ſimulacra, & imagines quaſdam rerum corporalium in imaginatione formatas, quibus res ipſæ, de quibus eſt pro-
Eſai. 6. phetia, repræſentari poſſint: propterea Eſaias dicebat. Se uidiſſe Deum ſuper ſoliũ
Hier. 1. excelſum ſedentem: Et Hieremias, ollam accenſam à facie Aquilonis. Quòd ſi harum rerum apparentium intelligentia defuerit, non poterit profecto is, qui has ſimilitudines habuerit, Propheta nuncupari. Propterea neq; Pharao, qui uaccas illas alias pingues, alias macilentas; & qui ſpicas per ſomnia conſpexit; neq; Nabuchdonoſor, qui arborem uidit excelſam, Prophetæ dici poterunt, quoniam neuter eorum, quid illæ imagines ſignificarent, intelligere potuit: Et
Dani. 1. ideo in Daniele legimus intelligentiam neceſſariam eſſe in uiſione. Plurimi tamen fuerunt, qui nulla ſimulacra, nullaſq; imagines habuerunt, ſed ſolam cognitionem intellectus ſunt conſecuti, qui tamen Prophetæ fuerunt appellati: Iccirco Dauidem Prophetam eſſe putamus, qui, etſi nullam uiſionem fertur

habuiſſe multa, tamen futura prædixit, quæ ſolo intellectu comprehendit: Præter autem inſpectionem imaginum, & earum intellectionem neceſſaria eſt etiam earum rerum, quæ illis imaginibus repreſentantur, manifeſtatio; ad hunc enim finem Prophetæ à Deo dari ſolent, ut per eos, homines à malis operibus deterreantur, & ad bona opera excitentur: Sæpe tamen Prophetæ nomen interpretationem, diuinarumq́; rerum declarationem ſignificare ſolet, ut eos Prophetas appellemus, qui interpretes rerum diuinarum extiterunt: Propterea Deum Moyſi in Exodo dixiſſe legimus. Aaron frater tuus erit Propheta, hoc eſt interpres tuus. Interpretatio igitur ſacrarum ſcripturarum prophetia rationabiliter appellari poteſt, quoniam ſacræ ſcripturæ eodem Spiritu ſancto exponuntur, quo factæ ſunt, & inſtitutæ: Iccirco omnis, qui ſacras ſcripturas ſecundum ueritatem exponit, Propheta dici poteſt. Hoc autem donum ſacras ſcripturas interpretandi eſt homini datum à Deo, ſola ipſius uoluntate, nullo antecedente opere noſtro: Iccirco inter munera gratis homini à Deo data à beato Apoſtolo ad Corinthios ſcribente connumeratur: Propterea ſicut cætera dona ſunt homini conceſſa ad aliorum præcipue utilitatem (ut dicit Apoſtolus ad Corinthios. Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem) ita etiam interpretatio ſacrarum ſcripturarum potiſſimum ordinatur ad commodum, & emolumentum proximorum (ut ibidem Apoſtolus dicit. Qui prophetat, loquitur hominibus ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.) Aliud autem donum eſt miniſterium, quando quis prudenter adminiſtrationis genere uſus fuerit, quemadmodum fuit ſeptem illa diaconorum adminiſtratio; quia in miniſtrando ſiquis ſapienter ſe geſſerit, eum exiſtimamus ueram gratiam Dei eſſe conſecutum. Aliud quidem donum Dei eſt, ſiquis docuerit in uera doctrina Euangelica, non autem in ea, quæ uana, & inutilis eſſe uidetur, ſicuti eſt iſta huius mundi ſapientia. Aliud etiam donum eſt exhortari, atque animare alios ad bene agendum; quod non ſolum doctus, ſed etiam ignarus efficere poteſt. Eſt & aliud Dei donum, quod eſt uirtus quædam tribuendi, & elargiendi ſua pura intentione, id eſt ſolo Dei affectu, & proximi pietate, non ſpe conſequendi terrena, neq; ullius perituræ gloriæ cupiditate. Subdit & aliud Dei donum, quod eſt, præeſſe in ſolicitudine, id eſt in omni cura & ſtudio ſubditorum rationem habere, & eorum neceſſitatibus diligentiſſime ſubuenire. Sequitur & aliud Dei munus, quod eſt miſereri in hilaritate, id eſt ſua indigentibus quodam pietatis affectu, & animo hilari & læto erogare.

Exod. 7.

1. Cor. 12.

DILECTIO SINE SIMVLATIONE, ODIENTES

MALVM, ADHAERENTES BONO, CHARITATEM FRATERNITATIS INVICEM DILIGENTES.

Cum docuiſſet, quonam modo deberent reformare intellectum, nunc docet, quonam etiam modo reformare debeant uoluntatem, & declaratis diuerſis donis diſtinctis hominibus à Deo conceſſis, nunc proponit communia dona omnibus hominibus obſeruanda, ut alter alteri opituletur; & dicit, in primis neceſſariam eſſe dilectionem, & amorem; ita ut dilectio ſit ſine ſimulatione, ut nihil ſit promptum in lingua, quod non idem ſit clauſum in pectore; & quia quoddam genus amoris noxium eſt, ideo ſubdit. Ita uos inuicem ſine ſimulatione diligatis, ut mala omnia odio habeatis; & quia non ſatis eſt odio habere mala, ſed etiam adnitendum eſt, ut bona faciamus; ideo dixit adhærendum eſſe bono, & eum etiam amorem, & charitatem eam, qua ſolent ſe mutuo fratres amplecti, ſeruandam eſſe, propterea quòd Chriſtus pater noſter eſt, nos uero filij eius, & fratres; de qua fraternitate loquitur hic Apoſtolus, & de eo amore, de quo dicitur. Vt diligatis uos inuicem, ſicuti Chriſtus dilexit uos.

HONORE INVICEM PRAEVENIENTES, SOLICITVDINE NON PIGRI, SPIRITV FERVENTES, DOMINO SERVIENTES, SPE GAVDENTES, IN TRIBVLATIONE PATIENTES, ORATIONI INSTANTES.

Cum non modo fratres amandos, ſed etiam charitatem, qua eos complectimur, diligendam eſſe præcepiſſet, nunc ad exteriores charitatis effectus nos accendit, ac hortatur: Et quia præcipuum amoris, & charitatis ſignum eſt honoris exhibitio, ideo dicit, quòd non debeamus expectare ut ab altero nobis honor impendatur, ſed unuſquiſq; ſtudeat fratrem ſuum in honoribus præuenire; ita, ut illum prius honoret, quàm quòd ab eodem expectet honorari; & hæc anticipatio honoris charitatem ſtudioſiſſime conſeruabit; & quia non ſat eſt, honore tantum iſtam charitatem oſtendere, niſi etiam fratribus indigentibus opera noſtra opem feramus; Ideo dicit, quòd in cura nobis commiſſa, quam ſolicitudinem uocat, de qua alibi dixit, ſe teneri ſolicitudine omnium eccleſiarum, ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis ſit, præſto illis auxilio ſimus; & ut explicaret modum, quo eſſet exercenda hæc ſolicitudo, dixit. Si uero ardoris affectu incenſi fuerimus, profecto huic ſolicitudini ſtudioſiſſime uacabimus; & cum hæc omnia,

2.Cor.11.

nia, quæ ſupra diximus, fecerimus, tunc exiſtimare poterimus nos ipſos non alij prorſus, quàm ipſi Domino *inſeruiuiſſe, qui ſibi factum accipit omne illud, quod nos fratribus noſtris ipſius amore contulerimus; & cum in hac ſeruitute permanſerimus, animo non deprimamur, ſed magis ſpe gloriæ filiorum* Dei *gaudeamus, quam ut facilius adipiſci poſſimus, moleſtias, & tribulationes æquo animo toleremus; quæ omnia facile conſequemur, ſi orationibus aſſiduis uacauerimus.*

NECESSITATIBVS SANCTORVM COMMVNICANTES, HOSPITALITATEM SECTANTES.

E*t cum perfectiſſimus charitatis effectus ſit, præter ea ſigna, quæ paulo ante diximus, opes ſuas communicare neceſſitatibus ſanctorum; ideo eos hortatur, ut ſanctorum ſubueniant indigentiæ, communicatione rerum ſuarum, & non modo permanentibus, ſed etiam peregrinantibus ut opitulentur.* A*ccendit ergo nos ad hoſpitalitatem ſectandam, id eſt omni ſtudio, & cura amplectendam; ut non expectemus pauperes noſtram miſericordiam interpellare, ſed illorum inopiæ ſponte occurramus, neceſſaria uitæ conferentes, eosq́; tanquam hoſpites in ædes noſtras, ubi opus fuerit, amice & humaniter recipientes.*

BENEDICITE PERSEQVENTIBVS VOS. BENEDICITE, ET NOLITE MALEDICERE.

P*oſtquam illos admonuit de charitate ſeruanda erga proximos, ſanctosq́; uiros; nunc quemadmodum ſe habere debeant erga inimicos oſtendit, dicens.* Benedi*cite, id eſt bona uerba date inimicis ueſtris, qui uos ſuis perſecutionibus affligunt; & etiam bene eis fore optetis, & pro eorum bono, ac ſalute* Deum *deprecemini:* Nolite *etiam de eiſdem inimicis ueſtris maledicere, hoc eſt, neque de illis quicquam in contumeliam, atq; infamiam protuleritis, neque contra eorum ſalutem* Deum *oraueritis.*

GAVDERE CVM GAVDENTIBVS, FLERE CVM FLENTIBVS, ID IPSVM INVICEM SENTIENTES.

E*t ut animus ueſter liber ſit ab omni prorſus inuidia, admoneo uos, ut gaudeatis cum his, qui lætitia ſunt affecti; & è contra, ut fleatis cum his, qui mœro-*

re ſunt perturbati; quia in alia re nulla animus liberior ab inuidia oſtendi po-teſt, quàm aliorum uoluntatibus tum in lætitia, tum in mœrore ut conforme-tur: & ideo ſubdit, ut id ipſum adinuicem ſentiamus, quod ſi fecerimus, pa-res erimus in utroque ſtatu: ijs, qui fleuerint, in mœſtitia: ijs, autem qui læ-tati fuerint, in hilaritate exhibita.

NON ALTA SAPIENTES, SED HVMILIBVS CONSENTIENTES.

Et ut omnia ea, quæ ſupra docuit, facilius perficiantur, nunc declarat, & oſtendit impedimenta, à quibus ipſi cauere debeant: & primum impedimentum eſt, quòd non alta, non ſuperba ſapiant, id eſt non inflati ſuperba illa doctri-na, tum humano ingenio comparata, tum per legem acquiſita, à uera ſapien-tia, & recto uiuendi tramite declinent; ſed magis eam ſapientiam amplectan-tur, quæ humilibus, & paruulis concedi ſolet. Vel: NON ALTA SA-PIENTES: hoc eſt, nolite exquirere, res altas fidei, & nobis ad creden-dum datas per rationes naturales demonſtrari; ſed potius humilibus conſentia-tis, id eſt prædicatoribus, & doctoribus, qui de rebus fidei, non humano ſpi-ritu inflati, ſed diuina illuſtratione eruditi, humiliter nos docent.

NOLITE ESSE PRVDENTES APVD VOSMET IPSOS.

Aliud impedimentum eſt, quando aliquis ſuæ tantum prudentiæ confidit, ut nul-lo alio exiſtimet ſibi opus eſſe conſultore; Propterea dicit, quòd nolint ſibimet ipſis uideri prudentes, ſed alijs; Vnde Eſaias dicebat. Veh uobis, qui in oculis ueſtris eſtis prudentes, & coram uobiſmet ipſis ſapientes: Iudicetur ergo ab alijs, & non à nobis prudentia noſtra. Eſai. 5.

NVLLI MALVM PRO MALO REDDENTES.

Prohibet & aliud impedimentum, ne pro illata etiam iniuria proximo noſtro red-damus iniuriam.

PROVIDENTES BONA NON TANTVM CO-RAM DEO, SED ETIAM CORAM OMNIBVS HOMINIBVS.

Excluſis

Excluſis impedimentis, quibus poſſint detineri, ne ea facerent inimicis, quæ ſupra commemorauit; ponit nunc generale documentum, quo etiam inimici excitari poſſint ad conflandam, & conſeruandam charitatem; & dicit, quòd prouidere debeant ſemper in bonis operibus, ut non ſatisfaciant in conſpectu Dei tantum conſcientiæ ſuæ, ſed etiam ſatisfaciant in conſpectu omnium hominum ſine ulla eorum offenſione; ſicuti monebat Apoſtolus Corinthios, dicens. Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus, & eccleſiæ Dei, ſicut ego per omnia omnibus placeo. 1. Cor. 10.

SI FIERI POTEST, QVOD IN VOBIS EST, CVM OMNIBVS HOMINIBVS PACEM HABENTES.

Cum docuiſſet eos non modo, ut conſcientiæ ſuæ coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus ſatisfacerent; nunc docet eos inimicorum ſuorum iniurias tolerare; & dicit, quòd cum hominibus cunctis ſtudeant pacem habere, tam fidelibus, quàm infidelibus, recte autem dixit: SI FIERI POTEST: nam ſæpe ſancti uiri pacifice uiuerent, ſi ab infidelibus, & tyrannis non moleſtarentur, & propterea dixit: QVOD IN VOBIS EST: nam ſatis eſt fidelibus, ſi per eos non deſit, ut cum omnibus pax cuſtodiatur, & ſeruetur.

NON VOSMET IPSOS DEFENDENTES CHARISSIMI, SED DATE LOCVM IRAE. SCRIPTVM EST ENIM. MIHI VINDICTAM; ET EGO RETRIBVAM (DICIT DOMINVS).

Docet nunc eos, quid facere debeant; ſi cum inimicis pacem habere non potuerint, & ab illis iniuriam ſuſceperint, dicens. Nolite uoſmet ipſos defendere, ſæpe enim fieri uidemus, ut in ipſis noſtris defenſionibus, quibus nos ipſos tueri ſolemus, iniurias inferamus; ideo dicit, nolite uos defendere, ſed date locum iræ, id eſt cedite furori, & indignationi irati hominis, ut deferueat ardor concitati illius animi; & illatas iniurias uobis à ueſtris inimicis nolite uindicare, quoniam Deus illarum ultor erit, quemadmodum ſcriptum eſt. Mihi uindictam committe (inquit Dominus) & ego pro iniurijs illatis pœnas debitas inimicis infligam.

SED SI ESVRIERIT INIMICVS TVVS, CIBA

ILLVM: SI SITIT POTVM DA ILLI: HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SVPER CAPVT EIVS.

Cum dixiſſet nullam eſſe uindictam in inimicos retorquendam, nunc autem docet modum, quo paciſci, & conſueſcere cum inimicis, & quid eis præſtare unuſquiſq; debeat; & dicit relicta uindicta Deo, *tu exurientes inimicos tuos paſcas, & eiſdem ſitientibus potum exhibeas:* Hoc enim *ſi feceris, carbones ardentes coaceruabis ſuper illorum capita; ut quemadmodum ignis inflammat, & accendit id, cui adheret, ita inimici tui conſpecta tua animi benignitate, & beneficiorum tuorum in ſe male merentes gratitudine, in tuam beneuolentiam omni*
Prouer. 25. *uoluntate inhereant, & inflammētur; quæ quidem uerba ex* Prouerbiorum *libro* Apoſtolus *accepiſſe uidetur.*

NOLI VINCI A MALO, SED VINCE IN BONO MALVM.

Eorum omnium, quæ ſupra dixerat de perferendis iniurijs inimicorum, rationem reddit, ueluti diceret. Hoc ideo *facere debes, ne à malo uincaris;* Vinceris *enim à malo, ſi cum inimicis pacem habere, & eorum iniurias tolerare nolueris, & illis benefacere recuſaueris; quia hoc faciens contra præceptum* Domini
Luc. 6. *ambulabis;* Ipſe *enim dixit.* Diligite *inimicos ueſtros, & benefacite his, qui uos oderunt:* Summam *autem uictoriam fueris conſecutus, ſi inimicis tuis benefeceris, in hoc enim tam perfecto opere, omnia mala, & omnes iniurias inimicorum tua uirtute ſuperabis.*

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

OMNIS ANIMA POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS SVBDITA SIT.

Cum ſuperiori parte epiſtolæ inſtruxiſſet fideles, qui Romæ *erant, quonam modo reformarent tum corpus, tum intellectum, tum etiam uoluntatem erga* Deū, *& erga proximos tam bonos, quàm malos; nunc inſtituit illos, quonam modo reformentur circa uſum libertatis, reſpectu* Principum *uel ſuperiorum; & hoc quidem, quia* Romani, *quibus ſcribebat, fortaſſis putabant occaſione libertatis*

tis conſecutæ, per Chriſtum, ſe non eſſe ſubiectos alicui poteſtati, & ideo dicit. Omnis anima (accipiendo animam pro homine, quemadmodum ſcriptum eſt in Exodo. Omnes animæ, quæ natæ ſunt de fœmore Iacob, erant ſeptuaginta) ſubiecta ſit poteſtatibus ſublimioribus (ſubiectus ſit igitur omnis homo poteſtatibus ſublimioribus, id eſt excelſis & ſummis:) non dixit autem poteſtati ſublimiori, ſed poteſtatibus, ut utrique poteſtati tum temporali, tum ſpirituali intelligeret omnis homo ſe eſſe ſubiectum. Nec propter hoc cæteris poteſtatibus tum temporalibus, tum ſpiritualibus inferioribus alijs ſupremis intelligendum eſt nos non eſſe ſubiectos, propter hoc, quòd ille poteſtates non ſint ſublimes; quia tales inferiores, cum à ſublimioribus dependeant, referuntur quodam ordine ad illam ſublimem ſpiritualem, & ad illam ſublimem temporalem; ſicuti Philoſophi dicunt in mouentibus, & motis, omnia referri ad unum primum mouens, quod nullo genere motus moueatur. Tempore enim Pauli Petrus à Deo inſtitutus Vicarius ſublimem, atque ſupremam habebat poteſtatem in omnem eccleſiam, ſicut Cæſar uniuerſum orbem in temporalibus regebat, ad quem Paulus iniurijs affectus uoluit appellare (ut in Actibus Apoſtolorum legimus.) Videant igitur quantum nonnulli homines noſtri temporis oberrent, qui Paulum ex hiſce uerbis unam tantum poteſtatem temporalem, ſcilicet ſublimem, conſtituiſſe aſſeruerunt, tantoperéq; ſpirituali poteſtati detraxerunt, ut illam poteſtati temporali ſubeſſe etiam uoluerint: Quorum errorem ex uerbis ipſis Apoſtoli, quibus ille plures poteſtates ſublimiores eſſe ſignificauit, facile refellere poſſumus.

Exod. 1.

Act. 25.

NON EST ENIM POTESTAS, NISI A' DEO. QVAE AVTEM SVNT, A' DEO ORDINATAE SVNT.

Nunc reddit rationem, quare poteſtatibus ſublimioribus ſubijci debeamus, quia ſcilicet nulla eſt poteſtas, quæ à Deo non ſit; quod quidem intelligendum eſt non modo de munere ipſius poteſtatis, uerumetiam de homine habente tale munus poteſtatis: Ipſa nanque ſacerdotij, & regni poteſtas iuſſu domini inſtituta fuit, ut de ſacerdotibus, & leuitis, ducibus, & regibus in ſacris literis copioſe legimus. Hoc idem etiam de ijs, qui ſacerdotes, & reges fuerunt, factum fuiſſe legimus: nam Aaron ſumus ſacerdos, & Moyſes dux, & Dauid Rex iuſſu Domini inſtituti fuerunt; quod quidem non modo in bonis, uerumetiam in malis Principibus, & Regibus Deum feciſſe reperimus. Ipſe nanque (ſcriptura teſte) Pharaonem Regem fecit Aegypti, Saulem quoque inungi in Regem Samueli

Exod. 9.

1. Reg. 10. mandauit, & ob hoc legimus Deum dixiſſe. Dabo Regem puerum in furore
Iob. 34. meo: & in Iob ſcriptum inuenimus. Propter peccata populi mei (dicit Dominus) faciam regnare Hypocritam ſuper eum. Deus igitur & bonos, & malos Principes facit: Bonos quidem ad bonum faciendum, & ad pacem populorum, quibus præſunt, ſeruandam; Malos uero ad pœnam, & uindictam eorum, quos regunt: & cum poteſtates dixiſſet eſſe à Deo, nunc declarat ipſas poteſtates eſſe ordinatas, id eſt habere ordinem talem, qualis eſt inter regentem, & rectum; nam ordo relatio quædam eſt inter aliquos ordinatos. Quæ igitur ſunt à Deo, ordinata ſunt; Poteſtas eſt à Deo, igitur ordinata eſt; & talis ordo non poteſt eſſe, niſi inter adminiſtrantem, & adminiſtratum. Igitur iſtud, quòd inferiores ſubijciantur ſublimioribus, à Deo eſt inſtitutum.

ITAQVE, QVI RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT.

Concludit nunc, quòd ille, qui reſiſtit poteſtati, id eſt ſubijci non uult illi (quantum in ſe eſt) Dei ordinationem deſtruere conatur, quia eam poteſtatem Deus ipſe inter homines inſtituit.

QVI AVTEM RESISTVNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQVIRVNT.

Hic oſtendit, quantum mali acquirant, qui minus obtemperare uelint ſuperioribus, & eiſdem ſubijci contemnant; quoniam tam magnum crimen eſt, atque ſcelus ſuperioribus reſiſtere, ut qui eis reſiſtunt, quia Dei ordinationibus reſiſtunt, ſibi ipſi damnationem acquirant; ex quibus perſpicue patet Chriſtianos illos, qui Pontifici Romano reſiſtunt, & illius poteſtati nolunt ſe ſubmittere, damnationis obnoxios eſſe, quoniam ordinationi Dei reſiſtunt.

NAM PRINCIPES NON SVNT TIMORI BONI OPERIS, SED MALI.

Nulla quidem ratione reſiſtendum eſt poteſtati, & ordinationi Dei. Sed quid times poteſtatibus ſubijci? Num tibi recte facienti illatura eſt malum ipſa poteſtas? non profecto. Nam Principes non ſunt formidini ijs, qui bonis operibus uacant, ſed illis ſanè, qui mala opera faciunt: propterea adiungit.

Vis

VIS AVTEM NON TIMERE POTESTATEM, BONVM FAC, ET HABEBIS LAVDEM EX ILLA. DEI ENIM MINISTER EST TIBI IN BONVM.

Veluti diceret, uis non horrere Principem, neq; illius ſupplicia formidare? bene agas: Quod ſi feceris, non pœnam non ſupplicium, ſed laudem, & gloriam ex illo conſequeris; præcipue cum ille miniſter Dei tibi ſit, te ſcilicet excitaturus ad bona opera peragenda: Præcipit nanque tibi Deus, ne alicui noceas; ut bona opera facias; Identidem etiam Princeps ſuis inſtitutis, & legibus conſulit tibi eſſe faciendum; & propterea tibi miniſter Dei cenſendus eſt, quia te ad huiuſcemodi opera perficienda ſua poteſtate excitat, atque conducit.

SI AVTEM MALVM FECERIS, TIME. NON ENIM SINE CAVSA GLADIVM PORTAT. DEI ENIM MINISTER EST, VINDEX IN IRAM EI, QVI MALE AGIT.

Quemadmodum enim, ſi bonum fecerimus, non modo laudem conſequemur, ſed Principem non erit quòd extimeſcamus; ita etiam ſi uitijs nos dederimus, non modo uituperio afficiemur, ſed etiam Principem maxime pertimeſcemus: Quoniam ille non ſine cauſa, quaſi dicat ad ſupplicia, & pœnas de ſceleſtis ſuſcipiendas, gladium portat, per quem poteſtas Principis contra malos deſignatur, ut eos debita pœna mulctet; & eundem gladium portat etiam propter bonos, ut eos à malis tueatur; in cuius rei teſtimonium Romani Conſules cum faſcibus ſecures ante ſe deferri faciebant. Quemadmodum igitur Princeps eſt tibi miniſter Dei, ad te excitandum ad bona opera, ita etiam ille idem miniſter Dei erit, ſi turpia perpetraueris, ad uindictam; & pœnam, quam per iram deſignauit, infligendam.

IDEOQVE NECESSITATI SVBDITI ESTOTE, NON SOLVM PROPTER IRAM, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM.

Ex his omnibus concludit Apoſtolus, quòd neceſſario ſubijci debeamus Principibus, non ſolum, ut uitemus iram, id eſt pœnam, quam inobedientibus infligere illi ſolent, ſed etiam, ut ſatisfaciamus conſcientiæ noſtræ. Pro certo enim ſci=

mus poteſtates, & earum ordinationes à Deo eſſe conſtitutas.

IDEO ENIM ET TRIBVTA PRAESTATIS. MINISTRI ENIM DEI SVNT, IN HOC IPSVM SERVIENTES.

Cum concluſiſſet fideles debere ex neceſſitate eſſe ſubiectos poteſtatibus, tum propter uitandam pœnam, tum etiam propter ſeruandam conſcientiam; nunc demonſtrat ab effectu eos eſſe nobis ſuperiores, & uere Principes. Ex hoc enim, quòd illis ſoluimus uectigalia, apparet, nos eſſe eiſdem ſubiectos. Cur autem ſimus Principibus ſubiecti oſtendit ex hoc, quia illi ſunt miniſtri Dei incumbentes in hoc ipſum munus, ut miniſterium Dei eis impoſitum exequantur. Vnde nos, & tanquam miniſtris Dei, & tanquam ſuperioribus noſtris, quaſi confeſſionem quandam ſummiſſionis noſtræ tributa eiſdem perſoluimus. Tributa enim ſunt, ueluti præmia miniſterio deputata; & ideo Principibus, tanquam miniſtris Dei, iure officij, quo funguntur, merito debentur.

REDDITE ERGO OMNIBVS DEBITA; CVI TRIBVTVM, TRIBVTVM: CVI VECTIGAL, VECTIGAL: CVI TIMOREM, TIMOREM: CVI HONOREM, HONOREM.

Cum igitur Principibus ideo tributa præſtemus, quia miniſtri Dei ſunt, concludit nunc Apoſtolus, reddendum eſſe omnibus tum ſpiritualibus, tum temporalibus poteſtatibus, prout ſua ipſarum dignitas poſtulabit, ſummiſſionis ſignum: cui fuerimus obligati pro cenſu aut tributo, cenſum & tributum perſoluentes; Cui uectigal debuerimus, reddentes & ſine fraude, uectigal. Hæc autem duo, ſcilicet tributum, & uectigal Principibus ſæcularibus maxime conuenire uidentur; Spiritualibus uero Principibus, quos non modo colere, ſed etiam timere debemus, uidetur attribuiſſe Apoſtolus cum timore honorem impendendum. Hic uero timor non accipitur pro metu pœnæ, ſed pro ueneratione illa, quæ religioni debetur: propterea ſibi ipſi non contradicit Apoſtolus, cum ſupradixerit, quòd Principes à bonis non eſſent timendi; quia ibi de timore pœnæ, hic autem de timore reuerentiæ loquitur, de quo Propheta ait. Initium ſapientiæ eſt timor Domini. Pſal. 110.

NEMINI QVICQVAM DEBEATIS, NISI, VT

inuicem

INVICEM DILIGATIS. QVI ENIM DILIGIT PROXIMVM, LEGEM IMPLEVIT.

Cum perſolueritis tributum, uectigal, timorem, & honorem liberi eritis, nemini quicquam debentes; nolo tamen propter hoc uos eſſe ab omni prorſus obligatione liberos; quia uolo uos ſemper teneri ad mutuam charitatem, ut uos inuicem ſemper diligatis, & huiuſce obligationis uirtutem cum ratione refert. Qui enim proximum amore complectitur, totam legem adimplet. Quia in hoc uno præcepto uis reliquorum omnium præceptorum ſubeſſe proculdubio uidetur.

NAM NON ADVLTERABIS, NON OCCIDES, NON FVRABERIS, NON FALSVM TESTIMONIVM DICES, NON CONCVPISCES, ET SI QVOD EST ALIVD MANDATVM, IN HOC VERBO INSTAVRATVR. DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TE IPSVM.

Quòd autem totam legem impleat ille, qui proximum amauerit, probat per enumerationem mandatorum contentorum in lege. Præcipit enim lex, ne cum alienis uxoribus nos commiſceamus, ne quenquam interficiamus, ne aliena rapiamus, ne falſum teſtimonium proferamus, & ne res alienas concupiſcamus; Quæ omnia, & ſiqua alia mandata in ipſa lege continentur, omnia (inquam) in hoc uno præcepto, quod eſt, diligere proximos ſicut nos ipſos, inſtaurari uidentur. Dixit autem recte inſtaurari; quia cum hæc præcepta etiam in lege ueteri continerentur, & Chriſtus eadem in Euangelio obſeruanda tantopere inſtituiſſet, præcipue præceptum illud de proximi dilectione, uiſus eſt Chriſtus illud idem inſtaurauiſſe, & ſummatim ea omnia, quæ pluribus præceptis in lege mandata fuerant, hoc uno præcepto comprehendiſſe.

DILECTIO PROXIMI MALVM NON OPERATVR, PLENITVDO ERGO LEGIS EST DILECTIO.

Probat quòd in dilectione proximi mandata omnia legis inſtaurentur, & ſummatim contineantur, dicens. Cum in dilectione proximi uitemus omnia mala, quæ lege cauentur; igitur dilectio proximi neceſſario in ſe habet perfectam, & abſolutam plenitudinem totius legis; cum omnia, quæ ſupra commemorata

ſunt, per dilectionem proximi obſeruari uideantur. Poſſet *autem aliquis dicere.* Quomodo *in dilectione proximi* Apoſtolus *dicit plenitudinem legis conſiſtere, cum ipſa lex nobis* Deum *in primis, deinde proximum præcipiat eſſe diligendum?* Cui *dubitationi reſpondemus, quòd in dilectione proximi, quando ille propter* Deum *amatur, tota lex conſiſtit, quia non poſſumus proximum propter* Deum *diligere, niſi etiam ipſum* Deum *diligamus.* Vel *alio modo dicemus, quòd tota plenitudo legis ſecundæ tabulæ eſt in dilectione proximi, quia ſupra ſatis copioſe de plenitudine legis, qua* Deus *eſt amandus, diſſeruerat.*

ET HOC SCIENTES TEMPVS, QVIA HORA EST IAM NOS DE SOMNO SVRGERE.

C*um dilectionem proximi tam accurate commendauerit, nunc autem dicit.* Si *aliquod unquam tempus fuit, quo huic dilectioni, & charitati uacare deberemus, hoc præſens tempus maxime eſſe huic rei opportunum, ut legem ipſam adimpleamus:* Ideo *dicit, & hoc ſcientes tempus maxime eſſe aptum huic dilectioni, quia poſt tam longam dormitionem in lege* Moſaica, *in qua ueluti ſomniculoſi detinebamur, & poſt illam longam caliginem, in qua* Gentiles, *ueluti cæci oberrabant, illuxit hora, ut per fidem* Chriſti *iuſtificati, à tam longo ſomno, & ab illis tam diuturnis tenebris excitemur.*

NVNC ENIM PROPIOR EST NOSTRA SALVS, QVÀM CVM CREDIDIMVS.

R*eddit rationem, quare in ſtatu iſto gratiæ à tali ſomno expergiſci debeamus; quia nunc, hoc eſt poſt* Chriſti *aduentum, eſt proximior noſtra quidem ſalus, quàm eo tempore fuerit, cum in ſtatu legis credebamus, eam aliquando eſſe uenturam: per mortem enim* Chriſti *redemptoris noſtri conceſſa fuit nobis gratia, per quam proximius ſalutem noſtram conſequi poſſimus.*

NOX PRAECESSIT, DIES AVTEM APPROPINQVAVIT.

P*robat nunc noſtram ſalutem propinquam nobis eſſe, & utitur metaphora noctis & diei; per noctem intelligens ſtatum illum ueterem, tum* Gentilium, *tum* Hebræorum; *nam illi in tenebris ueluti cæci ſine aliquo legis, aut diuinæ cognitionis lumine oberrabant;* Iudæi *uero quaſi ſub umbra uelatam legem habebant;*

& hæc

& hæc nox, id eſt ſtatus ille præceſſit; quia dies clariſſimus aduentus Chriſti ſubſecutus eſt, & ſplendidiſſimus illuxit nobis: illa autem nox, & umbra orien te ſole lucidiſſimo Chriſto Ieſu ſubito euanuit.

ABIICIAMVS ERGO OPERA TENEBRARVM, ET INDVAMVR ARMA LVCIS.

S*i ergo ſol & dies, Chriſtus, noctem & umbras expulit; nos pariter expellamus à nobis opera tenebrarum, id eſt peccata, quibus obcæcati tum Iudæi, tum Gentiles detinebantur ante Chriſti aduentum; Quæ ideo tenebræ dicuntur, quia ueram Dei cognitionem utrique Populo eripiebant. Illis ergo ſic abiectis, induamur arma lucis; id eſt bonis operibus, quæ Chriſtus, qui eſt lux noſtra, nobis fieri mandauit, uacemus; Quæ ideo dicuntur arma lucis, quia faciunt nobis apertam, & lucidam ueritatem cognoſcere, ut cum illis opera tenebrarum, communemq; etiam humani generis hoſtem expugnare poſſimus.*

SIC, VT IN DIE HONESTE AMBVLEMVS.

E*t talibus armis lucis induti cum fuerimus, eſt nobis honeſte ambulandum, id eſt omnia opera noſtra cum ſumma honeſtate perficienda ſunt; ſicuti honeſte ſolent ambulare, qui in die ambulant, & hoc nobis maxime conuenit, qui in die, id eſt in Chriſto nobis monſtrante uiam ambulamus; quem per lucem, & diem ſignificauit Apoſtolus.*

NON IN COMESATIONIBVS, ET EBRIETATIBVS; NON IN CVBILIBVS, ET IMPVDICITIIS; NON IN CONTENTIONE, ET AEMVLATIONE.

E*numerat nunc opera tenebrarum, quæ impedimento eſſe poſſunt illis, qui in uia Chriſti ambulare debent, in quibus & ij, quibus ſcribebat, fortaſſis detinebantur. Eſt enim ſemper hæc conſuetudo Apoſtoli, ut à uitijs illis dehortetur illos, ad quos ſcribit, in quibus maxime eos peccare conſpiciat; Quod utique maxime obſeruandum eſſet à concionatoribus huiuſce noſtri temporis, relictis inanibus illis ſuis diſputationibus, quæ magis ad perturbationem, quàm ad tranquillitatem eccleſiæ Dei facere uidentur. Et primo prohibet comeſationes, id eſt intemperantiam ciborum; deinde ebrietates, id eſt uini temulentiam; deinde ea,*

quæ ad hæc ſequuntur: Nam ex intemperantia ciborum, & uinolentia ſtatim ſequuntur fœdi concubitus, & reliqua impudicitiarum genera; Deinde contentionem & æmulationem dehortatur, in quibus plurimum peccabant; cum eos ſupra tantopere ad pacem cohortatus fuerit, cuius rei gratia hanc illis præcipue conſcripſit epiſtolam.

SED INDVIMINI DOMINVM IESVM CHRISTVM, ET CARNIS CVRAM NE FECERITIS, IN DESIDERIIS.

Poſtquam nos ſordidiſſimis ueſtibus ſua admonitione ſpoliauit, nunc quibus induendum nobis ſit demonſtrat, & dicit. Induimini dominum Ieſum Chriſtum, id eſt exemplo illius uitam agite. (Omnis nanque Chriſti actio fuit noſtra inſtitutio) quod facile perficietis, ſi ſpretis, atque contemptis oblectationibus uoluptatum, carnalia deſideria omiſeritis: Et nolite habere curam in eſu carnium ad excitandas concupiſcentias uoluptatum, ac ſi dixiſſet, habendam eſſe curam carnium ad ſuſtentationem corporis, non autem ad fouendas libidines.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

INFIRMVM AVTEM IN FIDE ASSVMITE: NON IN DISCEPTATIONIBVS COGITATIONVM.

Iudæi nuper conuerſi ad fidem animalia quædam in lege prohibita tanquam immunda comedere nolebant, quia penitus ab obſeruatione legis ueteris nondum deſtiterant: Gentiles uero nullum animal immundum eſſe cognoſcentes ex omnibus animalibus comedebant, & Iudæos huiuſcemodi abſtinentes ab conſuetudine ſua repellebant: propter hoc inter utroſq; non parua exorta erat diſcordia. In hac igitur tota parte epiſtolæ Apoſtolus modo Iudæorum, modo Gentilium partes tuetur, ut eos ad concordiam reuocet; & utroſque modum, quem in ueſcendis cibis ſeruare debeant, inſtruit, & docet; & propterea utroſque credentes alloquitur, dicens. Infirmum autem, id eſt Iudæum nondum perfecte ſtabilem & fundatum (quia nondum ille cærimonialia præcepta de mundis, & immundis carnibus ueſcendis reliquerat) aſſumite in fide, id eſt non repellite ipſum à ueſtro conſortio; ſed magis allicite, ut ſimul uobiſcum credat, & eandem ſimul uobiſcum fidem ineat; & eum ita in cómertium fidei aſciſcatis, ut non uacetis

diſceptationibus

diſceptationibus cogitationum, id eſt ut ne detis in hoc operam diſputationibus, & contentionibus ueſtris; Ita quòd alius cogitet hanc, uel illam carnem eſſe manducandam; & alius ab hac, uel ab illa carne eſſe abſtinendum putet, propter diuerſas diuerſorum populorum inſtitutiones & leges.

ALIVS ENIM CREDIT SE MANDVCARE OMNIA: QVI AVTEM INFIRMVS EST, OLVS MANDVCAT.

H *ic reddit rationem, quamobrem inter ſe de eſu, & abſtinentia carnis diſceptarent, dicens, quòd propter hoc inter ſe altercabantur, quia aliqui eorum (puta* Gentiles*) exiſtimabant ſe licite de omnibus poſſe manducare;* Alij *uero, qui nondum firmi erant in fide (puta* Iudæos*) non modo abſtinebant ab eſu illarum carnium, quas per legem ſuam immundas exiſtimabant, ſed etiam penitus ab eſu omnium carnium cauebant; ita, ut tantum herbas, & olera manducarent.*

IS, QVI MANDVCAT, NON MANDVCANTEM NON SPERNAT; ET QVI NON MANDVCAT, MANDVCANTEM NON IVDICET; DEVS ENIM ILLVM ASSVMPSIT.

P *ropoſita cauſa diſſenſionis inter illos de eſu carnium, nunc utroſque admonet, ne in hac quidem re alteruter alterum contemnat.* Q*ui enim ex omnibus ueſcebantur (ut erant* Gentiles*)* Iudæos *contemnebant, qui ab aliquibus ſe abſtinebant.* Contra *uero* Iudæi Gentiles *damnabant, quòd animalia immunda, & prohibita in lege manducarent, propterea dicit.* Tu Gentilis, *qui te poſſe putas licite ex omnibus comedere, noli* Iudæum *abſtinentem ab eſu carnium aſpernari; & tu* Iudæe, *qui ſic abſtines, noli* Gentilem *de omnibus manducantem iudicare, & eum de infidelitate damnare.* Q*uonam enim modo audebis illum infidelem iudicare, quem* Deus *in fidem ſuam pertraxerit, & aſſumpſerit ad obſequium, & ſeruitium ſibi impendendum?*

TV QVIS ES, QVI IVDICAS ALIENVM SERVVM?

S *i igitur ſic eſt ò* Iudæe, *quòd* Deus Gentilem *per fidem pertraxerit, ut ille ſibi*

ſeruiret; Tu quis, & qualis es, & qua potentia polles, qui de alieno ſeruo ita temere iudicare audeas, quia neque humanæ leges hoc patiuntur, ut ab alio ſeruus, quàm à domino ſuo, debeat iudicari; præſertim in his, de quibus incertum eſt, an bono, an malo animi affectu fieri poſſint, cum ſolius Dei ſit ſecreta cordium conſpicere, & iudicare?

DOMINO SVO STAT, AVT CADIT. STABIT AVTEM. POTENS EST ENIM DEVS STATVERE ILLVM.

Iccirco ſeruus non debet iudicari, niſi à domino ſuo, quia quiſquis ſtat, aut cadit à fide ſcilicet domini ſui, iudicio eius ſolo debet iudicari; quia, ſi ſtat domino ſuo, ſtabilis ſtat; ſi uero cadit à domino ſuo, illi utique domino, & non tibi cadit: & ideo non tua, ſed domini intereſt de ſeruo ſuo iudicare. Sed ſtabit, & perſeuerabit Gentilis in fide Chriſti, cum hoc etiam eſu carnium, quem tu tantopere deteſtaris; Propterea illum non tu debes damnare, cum Deus tantæ potentiæ ſit, ut illum, ueluti ſeruum ſuum, non modo reducere de peccato, ſed etiam in fide ſtatuere, & confirmare poſſit; Quod idem de teipſo dixerat Apoſtolus ſupra, quòd quanquam ramus fractus eſſes, potens tamen erat Deus, te iterum denuo inſerere: & ideo ſiue ſtet, ſiue cadat Gentilis, nullo modo potes eum damnare.

NAM ALIVS IVDICAT DIEM INTER DIEM: ALIVS AVTEM IVDICAT OMNEM DIEM. VNVSQVISQVE IN SVO SENSV ABVNDET.

Cum ſupra dixiſſet non eſſe altercandum inter eos propter hoc, quòd alter eorum ex omnibus carnibus ueſceretur, & alter tantum olera manducaret; nunc etiam declarat non eſſe contendendum propter diuerſum modum, quo aliqui abſtinerent ab eſu carnium; quia nonnulli iudicabant, id eſt putabant eſſe abſtinendum ab eſu carnium interpoſitis diebus: nonnulli uero iudicabant omnibus diebus penitus eſſe abſtinendum ab illis; Propterea dicit Apoſtolus, quòd alius iudicat diem inter diem, hoc eſt, unum magis, quàm alium diem eligit in quo abſtineat ab eſu carnium; & alius omnem diem, hoc eſt, non interpoſitis, ſed continuatis diebus ab eodem carnis uſu abſtinendum eſſe decernit. Siue igitur interpoſitis diebus, ſiue omnibus diebus abſtineamus, non eſt in hac re nimium intendendus animus. Vnuſquiſque enim ſiue hoc, ſiue aliud faciat, ſuo quidem arbitrio, &

ſenſu

ſenſu faciet; nam in hiſce rebus peragendis eſt nobis ſentiendi abundantiſſima libertas conceſſa, dummodo à ſuperioribus noſtris aliter faciendi nobis mandatum non fuerit.

QVI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT. ET QVI MANDVCAT, DOMINO MANDVCAT. GRATIAS ENIM AGIT DEO. ET QVI NON MANDVCAT, DOMINO NON MANDVCAT. ET GRATIAS AGIT DEO.

P *robat nunc, quod dixerat, ſcilicet, quòd abſtinentia, & eſus carnium ſine peccato fieri poſſint, dicens. Siquis ob Dei amorem diem ſapit, id eſt diſcernit diem, in quo ſibi abſtinendum putet, domino quidem diem talem in abſtinendo ab alijs diebus diſcernit, qui uero diem talem manducando, propter dominum, id eſt propter libertatem à domino omnibus conceſſam, non eo modo obſeruauerit: ſi manducauerit, domino manducauerit. Quod probat, quia, dum gratiam Domino referimus de donis nobis ad manducandum conceſſis, Domino manducamus (niſi enim ille tot dona nobis conceſſiſſet, utique non manducaremus) & qui omnino abſtinent, & non manducant, ob gratiam Dei domino nõ manducant, & in hoc quoque gratiã referunt Deo pro abſtinentia illis conceſſa; & propter hoc, ſiue comedamus, ſiue non comedamus, quia utrunque horum Dei gratia facimus, de neutro illorum à quoquam debemus iudicari, & damnari.*

NEMO ENIM NOSTRVM SIBI VIVIT, ET NEMO SIBI MORITVR. SIVE ENIM VIVIMVS, DOMINO VIVIMVS: SIVE MORIMVR, DOMINO MORIMVR. SIVE ERGO VIVIMVS, SIVE MORIMVR, DOMINI SVMVS.

V *ere quidem Domino manducamus, & eidem non manducamus, cum alterutrum eorum facimus, quia nemo noſtrum, ſcilicet fidelium ſibi uiuit, & nemo ſibi ipſi moritur. Siue enim uiuimus de illis cibis manducantes, quos Chriſtus nobis manducandos permiſit, Deo quidem, qui hanc libertatem nobis conceſſit, uiuimus; ſiue etiam morimur ab aliquibus cibis abſtinentes, ut corpora noſtra mortificemus, Domino quidem morimur. Quare ſiue comedamus de omnibus cibis, & uiuamus; ſiue abſtineamus ab eiſdem, & moriamur, Domini quidem ſumus, cuius cauſa comedimus, & abſtinemus. Quòd autem nos fideles tam ui-*

uentes, quàm morientes Domini ſimus, rationem adducit, dicens. Ideo enim Domini ſumus tam uiui, quàm mortui, quia ille propter hoc mortuus eſt, & idem etiam reſurrexit, ut dominium haberet tam ſuper uiuos, quàm ſuper mortuos: ſuper uiuos quidem; quia morte ſua nos peccato mortuos reuiuiſcere fecit, deſtruendo mortem peccati: ſuper mortuos autem, quia per reſurrectionem ſuam fecit, ut nos quoque, cum mortui fuerimus, aliquando reſurrecturi ſimus.

IN HOC ENIM CHRISTVS MORTVVS EST, ET RESVRREXIT: VT ET VIVORVM, ET MORTVORVM DOMINETVR. TV AVTEM QVID IVDICAS FRATREM TVVM? AVT TV QVARE SPERNIS FRATREM TVVM? OMNES ENIM STABIMVS ANTE TRIBVNAL CHRISTI. SCRIPTVM EST ENIM. VIVO EGO (DICIT DOMINVS) QVONIAM MIHI FLECTETVR OMNE GENV; ET OMNIS LINGVA CONFITEBITVR DEO. ITAQVE VNVSQVISQVE NOSTRVM PRO SE RATIONEM REDDET DEO.

S*i itaque nos tam uiuentes, quàm morientes Domini ſumus, cur ergo tu Iudæe Gentilem fratrem tuum de omnibus cibis manducantem damnare, & iudicare præſumis? & cur tu Gentilis Iudæum fratrem tuum abſtinentem ab eiſdem cibis, quos tu manducas, audes contemnere, & aſpernari? Quandoquidem is, qui de ſe ipſo redditurus eſt rationem Chriſto in his, quæ bono, uel malo animi affectu fieri poſſunt, non debet à quoquam alio, niſi ab ipſo Chriſto iudicari; ſed omnes de ſe ipſis tum Iudæi, tum Gentiles Chriſto redditurí ſunt rationem. Igitur neq; Iudæi, neq; Gentiles à quoquam alio, præterquam à Chriſto debent iudicari, quod quidem intelligendum eſt de illis operationibus, quæ quidem hominibus incertæ ſunt: ſicuti iſtæ ſunt, ut eſus, aut abſtinentia carnium, quæ quidem & bono, & malo animi affectu fieri poſſunt. Quòd uero tum Iudæi, tum Gentiles de ſe ipſis Chriſto debeant reddere rationem, probat Apoſtolus ex hoc, quòd omnes ſiue Iudæi, ſiue Gentiles in die Iudicij ſtabunt ante tribunal Chriſti iudicantis; Cum hoc multis antea ſæculis prædictum fuerit ab Eſaia loquente in perſona Chriſti, & ſic dicente. Viuo ego (dicit Dominus). Quamuis enim crucifixus, mortuus, & ſepultus ſim, uiuo equidem, quia reſurrexi; & ſic mihi*

Eſa. 45.

mihi uiuenti omnium hominum genua incuruabuntur, & omnium hominum linguæ mihi reddent rationem de his, quæ geſſerint, confitentes mihi, & opera, & actus ſuæ ipſorum uitæ.

NON ERGO AMPLIVS INVICEM IVDICEMVS; SED HOC IVDICATE MAGIS, NE PONATIS OFFENDICVLVM FRATRI, VEL SCANDALVM.

Cum tot rationibus perſuaſiſſet abſtinendum eſſe à iudicio temerario, & à contemptu fratris, quando eum damnant de his, quæ poſſunt fieri recta intentione: nunc admonet eoſdem, ne proximum ſcandalo afficiant, & dicit. Ex his igitur rationibus, quas diximus, non ultra debetis alternatim iudicium ferre, hoc eſt proximi conſcientiam, & ſecreta cordis illius iudicare, & damnare. Hoc eſt enim ſolius Dei, cuius eſt proprium ſecreta cordium penetrare. Quòd, ſi quem uos iudicare, & damnare debetis, eum potius iudicetis, & damnetis, qui eſt impedimento fratri, ne bene operetur; & eundem ſcandalo afficit, cum ille ea fieri uideat, quæ contra cultum Dei eſſe exiſtimet.

SCIO, ET CONFIDO IN DOMINO IESV, QVIA NIHIL COMMVNE PER IPSVM: NISI EI, QVI EXISTIMAT QVID COMMVNE ESSE, ILLI COMMVNE EST,

Poſtquam dixerat, ne poneremus ſcandalum, & offendiculum fratri in eſu ciborum, nunc declarat, quòd iſtud ſcandalum non poteſt poni in cibis ſecundum ſuam naturam conſideratis: quia dicit Apoſtolus, ſe ſcire, & certum habere, non ex ſuo cogitatu, ſed ex ſpiritu Domini ſeruatoris noſtri, quòd nullus cibus per ſe ſit communis, id eſt inquinatus, uel immundus per ipſum, id eſt per Chriſtum, qui abſoluit nos ab obſeruantijs cærimonialium diſcernentibus inter mundos, & immundos cibos; Vſus eſt autem hoc nomine communis, quia immundi cibi, quibus Hebræi non ueſcebantur, hoc nomine apud ipſos appellabantur. Vnde in Marco legimus, diſcipulos Chriſti à Phariſæis reprehenſos eſſe, quòd cõmunibus manibus, hoc eſt immundis, & illotis manducarent. Sed apud Gentiles omnes mundi erant cibi; & ideo cibi ſecundum ſuam naturam, cum immundi non eſſent, ſordidi, & immundi erant tantum propter opinionem Iudæorum, qui immundos eos eſſe exiſtimabant. Illis igitur tantum immundi erant Marc.7.

cibi, qui cogitabant eos eſſe immundos.

SI ENIM PROPTER CIBVM FRATER TVVS CONTRISTATVR, IAM NON SECVNDVM CHARITATEM AMBVLAS.

Quanquam enim cibi ſecundum propriam naturam non ſint inquinati, neq; immundi, nemo tamen ex uobis debet propter cibum mœſtum reddere fratrem, & proximum ſuum; quia qui hoc faceret, non ambularet ſecundum charitatem; ſed qui utitur cibis apud fratrem, & proximum ſuum, eos immundos eſſe exiſtimantem, afficit illum triſtitia & ſcandalo. Igitur, ſi non aliam ob cauſam, talibus cibis ueſci non debes propter ſcandalum. Propterea dicit, ſi propter cibum, quo ueſceris, mœrore afficis fratrem tuum, quonam modo obſeruabis charitatem, & ambulabis in illa, quam Chriſtus præ cæteris omnibus uirtutibus ſeruandam inſtituit?

NOLI CIBO TVO ILLVM PERDERE, PRO QVO CHRISTVS MORTVVS EST.

Non modo non debes afficere dolore fratrem tuum utens cibis communibus: ſed noli etiam cibo eo, quo tu putas licenter, & libere ueſci poſſe, illum perdere, & ad interitum trahere, quem Chriſtus ne periret, morte ſua uoluit liberare. Quoniam ſi ſic faceres, contra charitatem fratribus tuis debitam ambulares: Nam dum tu non uis à cibo, quem probas, abſtinere, eum perdere niteris malo iſto tuo exemplo, pro cuius ſalute Chriſtus mori non recuſauit.

NON ERGO BLASPHEMETVR BONVM NOSTRVM. NON EST ENIM REGNVM DEI ESCA, ET POTVS.

Etſi hanc libertatem nos habeamus utendi omnibus cibis, tamen illa libertate non ſemper utamur. Dicebant enim Gentiles, quòd Chriſtus liberos eos fecerat, & ideo poterant per iſtam libertatem omnibus cibis ueſci. Dicit igitur Apoſtolus. Quanquam hoc uerum ſit, abſtinendum tamen eſſe puto ab iſtis communibus cibis, quando opus fuerit; ne bonum noſtrum, id eſt ne hæc noſtra libertas per Chriſtum conceſſa à Iudæis damnetur: Præſertim quia regnum Dei non conſiſtit in cibo, & potu; propter hoc, quia iſtud regnum non conſequimur per eſcam,

& potum;

& potum; ſed magis per charitatem, & abſtinentiam.

SED IVSTITIA, ET PAX, ET GAVDIVM IN SPIRITV SANCTO. QVI ENIM IN HOC SERVIT CHRISTO, PLACET DEO, ET PROBATVS EST HOMINIBVS.

Vere regnum Dei neque in cibo, neque in potu, ſed magis in iuſtitia illa conſiſtit, qua Deo reddimus debitum, & iuſtum cultum, & in pace etiam conſiſtit, qua fratres noſtros neque iniurijs prouocamus, neque ullo ſcandalo perturbamus; & in gaudio illud idem regnum Dei conſiſtit, quod ex eadem iuſtitia, & pace naſcitur: Quod quidem gaudium non in his mundi oblectationibus non in luxu ciborum, ſed in Spiritu ſancto hæc omnia nobis donante perficitur: Qui enim hæc fecerit, & in his Chriſto inſeruiuerit, & non uſus fuerit illa libertate ciborum in ſcandalum fratris, nobis conceſſa per Chriſtum, ille quidem Deo acceptus erit, & idem etiam erit dignus commendatione apud homines.

ITAQVE, QVAE PACIS SVNT, SECTEMVR: ET QVAE AEDIFICATIONIS SVNT, INVICEM CVSTODIAMVS.

Per ea autem, quæ ſuperius dicta ſunt, nunc concludendo dicit. Quòd ea, quæ ad pacem, & mutuam charitatem conſeruandam pertinent, ſummo ſtudio, ac diligentia debeamus omnino conſeruare; & dicit etiam, quòd ea omnia, quæ ad conſtructionem, & ædificationem fidei ſpectant, mutua & intentiſſima animi ſolicitudine debeamus cuſtodire; quod quidem perficiemus, ſi libertate illa nobis per Chriſtum conceſſa, ut de omnibus ueſci poſſimus, non in ſcandalum tamen fratris, uſi fuerimus.

NOLI PROPTER ESCAM DESTRVERE OPVS DEI.

Opus enim Dei uocat ſalutem proximi, ueluti diceret. Noli ſalutem proximi tui, quam Chriſtus ſuo ſanguine comparauit, eſcæ, ac cibi gratia deſtruere; quam quidem propter ſcandalum abſtinendo conſeruabis.

OMNIA QVIDEM SVNT MVNDA: SED MA-

LVM EST HOMINI, QVI PER OFFENDICVLVM MANDVCAT.

P oſſet aliquis dicere, cur tot rationibus prohibes nobis, ne de omnibus cibis manducemus, cum omnes cibi mundi ſint, & nullus cibus per Chriſtum ſit immundus, & conſequenter talibus cibis ueſci, malum non ſit? Cui dubitationi reſpondet Apoſtolus, concedendo, omnes quidem cibos ſecundum ſui naturam mundos eſſe, ſed uſum aliquando illorum malum eſſe poſſe; ſcilicet ſi propter eſum illius cibi fratri, uel proximo noſtro ſcandalum aggenerauerimus. Tunc enim, quod bonum eſt ex ſe, propter tamen illius malum uſum, uertetur in noſtram iacturam.

BONVM EST NON MANDVCARE CARNEM, ET NON BIBERE VINVM; NEQVE IN QVO FRATER TVVS OFFENDITVR, AVT SCANDALIZATVR, AVT INFIRMATVR.

N on modo eſſe abſtinendum dico ab ijs cibis, qui poſſent ſcandalo afficere fratrem; immo bonum eſſe aſſero ab omnibus carnibus, & ab omni uino, & ab omni alia re abſtinere, propter cuius uſum fratrem ſcandalizaremus: Quæ licet ſecundum ſui naturam mala non ſint, ne tamen fratrem noſtrum offendamus, hoc eſt, ad iram prouocemus, aut ſcandalo afficiamus, præſtantes illi occaſionem cadendi, aut minus fortis in fide deueniendi, ab eis utile eſt abſtinere.

TV FIDEM HABES PENES TEMET IPSVM; HABE CORAM DEO.

P oſſet aliquis Gentilium dicere. Omnia, quæ fidei, aut conſcientiæ meæ conueniunt, comedere poſſum: Omnes autem iſti cibi conueniunt fidei, & conſcientiæ meæ, ergo ex omnibus illis ſine peccato ueſci poſſum. Cui reſpondens Apoſtolus, dicit; etſi omnes iſtos cibos putes eſſe mundos, & puros ſecundum fidem, & conſcientiam tuam, quam habes penes te ipſum, iſtam tamen fidem, & conſcientiam non adeo firmam debes habere coram te ipſo, ut ſolus illam probes; ſed habere eandem quoq; debes coram Deo, qui, quantumcunq; omnes eſcas mundas eſſe uoluerit, ſi tamen illis ueſceris in ſcandalum proximi, hanc tuam fidem & conſcientiam minus comprobabit, quia à ſcandalo proximi iubet nos ſummopere abſtinere, propterea ſubdit.

BEATVS, QVI NON IVDICAT SEMET IPSVM IN EO, QVOD PROBAT.

Quòd ſi fides, & conſcientia tua non te dijudicat, neque te condemnat in eſu eorum ciborum, quos tu probas, & bonos eſſe putas, beatus es. Nam ille ſuo ſe iudicio condemnat, ac reum facit, qui eis cibis utitur, à quibus fides, & conſcientia ſua propter ſcandalum proximi ſui ſuadet ſibi eſſe abſtinendum. Quare ſiquis aliquos cibos fide ſua bonos eſſe putat, & in eorum uſu nulli arbitratur ſe dare ſcandalum, is quidem beatus eſt, quia in eo, quod facit, ſe ipſum non putat poſſe condemnari.

QVI AVTEM DISCERNIT, SI MANDVCAVERIT, DAMNATVS EST; QVIA NON EX FIDE.

Siquis uero diſcreuerit inter eos cibos, quibus ueſcitur, quia ſua ipſius conſcientia eum admoneat, ab aliquo eorum abſtinendum, ſi de illo ederit, iam damnatus erit; quoniam, quem fides, & conſcientia ſua ſuadebat illi uitandum eſſe, cibum manducauit: Is enim, qui facit opus contra conſcientiam ſuam, peccat; quia facit id, quod fides & conſcientia ſua peccatum eſſe iudicabat.

OMNE AVTEM, QVOD NON EST EX FIDE, PECCATVM EST.

Rationem adducit, cur ille manducando de ijs, quæ putat eſſe immunda, damnatus ſit, dicens. Omne autem, ſcilicet quod ad manducandum pertinet, quod non eſt ex fide, id eſt quod non creditur eſſe mundum ſecundum fidem, & conſcientiam, ſi ex eo manducauerit quis, ſtatim in peccatum incurret, quia, quod ille ſecundum fidem, & conſcientiam ſuam immundum eſſe putabat, manducauit.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

DEBEMVS AVTEM NOS FIRMIORES IMBECILLITATES INFIRMORVM SVSTINERE, ET NON NOBIS PLACERE.

Supra copioſe ſatis hortatus fuerat firmiores in fide, ne propter cibum, quo ueſcerentur, fratres ſuos ſcandalo perturbarent; nunc eoſdem etiam hortatur, ut una ſecum onus, & curam inſtituendi proximos infirmiores ſuſcipiant, & eorum imbecillitati ſimul opem ferant, tanquam eis hoc maxime conueniat, qui ſint fundati in fide. Non enim Iudæi, qui paulo antea uenerant ad fidem, ſuadere ſibi poterant, quòd ea, quæ in lege eorum Deus inquinata, & immunda eſſe iudicauerit, poſtea Chriſtus per legem ſuam munda eſſe uoluerit. Et ſic dicit Apoſtolus. Eorum imbecillitati ſuccurramus, ut non nobis ipſis tantum placeamus, ſcilicet utendo eis cibis coram illis, à quibus ipſi abſtinent.

VNVSQVISQVE VESTRVM PROXIMO SVO PLACEAT IN BONVM AD AEDIFICATIONEM.

Cum igitur non tantum nobis ipſis complacendum ſit, unuſquiſque ergo noſtrum ſummo ſtudio curet placere proximo ſuo, in bonum tamen, id eſt non in malis, ſed in bonis operibus, quæ ad ædificationem fidei pertineant, quoniam finis noſtrorum operum eſt ædificare proximum noſtrum in ſtabili, ac firmo fidei fundamento.

ETENIM CHRISTVS NON SIBI PLACVIT: SED SICVT SCRIPTVM EST. IMPROPERIA IMPROPERANTIVM TIBI CECIDERVNT SVPER ME.

Exemplo Chriſti docet, non nobis, ſed proximi ſaluti placendum eſſe; & dicit. Similiter enim Dominus, & præceptor noſter Chriſtus non ſibi placuit, id eſt non ita ſibi, & infirmitati naturæ humanæ ſuæ indulſit, ut repudiaret pro ſalute noſtra carne ſuſcepta paſſibili tot cruciatus, & tormenta perferre. Vnde patri ſuo loquens (Propheta atteſtante) inquit. Omnia improperia, & opprobria, & peccata omnium hominum, qui aduerſus te patrem meum peccauerunt, ſuper me reciderunt. Nam ego ſolus omnium hominum peccata expiaui, dum ſanguinem meum in cruce fudi: & ita non mihi, ſed illorum potius ſaluti conſului. Ipſe enim ſolus unigenitus Filius tuus de cœlo deſcendi, fragilem carnem ſuſcepi, ut morte mea acerbiſſima ſaluti proximi ſubuenirem.

Pſal. 68.

QVAECVNQVE ENIM SCRIPTA SVNT, AD

noſtram

NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SVNT: VT PER PATIENTIAM, ET CONSOLATIONEM SCRIPTVRARVM SPEM HABEAMVS.

Non ſolum autem ea, quæ nunc Apoſtolus retulit ex Propheta de Chriſto dicta; ſed & alia omnia, quæ de eodem ab omnibus alijs Prophetis longe antea prænunciata fuerunt, non ſolum ad texendam hiſtoriam, uerum etiam ad eruditionem noſtram prædicta fuerunt, ut exinde edocti Chriſtum imitaremur. Omnis nanque Chriſti actio fuit noſtra inſtitutio. Inſtructi enim per ſcripturas ſacras ſi opera Chriſti imitati fuerimus, uere Chriſtiani nomine digni erimus; & maxime ſi patientiam illius imitari ex animo ſtuduerimus, conſolationem demum, per eaſdem ſcripturas nobis promiſſam, quam certiſſimam ſperamus, aliquando conſequemur. Eædem enim ſcripturæ, quæ nobis patientiam Chriſti imitandam proponunt, eædem etiam felicitatem eius pollicentur.

DEVS AVTEM PATIENTIAE, ET SOLATII DET VOBIS ID IPSVM, SAPERE IN ALTERVTRVM, SECVNDVM IESVM CHRISTVM; VT VNANIMES VNO ORE HONORIFICETIS DEVM, ET PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Et quia difficile admodum potuiſſet uideri, quomodo ſimplex homo ita imitaretur Chriſtum, ut eius patientiam aſſequi uirtute poſſet; propterea dicit Apoſtolus. Quanquam eius patientiam ueſtra infirmitate aſſequi non poſſitis, Deus tamen, qui tantæ potentiæ eſt auctor, & ueræ conſolationis retributor, concedet uobis illud idem ipſum ſentire, ut alter alteri, id eſt alter alterius imbecillitati opituletur, ut ſeruator noſter Chriſtus pro noſtra ſalute fecit; Nam ſi alternatim uobis inuicem opitulati fueritis: ſi firmi in fide infirmis ſubueneritis: ſi idem inter uos ſenſeritis eſſe ſeruandum, quod præcepit uobis Ieſus Chriſtus, tunc uere una uoce, unoq; conſenſu omnes honorem reddetis Deo, & patri domini noſtri Ieſu Chriſti; quibus cum una eademq; ſit uoluntas, eadem quoque præcepta exiſtimanda ſunt eſſe ab utroq; inſtituta. Et ſic nulla inter uos erit diſcordia de diſcernendis cibis, quos uos uel mundos, uel immundos eſſe exiſtimatis. Quapropter cum Paulus tot rationibus copioſe admodum hanc eorum diſcordiam, ex differentia ciborum exortam, tollere annixus ſit, exiſtimare debemus, hanc unam ex maximis, quæ inter Iudæos, & Gentiles eo tempore uigerent,

contentionibus fuiſſe; propter quam alter ab altero religione, & cultu, & mutua conſuetudine ſegregati uidebatur; ideo ſubiungit.

PROPTER QVOD SVSCIPITE INVICEM, SICVT ET CHRISTVS SVSCEPIT VOS, IN HONOREM DEI.

Vt autem uno ore, unanimiq; conſenſu glorificetis Deum ipſum, alter alterum ſuſcipiat in charitate; ita, ut neque tu Iudæe quicquam temere de Gentili iudices; neq; tu Gentilis Iudæum parum in fide firmum reijcias, ita, ut per contentionem ciborum adinuicem ſeparemini; ſed ſimul conuenite, & omnes uiciſſim mutuæ imbecillitati fraterna charitate ſubuenite. Nam hoc modo Chriſtus etiam ſuſcepit uos, neque te Gentilem idolatram deſpexit, quin uocauerit: neque etiam te Iudæum non credentem, & contradicentem eſt ita aſpernatus, ut tibi etiam miſericordiam ſuam non ſit elargitus. Si igitur Chriſtus uos utroſq; in honorem Dei tanta pietate ſuſcepit, ita & uos Deum ipſum honorificetis, & uos ipſos in nomine eius inuicem ſuſcipiatis.

DICO ENIM CHRISTVM IESVM MINISTRVM FVISSE CIRCVNCISIONIS, PROPTER VERITATEM DEI, AD CONFIRMANDAS PROMISSIONES PATRVM.

Probat, Chriſtum utroſque, ſcilicet Gentilem, & Iudæum, ſuſcepiſſe in honorem Dei. Iudæum quidem ſuſcepit, nam Chriſtus fuit miniſter Iudæorum, quia
Math. 15. *nulli alteri populo prædicauit, ſeq; dicebat, per ſe ipſum, ſolum ueniſſe ad ſalutem ouium, quæ periſſent ex domo Iſrael. Cæteris uero Gentibus non per ſe ipſum, ſed per Apoſtolos prædicauit, & hoc fecit, ut ueritas Dei firma maneret, & promiſſionibus patribus factis à Deo ſatisfaceret; Quibus præcipue promiſerat, quòd per ſuum ipſorum ſemen benedictionem eſſent perpetuam conſecuturi; & ſic, ut Deus uerax redderetur in ſuis promiſſionibus, quas fecerat, per filium ſatisfaciens illas confirmauit.*

GENTES AVTEM SVPER MISERICORDIA HONORARE DEVM, SICVT SCRIPTVM EST.

Probauit Iudæos fuiſſe ſuſceptos à Chriſto propter promiſſiones factas patribus

eorum

eorum : Probat autem nunc Gentiles eſſe etiam ab eodem ſuſceptos ; & quia illi per nullam promiſſionem, ſed per ſolam Dei miſericordiam fuerant uocati, ideo dicit. Vos autem gentes, quæ per ſolam Dei miſericordiam eſtis ſuſceptæ, debetis ſuper miſericordia uobis communicata Deum uenerari ; & quia de promiſſionibus factis populo Iſraelitico, & ſuſceptione illius ſatis conſtabat ; & quia durum admodum uidebatur Iudæis, quòd Gentiles etiam uocati eſſent ad ſalutem ; Ideo multis auctoritatibus ſcripturæ probat, etiam Gentilium uocationem, & primo teſtificatione Dauidis dicentis. Pſal. 17.

PROPTEREA CONFITEBOR TIBI IN GENTIBVS DOMINE, ET NOMINI TVO CANTABO.

Inducit Prophetam in perſona Chriſti dicentem. Ò Domine, quia per me Gentes conſecutæ ſunt miſericordiam, ideo ego Filius tuus in Gentibus, id eſt per ora Gentium confitebor tibi, quòd tu me miſeris ; & per ora earundem Gentium concinam tibi laudes ; & ex hoc effectu probat Apoſtolus Gentium ſuſceptionem.

ET ITERVM DICIT. LAETAMINI GENTES CVM PLEBE EIVS.

Amplificat probationem initam alia auctoritate Eſaiæ, quæ colligi poteſt ex ſenſu illius, licet non uideantur adeo accommodata eſſe uerba. Ibi enim Propheta, dum de ſeruatore noſtro uaticinaretur, dicit, quòd in aduentu ſuo Gentes una cum populo Iudaico (quam plebem ſuam uocat) eſſent ob eundem exultaturæ : Quod non fieret, niſi & ipſæ eſſent à Chriſto ſuſceptæ. Putant tamen aliqui, auctoritatem iſtam ſumptam eſſe à Dauide, quanquam uerba ſic poſita apud eum non inueniantur ; Propterea quia dicit, & iterum, Quod quidem uerbum importare uidetur non eundem Prophetam, ſed eandem ſententiam dictam quoque fuiſſe ab altero Propheta. Eſa. 66.

ET ITERVM. LAVDATE OMNES GENTES DOMINVM, ET MAGNIFICATE EVM OMNES POPVLI.

Proſequitur illud idem probando alia etiam auctoritate Prophetæ Dauidis, qui Pſal. 116.

Gentes hortatur, ut Deum laudent; & omnes populos, ut eius magnificentiam prædicent. Niſi enim eos ſuſcepiſſet Chriſtus, neque illum laudarent, neque magnificarent.

ET RVRSVS ESAIAS AIT. ERIT RADIX IESSAE; ET QVI EXVRGET REGERE GENTES, IN EO GENTES SPERABVNT.

Eſai. 11. *Concludit iam probationem ſuam in Eſaia, qui iterum etiam prædixit hanc Gentium uocationem, ubi inquit. Ex radice Ieſſe patris Dauid naſcetur Chriſtus, qui non modo Gentibus imperabit, uerum etiam in quo Gentes ſpem ſuam collocabunt: & ſic niſi Gentes fuiſſent ſuſceptæ à Chriſto, neque ab ipſo regerentur, neque in illo ſpem ſuam poſuiſſent; & ſic copioſe utroſque tam Iudæos, quàm Gentiles à Chriſto fuiſſe ſuſceptos clariſſimorum Prophetarum auctoritatibus demonſtrauit.*

DEVS AVTEM SPEI REPLEAT VOS OMNI GAVDIO, ET PACE IN CREDENDO; VT ABVNDETIS IN SPE, ET VIRTVTE SPIRITVS SANCTI.

Quia ſuperius auctoritatibus Prophetarum confirmauerat utriuſque Populi ſcilicet Iudæorum & Gentilium uocationem; & deinde, quòd uterque eorum non modo in Chriſto lætari, ſed ſpem omnem ſuam in illo collocare deberet; Nunc pro illis deprecando, dicit. DEVS AVTEM SPEI: *ideſt Deus, qui promiſſam uobis felicitatem ſperare facit, & in quo ſpes ueſtræ (teſte Eſaia) ſitæ ſunt, lætitia & tranquillitate uos impleat. Illa (inquam) lætitia, & tranquillitate, de qua prædictum eſt à Prophetis, de uobis ipſis uaticinantibus, & futurum uobis Miſſiam pronunciantibus. Repleamini quidem gaudio, & pace, credendo etiam omnibus his, quæ tum de Chriſto, tum etiam de ueſtra utriuſq; populi ſuſceptione ſcripta ſunt à Prophetis, ut ſic firmiter credentibus in uobis ſpes futuræ retributionis magis exuberet; Vtq; etiam uirtus Spiritus ſancti in confirmatione, per manus Apoſtolorum uobis tradita, magis operetur ſalutem ueſtram.*

CERTVS SVM AVTEM FRATRES MEI ET EGO IPSE DE VOBIS; QVONIAM ET IPSI

pleni

PLENI ESTIS DILECTIONE, REPLETI OMNI SCIENTIA; ITA VT POSSITIS ALTERVTRVM MONERE.

Cum in præcedenti parte epiſtolæ Apoſtolus multis rationibus & auctoritatibus ſtatum tum Iudæorum, tum Gentilium deſcripſiſſet, eosq; diſſidentes tanto ſtudio cõponere ſtuduiſſet, ne arroganter id feciſſe uideretur, & ut nos omnes ad hanc humilitatem ſeruandam ſuo exemplo incitaret, dicit. Certus ſum tum ex aliorum ſermone, tum etiam ex multis experimentis, quòd uos fratres mei non modo eſtis amore, & beneuolentia referti, uerum etiam in omni ſcientia, & cognitione ſcripturarum ita excellitis, ut neque meis monitionibus, aut hortamentis, neque etiam ulla mea eruditione egeatis: ſed uos ipſi poſſitis alternatim in his, quæ ad ſalutem ueſtram ſpectent, uos ipſos commonefacere, & erudire.

AVDACIVS AVTEM SCRIPSI VOBIS FRATRES EX PARTE, TANQVAM IN MEMORIAM VOS REDVCENS.

Et, quamuis ò fratres pro comperto habeam, quòd abſque alia mea doctrina poſſitis adinuicem commoneri, ſcripſi tamen uobis audacius, id eſt confidentius; ita, ut apud aliquem ueſtrum fortaſſis hæc confidentia mea in audaciam adſcribi poſſit, quaſi ſupra id, quod par erat, tot admonitionibus ac rationibus uos ad pacem ſeruandam commonefecerim. Verum nec omnia, quæ in hac re potuiſſent ſcribi, uobis ſcribenda putaui, ſed ex parte tantum aliqua ſignificaui, quia illa tantum ſcripſi, quæ uos ad tranquillitatem, & pacem deducere poſſint: Et ea etiam, quæ ſcripſi, non ea ratione, ut uos docerem, ſcripſi, ſed, ut ad memoriam, & recordationem earum rerum, quas noueratis, uos excitarem: Ita, ut magis morem ſeruauerim illius, qui ad memoriam res oblitas proximo deducit, quàm illius, qui alterum docet.

PROPTER GRATIAM, QVAE DATA EST MIHI A' DEO, VT SIM MINISTER CHRISTI IESV IN GENTIBVS.

Neque putetis me id temere, aut propria auctoritate feciſſe; Deus enim non meis quidem meritis, ſed ſola ſua gratia ad id me munus perficiendum miſit, ut miniſterium hoc ſcribendi, & prædicandi de Chriſto filio ſuo exercerem inter

Gentes, ut & illæ prædicatione mea Chriſti miſericordiam conſequantur.

SANCTIFICANS EVANGELIVM DEI, VT FIAT OBLATIO GENTIVM ACCEPTA, ET SANCTIFICATA IN SPIRITV SANCTO. HABEO IGITVR GLORIAM IN CHRISTO IESV, AD DEVM.

Quale autem munus exerceret inter Gentes declarat, & dicit, quòd munus ſuum eſt in ſanctificando Gentibus Euangelium Dei, quod quidem Euangelium Apoſtolus ipſe mundabat ab erroribus, & hereſibus. Multi enim in illa prope naſcentis eccleſiæ origine pſeudo Apoſtoli inueniebãtur, qui adulterauerant Euangelium Dei. Mundo autem ego (inquit) Euangelium, ut per talem bonam enunciationem ſanctificatam fiat oblatio Gentium, id eſt ut Gentes, à me oblatæ Deo per ipſum Euangelium, ſint illi acceptæ, & gratæ, & mundatæ ab omni ſua impietate, & idolatria; & hoc in Spiritus ſancti uirtute, qui nobis ſubminiſtrat omnem ueritatem; & qui per os Apoſtoli loquebatur; Quòd autem per gratiam Dei emundauerim Euangelium, & per illud idem Gentes multas Deo mundas obtulerim, non ipſi mihi hoc donum arrogo, neque attribuo; ſed ſoli Deo, cui omnis gloria referenda eſt per Ieſum Chriſtum, qui me ad hoc munus peragendum gratia & benignitate ſua uocare dignatus ſit.

NON ENIM AVDEO ALIQVID LOQVI EORVM, QVAE PER ME NON EFFECIT CHRISTVS IN OBEDIENTIAM GENTIVM, VERBO, ET FACTIS, IN VIRTVTE SIGNORVM, ET PRODIGIORVM, IN VIRTVTE SPIRITVS SANCTI.

Quoniam ſe ſuperius miniſtrum miſſum ad Gentes aſſeruit, nunc dicit, quòd non audet ſe iactare de his, quæ Chriſtus per illum non effecerit, dum illi obediendo Gentibus miniſtraret, ne ex alienis factis gloriam ſibi aliquam uideatur aucupari; ſed tantum audet loqui de his, quæ per Chriſtum ipſe operatus eſſet, dum miniſterio ſuo fungeretur, prædicando Gentibus; ac ſi diceret. Non audeo uobis loqui ſupra id, quod operatus ſum, ſed ſolum ea dicere audeo, quæ per me, & per meam prædicationem fecit Chriſtus, dum Gentibus miniſtrarem, illisq; inſeruirem, ut præcepto Chriſti obtemperarem. Quonam autem genere miniſterij

miniſterij uſus fuerit inter Gentes, declarat; Quia uſus eſt uerbo prædicationis, uſus deinde eſt operibus, uel in uirtute, quam Deus illi dedit, ad ſigna, id eſt minora miracula facienda: uel in illa uirtute, quam illi tribuit Deus, ad prodigia, id eſt maiora miracula operanda, quæ omnem excedant naturæ facultatem, quemadmodum cum Euthicum mortuum reſuſcitauit. Aegritudines autem curare, morbos pellere, ſigna potius, quàm prodigia dicuntur, quia natura ipſa ex ſe poteſt illa hæc operari. Adiunxit autem ſe hæc feciſſe in uirtute Spiritus ſancti, ut omnia genera gratiarum, quæ Apoſtolus operabatur, non ſua ipſius uirtute, ſed Spiritus ſancti gratia ſe facere demonſtraret.

ITA VT AB HIERVSALEM PER CIRCVITVM, VSQVE AD ILLYRICVM REPLEVERIM EVANGELIVM CHRISTI.

Oſtenſo quomodo Gentibus prædicauerit, & miniſter illarum fuerit, nunc quibus in locis, & inter quas Gentes miniſterio ſuo uſus fuerit, oſtendit, dicens. Ab Hieruſalem, id eſt ab ipſa ciuitate, & regione Iudæorum, uſque ad Illyricum. Illyria autem regio eſt ſupra mare Aegeum, Ionio, & Liburnis contermina. Per circuitum autem dicit, ut non modo profectionem ſuam fuiſſe à Hieruſalem, uſque ad Illyricos recto tramite declararet; ſed etiam per omnes circum iacentes populos oſtenderet ſe prædicauiſſe, uidelicet per Arabiam, Syriam, Ciliciam, Macedoniam, Epirum, & Illyrium, quæ omnia loca uidentur diſtare per circuitum ab Hieruſalem, in quibus dicit ſe repleuiſſe Euangelium Chriſti. Euangelium quidem repletum fuit ex multitudine Gentium credentium in ipſa bona enunciatione de Chriſto; nam Iudæi Chriſti, & Apoſtolorum enunciatione; Gentes uero prædicatione Pauli maxime conuerſæ fuerunt, & propter hoc Euangelium repletum fuiſſe dicitur, cum tam Iudæis, quàm Gentilibus prædicatum fuerit.

SIC AVTEM PRAEDICAVI EVANGELIVM HOC, NON VBI NOMINATVS EST CHRISTVS, NE SVPER ALIENVM FVNDAMENTVM AEDIFICAREM.

Poſtquam demonſtratum fuit, quibus prædicauerit Euangelium Chriſti, nunc dicit difficultatem ſuæ prædicationis; quia prædicauit illud in his locis, in quibus nulla antea mentio erat facta de Chriſto; propterea dicit ſe ſic, & cum

hac difficultate inuulgauiſſe ipſam enunciationem de Chriſto, & hoc feciſſe, ne ſuper aliorum prædicationes & fundamenta naſcentem eccleſiam Chriſti conſtruxiſſe uideretur; Quod propter pſeudo Apoſtolos dixit, qui ſolum ad eas Gentes, quæ iam crediderant prædicatum ueniebant: non enim poterant ſignis

Marc. 16. confirmare prædicationes ſuas, ut faciebant Apoſtoli. Hi enim quæ ubique locorum prædicauerunt, domino annuente, & comitantibus ſignis confirmauerunt.

SED SICVT SCRIPTVM EST. QVIBVS NON EST ANNVNCIATVM DE EO, VIDEBVNT: ET QVI NON AVDIERVNT DE EO, INTELLIGENT.

Quia igitur prædicauit Euangelium in his locis, in quibus nomen Chriſti non eſſet

Eſai. 52. antea auditum, ideo dicit, prophetiam ex Eſaia ſuſceptam hoc loco propter operam ſuam fuiſſe completam; ut ij ſcilicet, quibus de Chriſto nihil prorſus manifeſtatum fuerat per Apoſtolos ante ipſum, perſpicue ea, quæ de ipſo Chriſto dicerentur, uera eſſe uiderent, propter opera, & miracula, quæ ab Apoſtolo in nomine illius fiebant; & illi ijdem Gentiles, qui nihil prorſus de Chriſto per legem, aut Prophetas didiciſſent, ex eodem tamen Paulo prædicante aperte intelligerent, ſcilicet ex ipſa lege, & Prophetis, Chriſtum promiſſum iam ueniſſe, & ſalutem eorum iam operatum fuiſſe cognoſcerent.

PROPTER QVOD ET IMPEDIEBAR PLVRIMVM VENIRE AD VOS, ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC.

Cum ſe detentum fuiſſe in his locis cauſa prædicationis declarauerit, exinde honeſte excuſat tardiorem ſuum ad illos aduentum, quòd ſemper tamen optauerit illos uidere; quod idem teſtatur in prima parte epiſtolæ. Cauſa uero impedimenti fuit, quia circumiens illa loca prædicando Euangelium Chriſti, maxime in eo munere officij occupatus detinebatur, ne ad illos poſſet accedere; Vnde cum perſæpe hoc in animo cogitaſſet efficere, propter tamen prædicationis officium, ex quo in illis partibus Spiritu ſancto ſic iubente (ut ſupra in principio epiſtolæ dictum eſt) detentus fuerit, non potuit unquam ad illos accedere.

NVNC VERO VLTERIVS LOCVM NON HAbens in

BENS IN HIS REGIONIBVS, CVPIDITATEM AVTEM HABENS VENIENDI AD VOS EX MVLTIS IAM PRAECEDENTIBVS ANNIS, CVM IN HISPANIAM PROFICISCI COEPERO, SPERO, QVÒD PRAETERIENS VIDEBO VOS, ET À VOBIS DEDVCAR ILLVC, SI VOBIS PRIMVM EX PARTE FRVITVS FVERO.

Cum dixiſſet impedimento ſibi officium prædicationis fuiſſe, quominus ad illos proficiſceretur, nunc uero dicit ſublatum ſibi tandem eſſe impedimentum illud, quoniam iam in illis partibus nullus erat ſibi relictus locus, in quo functus non eſſet officio prædicationis, & per quem nomen Chriſti non inuulgauiſſet, unde ſe breui ad eos aduenturum pollicetur; &, ne uideretur ob hanc unam cauſam uelle eos adire, quòd nihil ulterius in illis regionibus, in quibus prædicauerat, agendum ſibi eſſet, dicit ſe multis iam annis præcedentibus teneri incredibili cupiditate eos uidendi, & ad illos proficiſcendi. Inſuper addit, quòd ſi aliter deſiderium hoc complere non poterit, perficiet certe illud ſaltem, cum in Hiſpaniam ex his partibus proficiſci cœperit. Tunc enim (inquit) ſpero, inter eundum uos uidere, aliquibusq; ex uobis mecum proficiſcentibus, & ope ueſtra, & auxilio etiam ueſtro ad illam regionem deduci: neque enim Roma ſubito decedere ſtatuo, niſi prius aliqua ex parte ſaltem animum meum optatæ ueſtræ conſuetudinis fructu expleuero.

NVNC IGITVR PROFICISCOR IN HIERVSALEM MINISTRARE SANCTIS.

Excuſat ſe alio impedimento detineri, quominus nunc eos adeat, & dicit. Nunc ad uos proficiſci non poſſum, propterea quòd eundum mihi eſt in Hieruſalem, ut inſeruiam illis ſanctis uiris, qui illic degunt. Multi enim tunc Hieroſolymis erant, qui Chriſti, & Apoſtolorum prædicatione uerbum ueritatis ſuſceperant.

PROBAVERVNT ENIM MACEDONIA, ET ACHAIA COLLATIONEM ALIQVAM FACERE IN PAVPERES SANCTOS, QVI SVNT IN HIERVSALEM.

Quo uero genere miniſterij ſit uſurus ſanctis, qui ſunt in Hieruſalem, declarat, dicens: Ideo illuc proficiſcor, ut collatam eleemoſynam ab Achæis, & Macedonibus deferam in Hieruſalem. Hanc enim collationem, quam ego perſuaſi utrique populo, probauit ſe uterque populus facturum, quoniam ad hoc unum facta eſt, ut his eleemoſynis ſancti pauperes Hieroſolymitani enutrirentur, atque inopiam tuerentur (laborabatur enim maxime tunc fame Hieroſolymis, tempore
Act. 11. ſcilicet Claudij Imperatoris, ut in actis Apoſtolorum legitur) deinde etiam, quia Iudæi in Chriſtianos maxime ſæuiebant. Achæi autem populi ij ſunt, qui incolunt eam partem Græciæ, quam Peloponeſum appellamus. Macedonia uero eſt regio illi prouinciæ finitima, in quibus ambabus regionibus Apoſtolus præcipue Euangelium Chriſti prædicauerat.

PLACVIT ENIM EIS, ET DEBITORES SVNT EORVM. NAM SI SPIRITVALIVM EORVM PARTICIPES FACTI SUNT GENTILES, DEBENT ET IN CARNALIBVS MINISTRARE ILLIS.

Oſtendit nunc qualiter illæ duæ prouinciæ approbauerint facere iſtam collationem, & dicit. Non putetis, me eos aliquo modo coegiſſe, immo illis hoc placuit propria ſponte facere; nec abſque ratione; quippe pauperibus, & ſanctis illis uiris Hieroſolymitanis plurimum ſe debere Macedones, & Achæi putant, propterea quòd ex Iudæis natus ſit Chriſtus, cæteriq; Apoſtoli orti ſint, à quibus Gentiles bona ſpiritualia, id eſt gratiam, & ueritatem à Chriſto; enunciationem uero bonam de eo ab ipſis Apoſtolis ſuſceperunt. Merito igitur Gentiles debent alimenta ad illos alendos neceſſaria ſuppeditare, ne illi tantorum beneficiorum uel ingrati, uel immemores eſſe uideantur.

HOC IGITVR CVM CONSVMAVERO, ET ASSIGNAVERO EIS FRVCTVM HVNC, PER VOS PROFICISCAR IN HISPANIAM.

Ne mœrore afficeret Romanos, & deſiderio ſui eos excruciaret, propter tam longam peregrinationem, dicit, ſe Hieroſolymis non diu immoraturum, ſed ſtatim, ut collegerit eleemoſynam, eamq; pauperibus illis erogauerit, ſe Romam uerſus inde illico diſceſſurum. Quam eleemoſynam fructum appellat, uel propter hoc, quòd illam tanquam fructum quendam ſuarum prædicationum eſſe putet;

putet; uel quòd eleemoſyna magnus ſit fructus illis, qui eam dant. Dicit autem. Vbi hæc perfecero non alio itinere, neque per aliam uiam, quàm per ueſtram, in Hiſpaniam tranſmeabo.

SCIO AVTEM QVONIAM VENIENS AD VOS, IN ABVNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII CHRISTI VENIAM.

Declarat autem quem fructum ſint conſecuturi propter aduentum ſuum ad illos; & dicit, ſe pro certo habere, quòd, cum Romam peruenerit, futurum ſit, ut copioſius illi, & abundantius de Chriſto benedicant; quoniam ſuis prædicationibus ita illos inſtruet, ut non modo firmius ſenſituri ſint de Chriſto, ſed etiam copioſius de illo ſint benedicturi, & eundem laudaturi; uel appellat abundantiam benedictionis Chriſti, prædicationem ſuam, quam quidem ille copioſiorem faciet, cum Romam peruenerit.

OBSECRO ERGO VOS FRATRES PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, ET PER CHARITATEM SANCTI SPIRITVS, VT ADIVVETIS ME IN ORATIONIBVS PRO ME AD DEVM.

Cum propoſuiſſet ſe incredibili deſiderio teneri eos uidendi, (ſi tamen prius profectus fuiſſet in Hieruſalem miniſtrare ſanctis, qui ibi erant, eleemoſynas illis deferendo, quas collegiſſet) nunc uero, ut id commodius faciat, ipſos rogando, & obteſtando cum magno animi affectu dicit. Vos fratres tum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, tum etiam per charitatem, quæ à Spiritu ſancto nobis infunditur, quia illa præcipua eſt inter omnia dona, quæ nobis à Spiritu ſancto concedi ſolent, ut ueſtris orationibus pro me ad Deum effuſis operationes meas uelitis adiuuare, rogo, oro, obſecro. Dicit autem, adiuuetis, quia identidem & ipſe faciebat, id eſt pro ſe ipſo orabat. Dixit autem, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti ſpiritus, quia niſi oratio fide, & charitate fulciatur, prorſus inanis eſt.

VT LIBERER AB INFIDELIBVS, QVI SVNT IN IVDAEA, ET OBSEQVII MEI OBLATIO ACCEPTA FIAT IN HIERVSALEM SANCTIS.

Explicat nunc, cur obſecraret eos, ut orarent pro ſe, & primo petit, quòd orent Deum pro ſe, ut ab infidelibus, qui in Iudæa degebant, & ab eorum inſidijs, & perſecutionibus liberaretur; quandoquidem ad illa loca migraturus erat. Deinde ut eleemoſynæ collectæ ab Achæis, & Macedonibus, quæ ſunt oblationes obſequij, id eſt miniſterij ſui gratia collectæ, redderentur ad commodum eorum ſanctorum, qui inter tot infideles degebant in Hieruſalem, ne miſeri inedia deficerent.

VT VENIAM AD VOS IN GAVDIO PER VOLVNTATEM DEI, VT REFRIGERER VOBISCVM.

Quòd ſi Deus ueſtris interceſſionibus hoc mihi conceſſerit, meq; ab his ita periculis liberauerit, ut uenire poſſim ad uos, cum ſummo gaudio (modo id uoluntate Dei fieri liceat) approperabo. Recte autem dixit: PER VOLVNTATEM DEI: quia non enim, quo ille uolebat, ſed quo Deus, & Spiritus ſanctus illum mittebat, proficiſci ſolebat. Approperabo (inquit) ergo, ut perfectis, conſumatisq; tot laboribus meis, quos tum in Iudæa, tum etiam inter Gentes ſum perpeſſus, refrigerium, & conſolationem aliquam uobiſcum una tandem conſequar.

DEVS AVTEM PACIS SIT CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN.

Cum igitur in tota epiſtola duos populos, Iudæos ſcilicet, & Gentiles inter ſe tam acriter diſſentientes ad concordiam, & pacem perſuaſionibus, & adhortationibus reduxiſſet, uolens huic epiſtolæ finem imponere, dixit. Deus, qui eſt auctor pacis, cum omnibus uobis ſemper exiſtat. Si enim ille ſemper apud uos habitauerit, tunc nulla erit inter uos unquam aut diſſenſio, aut diſcordia (ſi tamen inter uos omni prorſus ſimulatione carentes habitauerit Deus.) Appellauit autem Deum auctorem pacis, quia per Filium ſuum pacem nobis, quam peccatum abſtulerat, reſtituit.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

COMMENDO AVTEM VOBIS PHOEBEN SOROREM NOSTRAM, QVAE EST IN MINIſterio

STERIO ECCLESIAE, QVAE EST CENCHREIS, VT EAM SVSCIPIATIS IN DOMINO DIGNE SANCTIS, ET ASSISTATIS EI IN QVOCVNQVE NEGOCIO VESTRI INDIGVERIT; ETENIM IPSA QVOQVE ASTITIT MVLTIS, ET MIHI IPSI.

Cum Apoſtolus finem iam epiſtolæ impoſuiſſet, & ſatis copioſe Romanis in ea cauſa, propter quam ſcripſerat, ſatisfeciſſet, nunc more eorum, qui familiares epiſtolas ſcribunt, commendationes, & ſalutationes in poſtrema parte epiſtolæ diligenter facit. Et primo illis commendat Phœben corinthiam mulierem nobiliſſimam, per quam creditur hanc epiſtolam Romanis direxiſſe, quam appellat ſororem in Chriſto; & cur eam commendatam habeant, rationem adducit, dicens. Quia ipſa miniſtrat eccleſiæ, id eſt congregationi ſanctorum, qui degunt in portu Corinthi, quem locum Græci Cenchrein appellant. Illos deinde hortatur, ut non modo eam, prout ſanctis uiris conuenit, honorifice in Domino, id eſt propter amorem Domini ſuſcipiant, uerum etiam eidem in omni illius negocio, ubicunque eorum opera indiguerit, ſuffragium, & auxilium ferant; propterea, quod & illa pluribus Chriſti fidelibus, & ſibi maxime ipſi neceſſaria ſumma cum dilectione charitatis ſubminiſtrauerit.

SALVTATE PRISCAM, ET AQVILAM ADIVTORES MEOS IN CHRISTO IESV (QVI PRO ANIMA MEA SVAS CERVICES SVPPOSVERVNT, QVIBVS NON SOLVS EGO GRATIAS AGO, SED ET CVNCTAE ECCLESIAE GENTIVM) ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORVM.

Commendata Phœbe, ad ſalutationem ſanctorum, qui Romæ erant, ſingillatim deſcendit; & in primis rogat, ſuo nomine ſalutem ut dicant Priſcæ, & Aquilæ. Aquila enim erat Iudæus doctiſſimus, & Priſca uxor eius, de quibus mentio habetur in Actis Apoſtolorum, quos adiutores in Chriſto uocat, quia & ipſi iuuabant Paulum in teſtificatione fidei, & nominis Chriſti inter Gentes plurimum, & Iudæos. Aliam præcipuam quoque cauſam huius ſalutationis addu- Act. 18.

cit: Quia pro anima ſua ceruices proprias ſuppoſuerunt, id eſt pro defenden da ipſius uita Apoſtoli, non dubitauerunt ſe multis periculis mortis obijcere. Animam uero pro uita hominis, ſiue pro homine hoc loco ponit. Sicuti conſue- Ioan. 15. tum eſt in ſacris literis accipi, ut habetur in Ioanne. Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis; & in ueteri etiam legitur lege. Anima, quæ peccauerit, morietur. Et ob hanc opem, quam illi ſibi ipſi impendiſſent, dicit ſe, & omnes eccleſias Gentilium, quarum ipſe eſſet Apoſtolus, illis gratias agere. Qua quidem ſalutatione non erga Aquilam, & Priſcam tantum, ſed etiam erga collectos apud ſe fideles uſus eſt.

SALVTATE EPENETVM DILECTVM MIHI, QVI EST PRIMITIVVS ASIAE IN CHRISTO IESV.

Proſequitur ſalutationes, & rogat, ut Epeneto ualde ſibi dilecto ſuo nomine ſalutem impartiantur, qui primus ex Aſia in Chriſtum credidit, de quo nullibi, præterquam in hoc loco, in ſacris literis mentio habetur.

SALVTATE MARIAM, QVAE MVLTVM LABORAVIT IN VOBIS.

Hanc putant aliqui fuiſſe illam mulierem Mariam, quæ, cum non poſſet altercantes inter ſe Iudæos, & Gentiles, qui Romæ erant, ad pacem reuocare, eorum diſſenſiones Apoſtolo ſignificauerit, cuius rei gratia Apoſtolus hanc conſcripſiſſe epiſtolam creditur: Eam iure igitur commendat mulierem, quæ multum pro eorum pace, ac ſalute laborauerit.

SALVTATE ANDRONICVM, ET IVNIAM COGNATOS, ET CONCAPTIVOS MEOS, QVI SVNT NOBILES IN APOSTOLIS, QVI ET ANTE ME FVERVNT IN CHRISTO.

Salutari etiam iubet Andronicum, & Iuniam, tum quia Hebræi erant, unde eos cognatos, & concaptiuos appellat. Tum etiam, quia nobiles, id eſt genere, & operibus præclari erant, inter eos, qui miſſi prædicabant nomen Chriſti; nobiles (inquam) & dignitate religionis, quia & ante ipſum Paulum fidem Chriſti ſuſcepiſſent. Quod autem aliqui dicunt, iſtos fuiſſe ex numero ſeptuaginta

Apoſtolorum, hoc quidem ſcriptum non habetur. Quare potius intelligendum eſt, quòd uterque iſtorum prædicauerit Chriſtum, quanquam non fuerint de numero eorundem Apoſtolorum.

SALVTATE AMPLIATVM DILECTISSIMVM MIHI IN DOMINO.

De Ampliato hoc ſimiliter nulla eſt mentio in ſacris literis, quis ipſe fuerit, ſed cum Apoſtolus dilectiſſimum eum uocet in Domino, putandum eſt, ipſum fuiſſe in amore, & miniſterio Chriſti præſtantiſſimum, & ſalutatione Apoſtolica ſatis dignum.

SALVTATE VRBANVM ADIVTOREM NOSTRVM IN CHRISTO IESV, ET STACHYN DILECTVM MEVM.

Vrbanum iſtum adiutorem ſuum appellat, quia eccleſiæ Chriſti præfuerit in eodem ſimul genere officij, cui & Apoſtolus præeſſet; nam & ipſe Chriſti uerbum prædicabat. Stachyn autem appellat dilectum, qui & fide, & religione dignus erat, ut ab Apoſtolo diligeretur.

SALVTATE APPELLEN PROBVM IN CHRISTO.

Hunc probatum iam in fide Chriſti multis antea experimentis cum cognouiſſet, ideo probum appellat.

SALVTATE EOS, QVI SVNT EX ARISTOBOLI DOMO.

Hæc Ariſtobolorum familia fidelis erat, & in Chriſtum credens, ideo ſalutari omnes iubet.

SALVTATE HERODIONEM COGNATVM MEVM.

De hoc etiam nulla eſt in ſacris literis mentio, niſi ut Iudæus conuerſus exiſtiman-

dus ſit, propterea quòd eum cognatum appellat.

SALVTATE EOS, QVI SVNT EX NARCISI DOMO, QVI SVNT IN DOMINO.

I *ubet etiam & eos, qui eſſent ex familia Narciſorum ſalutari, ſed non omnes; illos enim tantum, qui in Chriſtum crederent. Vnde facilis eſſe coniectura poteſt, aliquos ex hac familia à fide Chriſti alienos fuiſſe.*

SALVTATE TRYPHOENAM, ET TRIPHOSAM, QVAE LABORANT IN DOMINO.

H *as etiam mulieres ſalutari præcipit, quæ uel orationi, uel miniſterio ſuo quotidie incumberent Chriſto inſeruientes.*

SALVTATE PERSIDEM CHARISSIMAM, QVAE MVLTVM LABORAVIT IN DOMINO.

H *anc mulierem Apoſtolo fuiſſe chariſſimam, ex eo facile cognoſcimus, quia illam aſſerit pro Domino plurimum laboris impendiſſe.*

SALVTATE RVFFVM ELECTVM IN DOMINO, ET MATREM EIVS, ET MEAM.

R *uffum, quem propter illius maximam ſanctitatem electum uocat, id eſt inter alios præcellentem, ſalutari iubet; & una illius matrem, quam propter ſingularem illius uitam, matrem quoque ſuam appellat.*

SALVTATE ASYNCRITVM, PHLEGONTEM, HERMEN, PATROBAM, HERMAN, ET QVI CVM EIS SVNT, FRATRES.

H *os quanquam nullis laudibus exornet, dignos tamen cum reliquis fratribus, qui cum illis degebant, ſalute ſua putauit.*

SALVTATE PHILOLOGVM, ET IVLIAM, NEREVM, ET SOROR EM EIVS, ET OLYMPIAdem,

DEM, ET OMNES, QVI CVM EIS SVNT SANCTOS.

Hos poſtremo coniunctim ſaluos eſſe cum ſanctis exoptat, qui ſecum degerent, quorum præcipua laus eſt, ut eos ſanctos, id eſt mundos appellet.

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO.

Cum Apoſtolus eos ad concordiam reuocauerit, ſingulisq; ſalutem dixerit, quia ad cuſtodiendam hanc concordiam non ſat fortaſſe uidebatur ſola ab ipſo miſſa ſalutatio, niſi etiam ſeſe mutuo & illi ſalutarent, & complecterentur, ideo hortatur eos ad mutuam ſalutationem, quam fieri docet in oſculo ſancto, quaſi dicat, non ficto, non ſimulato; quod oſculum præcipuum ſignum ueræ concordiæ, & charitatis eſſe ſolet.

SALVTANT VOS OMNES ECCLESIAE CHRISTI.

Expletis ſalutationibus ſuo nomine factis, nunc nomine omnium eccleſiarum Chriſti, in quibus prædicauerat, illis ſalutem dicit; ut unam, eandemq; eccleſiam illorum, & iſtorum eſſe hoc præcipuo charitatis, & beneuolentiæ ſigno demonſtraret. Hoc quoque *dignum eſt conſideratione,* Apoſtolum, *quòd multorum nomina, & familias, multorumq; etiam merita, & laudes recenſuerit, non ſine cauſa ſcilicet id feciſſe: nam ex iſtis tantummodo nominatis, eccleſiam, quæ* Romæ *erat, collectam eſſe uidebat; & ideo hos ſolos ſanctos, & mundos appellabant, ut à quorundam alijs, qui re* Chriſtiani *cum non eſſent,* Chriſtiani *tamen uerbo dici, & ſpecie uideri cuperent, ſe prorſus conſuetudine ſepararent.* Nec *abſque ratione ex his tantum, quos ſupra commemorauit* Apoſtolus, *eccleſiam* Romæ *collectam fuiſſe arbitramur; tum quia in principio naſcentis eccleſiæ, & præſertim in urbe* Roma, *ubi acerrima erat perſecutio in* Chriſtianos, *paucos admodum fideles fuiſſe eſt exiſtimandum: tum quia, ſi præter iſtos alij* Chriſtiani *in urbe fuiſſent,* Apoſtolo *ſuccenſere merito potuiſſent, quòd eos in epiſtola ſua ſalutare prætermiſiſſet, & ſic diſcordiarum magis ſuſcitator, quàm pacis hortator fuiſſet* Apoſtolus, *maxime etiam, quia ſiqui præter iſtos fuiſſent, generali ſaltem eos ſalutatione non defraudauiſſet.* Eſt *& aliud quidem annotatione dignum, quòd* Romana *eccleſia in principio ſui ortus non ex una tantum natione, ſicuti cæteræ in alijs mundi partibus eccleſiæ, ſed ex omnibus gen=*

tibus, populis, & nationibus fuit collecta, & conſtituta; ut ex hoc lucidiſſimo argumento intelligeremus hanc unam eſſe ſolam eccleſiam, quæ omnium aliarum eccleſiarum iam tum eſſet communis mater, & caput, & omnibus alijs eccleſijs per orbem conſtitutis præeſſet, ad quam quidem totius orbis gentes, populi, & nationes conſtituendam confluxiſſent.

ROGO AVTEM VOS FRATRES, VT OBSERVETIS EOS, QVI DISSENSIONES, ET OFFENDICVLA PRAETER DOCTRINAM, QVAM VOS DIDICISTIS, FACIVNT, ET DECLINATE AB ILLIS.

C*um ſupra eos, quos uere Chriſtianos eſſe cognouiſſet, ſpeciatim ſalutauiſſet, cum autem multi (ut paulo dictum eſt ſuperius) eſſent, qui ſe Chriſtianos nomine eſſe profiterentur, re tamen ipſa diſſenſionum ſeminatores magis eſſent, ab ijs hortatur Apoſtolus eos, qui ueri Chriſtiani erant, ut cauerent, & dicit. Obſecro uos fratres in Chriſto, ut ſumma cum diligentia uitetis illos, qui inter uos diſſenſiones, & diſcordias ſeminare adnituntur, & offendiculis irretire conantur animos proximorum. Iſti enim faciunt contra eam doctrinam, quam uobis prædicaui, & ideo ſummo cum ſtudio eorum conſuetudinem fugiatis, ne forte & uos ab illa deprauati, diſſenſionibus, & non paci uacetis.*

HVIVSMODI ENIM CHRISTO DOMINO NOSTRO NON SERVIVNT, SED SVO VENTRI; ET PER DVLCES SERMONES, ET BENEDICTIONES SEDVCVNT CORDA INNOCENTIVM.

C*ur autem ab eorum conſortio declinare debeant, cauſam reddit, dicens. Ideo horum conſuetudine ne utamini, quoniam Chriſto domino noſtro, cui maxime deberent obtemperare, non inſeruiunt; ſed magis dant operam uentri, id eſt gulæ & ingluuiei. Iſti autem erant, qui ex auiditate comedebant ea, quæ ſcandalo proximo erant, quos ſupra reprehendit: & ijdem iſti, qui per blanditias, & adulationes, & mellitula uerba eos proximo commendabant, quorum ipſi ſumptibus uiuerent. Qui mos eſt Gnatonum proprius, & Prarasitorum, qui per ſimulationes, & illecebras ſermonum gulæ primo ſatisfacientes, ita ſimplicium, atque innocentium corda lenocinijs uerborum illaqueant, ut ſenſim à uera uiuendi*

ra uiuendi ratione ſeorſum eos trahant.

VESTRA ENIM OBEDIENTIA IN OMNI LOCO DIVVLGATA EST: GAVDEO IGITVR IN VOBIS.

C *um igitur admonuiſſet eos Apoſtolus, ut cauerent ab ijs, quos ſupra memorauit, ut ſe conſtanter credere præſeferret, ſua omnia illos monita, quæ ſecundum Chriſtum erant, fore obſeruaturos, dicit. Veſtra obedientia, quam in fide Chriſti profitemini, in omnem locum iam emanata, me facit conſtanter credere, quòd omnibus his monitis meis ſitis obtemperaturi; ex qua quidem fiducia obedientiæ ueſtræ, plurimum in uobis lætor.*

SED VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, ET SIMPLICES IN MALO.

E *tſi plurimum gaudeam de hac ueſtra obedientia, illud tamē præcipuum puto à uobis eſſe obſeruandum, ut in omni opere bono ueſtro ſcientes, quid maxime facere debeatis, dimiſſis iam illis contentionibus, quibus alter alteri cupit præferri, & diſſenſionibus etiam illis peſſundatis de legalium obſeruatione, & differentia ciborum, ſtudeatis eſſe in malo ſimplices eo modo, quo rudes, & ignari homines eſſe ſolent, qui non modo malum non faciunt, ſed neque etiam mali operis cognitionem habent.*

DEVS AVTEM PACIS CONTERAT SATHANAM SVB PEDIBVS VESTRIS VELOCITER; GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM.

V *t autem omnia hæc, quæ uobis ſcripſi ſumma pace, ac tranquillitate perficiatis, Deus ipſe, qui pacis, & concordiæ auctor eſt, Sathanam aduerſarium pacis ſub pedibus ueſtris celeriter comminuat, ne denuo ille inter uos diſſenſiones, & diſcordias, poſtquam deletæ prorſus fuerint, diſſeminet. Vt autem facilius hoc perficere poſſitis, precor, ut gratia domini noſtri Ieſu Chriſti uobis præſidio ſit, & adiumento, nam ſine illa fieri nequit, ut aduerſarium tam potentem, & tam aſſidue uos ad contentiones incitantem ſuperare omnino ualeatis.*

SALVTAT VOS TIMOTHEVS ADIVTOR MEVS: ET LVCIVS, ET IASON, ET SOSIPATER COGNATI MEI.

Salutem dixerat ſuperius ſuo nomine fidelibus, qui Romæ erant, nunc dicit nomine eorum, qui ſecum degebant. Timotheum refert primum ſalutatorem. Hic diſcipulus fuit Apoſtoli, quem appellabat coadiutorem, & conſortem laborum ſuorum, quia prædicatione ſua munere Apoſtoli fungebatur, cui etiam ſcripſit duas epiſtolas. Deinde etiam ſalutat illos nomine Lucij, Iaſonis, & Soſipatris, quos cognatos appellat, quippe qui ex Iudæorum gente nati eſſent. De Lu-
Act.21. cio, & Iaſone eſt in Actorum libro, in quo & de Soſipatre mentio facta fuit.

SALVTO VOS EGO TERTIVS, QVI SCRIPSI EPISTOLAM IN DOMINO.

Tertius quoque, qui dictante Apoſtolo ſcribebat epiſtolam, ſalutem in Domino dicit eiſdem omnibus.

SALVTAT VOS CAIVS HOSPES MEVS, ET VNIVERSAE ECCLESIAE.

Caius deinde, qui me nunc hoſpitio ſuſcepit, qui etiam omnes fideles huc uenientes conſueuit hoſpitio recipere, uobis ſalutem dicit. Is autem eſt ille Caius, quem
1. Cor.1. dicit Apoſtolus cum Criſpo Corinthi baptizauiſſe; quem eundem etiam putamus, ad quem Ioannes tertiam ſuam canonicam conſcripſit epiſtolam. Ex hoc itaque loco perſpicue apparet, hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe Corinthi: tum quia Romanis fuit tranſmiſſa per Phœben, quæ in portu Corinthi habitabat: tum quia Caium hoſpitem ſuum commemorat, quem ex ſupradictis Corinthi habitauiſſe conſtat.

SALVTAT VOS ERASTVS ARCARIVS CIVITATIS, ET QVARTVS FRATER.

Præfectus, uel princeps ærarij ciuitatis Corinthi, Eraſtus, cum fratre Quarto uobis quoq; ſalutem impartiunt omnibus.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

ſti cum

CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN.

C *um præmiſiſſet Apoſtolus ſalutationes eorum, quos ſupra commemorauit (quos fortaſſe ſolos ideo cognitos fuiſſe putamus Romanis, quibus ſcribebat, quia nomina eorum tantum, & non aliorum Chriſtianorum ſpeciatim refert) nunc ſuam erga omnes ſalutationem conſuetam adiungit, quam totiens in ipſa epiſtola commemorauit, in qua omnia bona noſtra comprehenſa, & concluſa eſſe exiſtimamus; & hæc eſt gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, quam cum omnibus illis eſſe optat Apoſtolus. Hoc autem genere ſalutationis uſus eſt in ſignum ſuarum epiſtolarum, ut ex huiuſcemodi genere ſalutationis ſtatim noſcerent Romani epiſtolam hanc eſſe ab Apoſtolo conſcriptam (ut ipſemet in fine poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicenſes teſtatur) unde cenſendum eſt, epiſtolam, quæ ad Hebræos ſcripta eſt, eſſe Pauli, cum in illius fine hæc Apoſtoli conſueta ſubſcriptio contineatur. Quare non eſt denuo ſuperflue appoſita hic, gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, quamuis paulo antea eandem illis gratiam precatus eſſet. Fecit profectò ibi, ut per eam facilius communem aduerſarium ſuperare poſſent; nunc uero eandem gratiam repetit, tanquam ſignum ſuum proprium, quo in conſcribendis epiſtolis uti conſueuerat.* 2. Theſſ. 3.

EI AVTEM, QVI POTENS EST VOS CONFIRMARE IVXTA EVANGELIVM MEVM, ET PRAEDICATIONEM IESV CHRISTI, SECVNDVM REVELATIONEM MYSTERII, TEMPORIBVS AETERNIS TACITI.

P *oſtquam concluſiſſet ſalutationes ſuas, illis depoſcendo gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, nunc uero quia gratia ipſa eſt à Deo nobis communicata per Ieſum Chriſtum, ob tale, ac tam præſtans munus, ut referamus ipſi Deo honorem, & gloriam nos cohortatur, dicens. Ei autem & cætera. Adiungenda ſunt uerba illa epiſtolæ ultima, quæ poſtremo lucidius declarabuntur, ſcilicet ſoli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum honor, & gloria ſit; cui etiam Ieſu Chriſto eadem gloria, & idem honor deferatur; Qui Deus tantæ potentiæ eſt, ut per illam poſſit uos ipſe omnes firmos, ſtabilesq; in fide ſua facere, ſecundum illud, quod ego uobis in hac epiſtola enunciaui, & ſecundum etiam illud, quod prædicaui, & declaraui uobis de Ieſu Chriſto, & de utraq; eius natura: quam quidem prædicationem non à me ipſo, ſed ex reuelatione, quam fecit mihi Spiritus ſanctus de occultiſſimo hoc myſterio, ſcilicet de incarnatione & morte, &*

reſurrectione Filij Dei, accepi. Myſterium autem hoc dico temporibus æternis, id eſt à principio mundi per ſingula interlabentia tempora fuiſſe tacitum, & abſconditum, ita, ut nulli creaturæ aut detectum, aut apertum fuerit. Quanquam enim legamus Abrahæ prius, Moyſi deinde, & Dauidi, cæteriſq; Prophetis tale myſterium reuelatum fuiſſe; tamen uel côniuentibus (ut ita dicam) oculis hoc illi omnes proſpexerunt, uel à Deo uetiti ſunt illud mundo palam enucleare: uel ſolo oculo mentis illi eum conſpexerunt, quem nos poſtea in ipſa incarnatione oculis corporeis contemplati ſumus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: propterea ſubiungit.

(QVOD NVNC PATEFACTVM EST PER SCRIPTVRAS, PROPHETARVM SECVNDVM PRAECEPTVM AETERNI DEI AD OBEDITIONEM FIDEI) IN CVNCTIS GENTIBVS COGNITI.

Quia dixerat hoc myſterium abſconditum fuiſſe à principio mundi, nunc declarat, illud idem fuiſſe patefactum in aduentu Ieſu Chriſti. Modum autem, per quem fuerit declaratum, demonſtrat, dicens, quòd illud idem per ſcripturas Prophetarum ab ipſo Chriſto declaratas reuelatum fuit, quæ deinde ſcripturæ, obſcuræ prius & uelatæ, ab illius etiam Apoſtolis patefactæ ſunt. Nam Chriſtus & per ſe ipſum, & per Apoſtolos ſuos, à Spiritu ſancto illuminatos prophetias illuſtrauit, & aperuit. Et hoc quidem in primis Chriſtus fecit, ut æterni
Ioan. 14. *Patris præcepto obtemperaret. Nam de ſe ipſo dicebat. Quæcunque audiui à*
Ioan. 7. *Patre meo, nota feci uobis, & alibi. Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, Patris. Nec mirum ſi in hoc præcepto Patris obtemperauerit, cum factus fuerit illi obediens uſque ad mortem. Poſtremo Apoſtoli ab eo miſſi hoc idem myſterium aperuerunt, quibus à Chriſto præceptum fuerat, ut euntes in*
Marc. 16. *mundum uniuerſum prædicarent Euangelium omni creaturæ. Hoc autem ideo fuit nobis à Chriſto reuelatum, ut non amplius legi naturæ, in qua uiuebant gentes, neque etiam legi ſcriptæ, quam ſeruabant Iudæi, mundus ſeruiret; ſed ut fidei de Chriſto prædicatæ & reuelatæ obtemperaret, per quam ſalutem conſequeretur. Et quia myſterium hoc ante Chriſti aduentum nulli populo, & genti cognitum fuerat, poſt autem illius aduentum per ſuam, & Apoſtolorum prædicationem tum Iudæis, tum Gentilibus fuit manifeſtatum, ideo dicit omnibus gentibus cogniti.*

SOLI SAPIENTI DEO PER IESVM CHRI-

ſtum,

STVM, CVI HONOR, ET GLORIA IN SAE-CVLA SAECVLORVM. AMEN.

Dicit autem ſoli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, non quia ſapientia Patris à Ieſu Chriſto procedat, ſicut neque etiam eſſe ipſius Patris eſt ab illo; ſed quia per ipſum Filium ſapientia Patris nobis eſt demonſtrata; & ob hoc dicimus Filium eſſe ſapientiam Patris. Dicit etiam quòd ſoli Deo per Ieſum Chriſtum referendus ſit honor, & gloria; quia etſi myſterium hoc ſcriptum ſit à Prophetis, non fuit tamen ab illis reuelatum, ſed à ſolo Deo per Filium eius; qui prædicationibus & operibus ſuis utranque ſuam naturam nobis monſtrauit. Merito igitur ſoli ſapienti Deo, & Ieſu Chriſto filio eius, ob hanc præcipue illuminationem, & gratiam nobis conceſſam, per omnium temporum curſus, & per omnium ſæculorum uiciſſitudines, ſummum honorem, & præcipuam gloriam, cum infinita laude, totis mentis, & corporis uiribus referre debemus.

COMMENTARII IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS.

PRAEFATIO IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS.

BEATVS Apoſtolus Paulus Galatis hanc epiſtolam ſcripſit, ut quos antea ſuis prædicationibus ad fidem Chriſti pertraxerat, ad eandem quoque reuocaret. Illi enim quorundam hominum praue ſentientium opinionibus adducti fidem Chriſti ſine circunciſione nullo modo ſatis ualituram eſſe exiſtimabant; Quod ubi Apoſtolus intellexit, uehementiſſime commotus illis ſcripſit, ſuamq; doctrinam & auctoritatem præter uſitatam conſuetudinem plurimum commendauit: Nam doctrinam ſuam dicit ſe non ab homine aliquo, ſed ab ipſo Ieſu Chriſto accepiſſe, ſeq; poſt quintumdecimum annum, ex quo ad fidem Chriſti conuerſus eſſet cum Petro, & Iacobo ac Ioanne Euangelium, quod antea prædicauerat, contuliſſe, illosq; tantum Euangelium, quod ipſe diſſeminauerat, comprobauiſſe: parem quoque cum Apoſtolis à Chriſto oſtendit ſe auctoritatem accepiſſe, propterea neque fallacibus ſuis fratribus ſeſe unquam ſubmittere, neque etiam Titum propter eorum metum circuncidere uoluiſſe: Euãgelium etiam Gentium ſcribit ſibi conceſſum fuiſſe, quemadmodum Iudæorum antea Petro fuerat à Chriſto commiſſum; Propterea Petro quòd menſas Gentilium uitaret, & per ſimulationem inter cibos diſcrimen faceret, palam Antiochiæ contradixit, illumq; de hac ſua ſimulatione publica obiurgatione reprehendit. Quæ omnia non ea ratione ſcripſit, ut quaſi inflatus iactare uideretur præſtantiam ſuam, ſed magis, ut doctrinam, quam habebat, non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto ſibi acceptam oſtenderet, ſuamq; auctoritatem in prædicatione Euangelij cum reliquorum Apoſtolorum poteſtate parem eſſe demonſtraret. Vnde Galatæ ſibi, tanquã Apoſtolo crederent, & ijs, quæ ipſe de extinctione circunciſionis, & aliarum ceremoniarum legis prædicaret, fidem darent. Reliquas autem partes epiſtolæ rationibus, atque exemplis ornauit, quibus ſola fide Ieſu Chriſti, repudiatis legis obſeruantijs, homines iuſtificari oſtendit. Extremam uero epiſtolæ coronidem inſtitutis & præceptis referſit, ſuamq; in ea eximiam charitatem erga Chriſtum incredibili animi affectu, atque integra pietate declarauit.

COMMENTARIORVM IN EPI- STOLAM PAVLI AD GALATAS CAP. PRIMVM.

PAVLVS APOSTOLVS NON AB HOMINIBVS, NEQVE PER HOMINEM, SED PER IESVM CHRISTVM, ET DEVM PATREM, QVI SVSCITAVIT EVM A MORTVIS, ET QVI MECVM SVNT OMNES FRATRES ECCLESIIS GALATIAE, GRATIA VOBIS, ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO.

SATIS copioſe in epiſtola ad Romanos, tum de hoc nomine Pauli, tum etiam qua ratione Apoſtolus diceretur, declaratum eſt: nunc uero à quo, & per quem miſſus fuerit, & unde Apoſtoli nomen ſuſceperit, intendit exponere; & hoc ideo facit, ut ſui Apoſtolatus præſtantiam, & dignitatem manifeſtaret. Propterea ſubiungens dicit, quòd fuit miſſus non ab hominibus, neque per hominem; quod neque inani quadam gloria, neque tumore aliquo iactantiæ facit; ſed magis, ut quæ antea Galatis prædicauerat, maiori nunc auctoritate confirmaret, & Pſeudo Apoſtolorum, qui Galatarum animos ab inſtitutis bonis, & uero tramite Euangelij amouere conabantur, arrogantiam conculcaret; cum iſti (ut latius in prooemio declarauimus, & in cæteris, quæ ſequentur huius epiſtolæ partibus, lucidius oſtendetur) non modo in baptiſmate Ieſu Chriſti, ſed etiam in circunciſione, cæteriſq; legis cæremonijs ſpem ſalutis humanæ collocarent, ut ſine earum obſeruatione nequaquam fideles ſaluos fieri poſſe prædicarent. Quem errorem ut radicitus euelleret Apoſtolus, cœpit primo præſtantiam ſui Apoſtolatus declarare, dicens. Ego Paulus miſſus ſum ad prædicandum Euangelium Chriſti, non quidem ab hominibus, ut uos fortaſſe opinamini me miſſum fuiſſe ab Apoſtolis, ſicuti & alij miſſi ſunt; ut in Actis legimus, quòd audientes Apoſtoli receptum fuiſſe uerbum Chriſti à Samarita- Act. 8.

nis, miſerunt ad illos Petrum, & Ioannem. Neque etiam per hominem miſſus ſum, ut Chriſtus me ad prædicandum per aliquem, quaſi dicat per Petrum, uel per quemlibet alium Apoſtolorum miſerit. Ego (inquam) nullo modo per hominem aliquem, uel ab aliquibus hominibus, ſed tantum per Ieſum Chriſtum, ac Deum Patrem miſſus ſum, qui me Damaſcum euntem, ut illius eccleſias deſtruerem, uocauit de cœlo, ſuumq; deinde Apoſtolum inſtituit, ut coram omnibus gentibus, & regibus, & filijs Iſrael nomen ſuum prædicarem; Non modo autem per Ieſum Chriſtum, ſed etiam per Deum Patrem miſſus ſum; quod ideo dixit, ut oſtenderet, id, quod Chriſtus præcepiſſet, eſſe idem illud, quod præcipiebatur ei à Patre prædicandum; uel cum una, & eadem ſit natura, & uoluntas Patris, & Filij, unam ac eandem quoque utriuſque uocationem eſſe demonſtraret, qui quidem Pater ſuſcitauit ipſum Ieſum Chriſtum à mortuis, quod propter hoc dixit; ut ſicuti Chriſtus ſuſcitatus à mortuis nouo uitæ genere reuixit, immortali ſcilicet, atque incorruptibili, ita nos complantati reſurrectioni illius, abiecta ueteris legis, in qua uiximus uetuſtate, nunc in nouæ legis uita uiuamus, in qua pulſis ueteris legis cæremonijs, in ſola Chriſti gratia ſpem omnem noſtram habeamus; quod copioſe, tum ad Romanos, tum ad Corinthios ſcribens, nobis faciendum eſſe declarauit. Vel fortaſſis dixit. Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis; ut declararet ſe nobiliori tempore uocatum fuiſſe à Ieſu Chriſto, quàm cæteros Apoſtolos: Illi nanque ante paſſionem Chriſti uocati fuerunt, cum Chriſtus adhuc in hac mortali uita conſtitutus eſſet; Paulus uero fuit uocatus Apoſtolus à Chriſto, poſtquam is à Deo Patre ſuſcitatus fuiſſet à mortuis; propterea ſicuti præponendus ſtatus ſtatui, & tempus tempori præferendum, ita quoque Apoſtolatus Pauli conditioni Apoſtolatus cæterorum Apoſtolorum anteponendus erat. Vel hoc fortaſſe etiam dixit, ut occurreret tacitæ quæſtioni: prædicauerat enim Galatis non eſſe ſeruandas cæremonias ueteris legis, quia ſola gratia Chriſti eſſemus à peccatis liberati, unde aliquis poſſet dicere. Cæteri omnes Apoſtoli atque ipſe etiam Petrus ſeruabant legalia; quare tu ſolus uis ea abrogare, & non cõuenire cum illis? Ad quod ueluti reſpondendo dicit, hoc mirum eſſe non debere, quia fuit ipſe uocatus à Chriſto iam reſuſcitato, qui iam morte ſua aboleuerat omnia legis cæremonialia: Cæteri uero Apoſtoli fuerunt uocati à Chriſto eo ipſo tempore, quo etiam cæremonialia uigebant, quinimmo & ab ipſo Chriſto, & ab ipſius Apoſtolis obſeruabantur: propterea cæteri Apoſtoli poterant tolerare obſeruationem legalium, quam Iudæi obſeruabant, quam quidem Paulus Gentibus prædicans non poterat, nec debebat tolerare. Hoc autem dixit, ut ea, quæ Galatis prædicauerat, quamuis uiderentur in aliquibus diſſentire ab inſtitutis aliorum

Apoſtolorum,

Apoſtolorum, pari, uel etiam maiori quadam auctoritate uiderentur eſſe ſubnixa, atque firmata. Sed aliquis poſſet ijs, quæ modo diximus, ita occurrere. Si Apoſtoli inter ſe diuerſa prædicarent, & diuerſos ritus ſeruandos inſtituerent, quomodo id fieri poſſet cum unitate fidei quam prædicabant, ſed facile hoc ſolui poteſt, ſi nos animaduerterimus diuerſitatem populorum, ad quos iuſſi ſunt Apoſtoli prædicare: nam cæteri Apoſtoli primum quidem miſſi ſunt, ut Iudæis prædicarent; & propterea uolentes imbecillitati eorum, qui ad fidem Chriſti nuper conuerſi eſſent, conſulere, permittebant illis, ut circuncisionem ſuorumq; legalium ritum obſeruarent; non enim facile dimoueri poterant ab inſtitutis maiorum ſuorum, in quibus à pueris aſſueuiſſent. At uero Paulus, cum Gentium Apoſtolus eſſet inſtitutus, quæ non aſſueuerant legalibus, & quibus nil opus erat illis, propterea quòd omnis noſtra ſalus à gratia Chriſti dependeat, ideo tanquam infructuoſa, & minus neceſſaria dicebat ea penitus eſſe tollenda, atque abroganda. Subiungit, non ego ſolus uobis hanc ſcribo epiſtolam, ſed ſcribunt etiam omnes fratres, qui mecum ſunt; hoc autem ideo dicit, ut facilius eos ab errore ſuo reuocet, quandoquidem teſtimonio multorum in fide probatiſſimorum hominum illud comprobare uideatur, quod Galatis perſuadebat, abſtinendum ſcilicet eſſe à legalibus, & obſeruationibus eorum. Dicit autem ſe ſcribere eccleſijs Galatiæ, quia non una tantum collectio Chriſtianorum erat tunc in ipſa prouincia Galatiæ: cum enim multæ eſſent inibi ciuitates, & multa loca, cenſendum quoque eſt multas, atque diuerſas fuiſſe collectiones Chriſtianorum; propterea dicit, eccleſijs, quæ ſunt Galatiæ ſe ſcribere; quibus etiam exoptat gratiam, & pacem condonari à Deo Patre, & domino noſtro Ieſu Chriſto: tum quia hoc genere deprecationis uſus eſt & in alijs ſuis epiſtolis; tum etiam quia deſciuerant Galatæ ab inſtitutis, & doctrina Apoſtoli, in fide diſſentientes, propter quam diſſenſionem priuati erant gratia Dei, id eſt diuino amore, & tranquillitate Chriſtiana; propterea optat eis utrunque condonari à Deo, & gratiam & pacem; à Deo (inquam) Patre, tanquam à principio, & fonte omnium gratiarum; & à domino noſtro Ieſu Chriſto, tanquam à mediatore, per quem Deus nobis gratiam, & amorem ſuum communicauit.

QVI DEDIT SEMET IPSVM PRO PECCATIS NOSTRIS, VT ERIPERET NOS DE PRAESENTI SAECVLO NEQVAM, SECVNDVM VOLVNTATEM DEI, ET PATRIS NOSTRI, CVI EST GLORIA IN SAECVLA SAECVLORVM. AMEN.

Quomodo autem gratiam & beneuolentiam iſtam Deus nobis per Ieſum Chriſtum communicauerit, oſtendit dicens. Quia ipſe Chriſtus dedit ſemet ipſum pro peccatis noſtris, quaſi hoſtiam uiuentem, ut ſua morte expiaret peccata noſtra,
Eſai. 53. dicente Propheta. Dedit autem ſemet ipſum hoſtiam pro expiandis peccatis noſtris, quia non erat eius uirtutis lex, per ſuas cæremonias expiare ut poſſet peccata noſtra, propterea Deus miſit Filium ſuum, qui morte ſua nos eriperet à
Rom. 8. peccatis (ut Romanis ſcribens huberius demonſtrauit Apoſtolus.) Ad hoc igitur dedit ſemet ipſum Chriſtus pro peccatis noſtris, ut nos eriperet de præſenti ſæculo nequam, id eſt, ut liberaret nos de hac præſenti uita omni calamitate plena, & transferret ad æternam felicitatem, dixit enim: ERIPERET: ut quandam quaſi uiolentiam ſignificaret, quia non erat naturæ aut poteſtatis hominis, ut per ſe ipſum poſſet liberari à peccatis, & transferri ad cœleſtem patriam. Appellauit autem præſens ſæculum nequam, non ex curſu, neque ex labente tacita ſucceſſione temporis, ſed ex uita noſtra quam in hoc ſæculo traducimus, calamitatibus plenam, & morti, atque corruptioni obnoxiam. Vnde nequam, & mala appellatur. Vel nequam appellauit ſæculum, quia nequitia, & malignitate plenum ſit (Nequam enim hominem dicimus malignum, & prauum). Eripuit ergo nos Chriſtus de ſæculo malo, & ſceleribus pleno per ſanguinem ſuum, ut nos bonos faceret, & nulli damnationi obnoxios. Hoc autem totum, quod fecit Chriſtus redimendo nos, non fecit (inquit) ſua tantum propria uoluntate, ita quòd uoluntas Patris in hoc etiam non conſenſerit, quinimmo, quod uoluit Chriſtus, uoluit etiam Deus, & Pater noſter; quod ideo dixit, cum Chriſtus morte ſua ſatisfecerit pro peccatis noſtris, & propterea omnes ceremonias aboleuerit, ut nos uoluntate Dei id factum fuiſſe intelligamus, qui licet ueteris legis ceremonias pro expiatione peccatorum ſeruandas inſtituiſſe, uoluit tamen illas conſumato Filij ſui ſacrificio pro abolendis peccatis noſtris inanes, & extinctas eſſe. Dixit etiam Dei Patris noſtri, quia hoc quòd dederit Filium ſuum pro peccatis noſtris, ut nos à morte liberaret, non fecit in eo tantum, quòd Deus, ſed etiam in eo, quòd Pater noſter: Ipſe enim ut nos in Filios adoptaret, Filium ſuum pro nobis mori uoluit; cui & Deo propter hoc tam immenſum beneficium uere gloria & honor à nobis in omni ſæculorum æternitate debetur: hactenus ex his, quæ dixit Apoſtolus colligere poſſumus dignitatem ſui Apoſtolatus, deinde quantum fuerit efficax ſatisfactio illa Chriſti pro peccatis noſtris, quæ ita fuit utilis & fructuoſa, ut nullis ceremonijs, nullisq; obſeruationibus legalium præceptorum amplius indigeamus, in quibus demonſtrandis totam fere uidemus uerſari epiſtolam.

Miror,

MIROR, QVOD SIC TAM CITO TRANSFERIMINI AB EO, QVI VOS VOCAVIT IN GRATIAM CHRISTI IN ALIVD EVANGELIVM, QVOD NON EST ALIVD, NISI SVNT ALIQVI, QVI VOS CONTVRBANT, ET VOLVNT CONVERTERE EVANGELIVM CHRISTI.

P*ropoſita intentione, nunc incipit ordiri epiſtolam, & primum quia Galatas audierat perſuaſos fuiſſe à pſeudo Apoſtolis, quòd legalia deberent adhuc obſeruare, propterea tanquam de re noua, atque inſolita, dicit. Miror quidem plurimum, quòd tam cito, ac tam breui temporis ſpatio, ex quo uobis Euangelium Chriſti prædicaui, tanquam leues atque inconſtantes permiſeritis uos transferri & deduci ab eo, ſcilicet Deo patre, qui prædicatione mea uos uocauit in gratiam, & beneuolentiam illam uobis communicatam per Chriſtum, in aliud Euangelium, id eſt in aliam enunciationem, ſiue doctrinam, quam uobis pſeudo Apoſtoli prædicant. Hoc autem, quod iſti faciunt prædicantes cæremonialia neceſſaria eſſe cum fide Chriſti, non eſt, id eſt non proficit aliud profecto, niſi quòd uos conturbat, & conuertit Euangelium Chriſti, poſſunt etiam illa uerba:* QVOD NON EST ALIVD: *hoc modo declarari, quia enim dixerat, quòd miraretur eos tam cito transferri in aliud Euangelium, potuiſſent Galatæ ſuſpicari, quòd illud, quod prædicabant falſi Apoſtoli, Euangelium eſſet, propter hoc, quòd dixit in aliud Euangelium, ne huic errori occaſionem daret, ueluti corrigens ſe dixit, non eſt aliud Euangelium illud, quod iſti prædicant, quia illud profecto Euangelium non eſt, ſed eſt cæremonialium comprehenſa illa in ueteri lege obſeruatio, quam per Chriſti mortem abolitam & deletam eſſe omnino credimus. Nihil ergo aliud faciunt iſti ſuis falſis prædicationibus, niſi quòd quærunt puram ac perſpicuam fidei ueſtræ integritatem turbulentis ſuis legalium obſeruationibus perturbare, & Euangelium Chriſti, quod in puro ſpiritu conſtat, ad carnales cæremonias conuertere, illiusq; ueritatem confundere, dum illi commiſcere uolunt cæremonias legis, iamdudum per mortem Chriſti extinctas.*

SED LICET NOS, AVT ANGELVS DE COELO EVANGELIZET VOBIS, PRAETERQVAM QVOD EVANGELIZAVIMVS VOBIS, ANATHEMA SIT, SICVT PRAEDIXIMVS, ET NVNC ITERVM DICO. SI QVIS VOBIS

EVANGELIZAVERIT PRAETER ID, QVOD ACCEPISTIS, ANATHEMA SIT.

Seductores uolunt uos ò Galatæ ſuis falſis prædicationibus conturbare, & inuertere ueritatem Euangelij Chriſti, ſed ego dico uobis, quòd non modo, ſi illi aliter enunciauerint uobis, quàm quod uobis annunciauimus de Chriſto, ſeparandi ſint à conſortio ueſtro, & omnino repellendi, ſed ſi etiam nos ipſi, qui tantæ auctoritatis ſumus apud uos, & qui primi prædicauimus uobis Euangelium Chriſti (loquendo de ſe ipſo, & de fratribus, qui ſimul cum eo ſcribebant epiſtolam) & non ſolum nos, uerum etiam, ſi Angelus deſcendens de cœlo uobis enunciaret, aliquid aliud expedire ad ſalutem conſequendam, præter illud, quod uobis annunciauimus eſſe neceſſarium, nos (inquam) una, atque Angelus ipſe ſeparandi & expellendi eſſemus à uobis; & non modo ego, aut Angelus ſeparandus, ſed (quod paulo ante dixi, ut iterum repetam) ſi quis alius (quicunque fuerit) uobis annunciauerit aliquid aliud neceſſario eſſe obſeruandum, ut ſalutem conſequamini, præter ea, quæ à nobis accepiſtis, ille omnino repellendus ſit, & ſeparandus à uobis, & ueluti execrabile quoddam apud uos cenſeatur. Putant aliqui anathema eſſe proprium uocabulum Hebræis, quod quandam quaſi deteſtationem ſignificare uideatur. Alij uero melius putant anathema eſſe uocabulum Græcum, quod ſeparatum ſignificat, quia antiqui ſpolia ea, quæ dicabant Deo, ſeparata à communi uſu hominum Anathema appellabant, unde omne, quod ſeparatum eſt, Anathema dixerunt. Propterea in
Ioſ. 6. *Ioſue legimus, quòd ille ſpolia Ierico anathematizauit; unde ſeparatum cum deteſtatione quadam anathematizatum appellamus; ſicuti Eccleſia hodie ſeparatos à ſe ipſa cum deteſtatione non modo excommunicatos, ſed etiam anathematizatos appellat.*

MODO ENIM HOMINIBVS SVADEO, AN DEO? AN QVAERO HOMINIBVS PLACERE? SI ADHVC HOMINIBVS PLACEREM, CHRISTI SERVVS NON ESSEM.

Vtique cenſeo illum ſeparandum eſſe à uobis, qui præter ea, quæ prædicaui uobis, aliqua alia neceſſaria eſſe putet ad ueſtram ſalutem, nam modo, id eſt nunc, & in hoc ſtatu, in quo ad fidem conuerſus ſum, & factus Apoſtolus Chriſti, ſuadeo Deo, an hominibus? id eſt debeo perſuadere ea, quæ hominibus grata ſunt, ut ſunt cæremoniæ, & obſeruantia legis, an magis ea, quæ ſunt

grata Deo, uidelicet gratiam nobis communicatam per Ieſum Chriſtum ſolam ſatis ad ſalutem eſſe ſine obſeruantia cæremoniarum ueteris legis? Vel dum dico uobis, quòd, quicunque cenſet aliquid aliud neceſſario eſſe obſeruandum, præter id, quod ego uobis prædicaui, ſeparandus ſit à uobis, putatis'ne, ut id faciam, quaſi perſuaſurus ueritatem Deo, an uobis? certe non Deo, nam illi manifeſti ſumus (ut ipſemet Corinthijs ſcribens dicit) ſed uobis, ad quos miſſi ſumus, ueritatem Euangelij ſuadere debemus. An ego, qui propter Chriſtum omnia contempſi, & ueteris legis inſtituta reliqui, debeo placere, & morem gerere hominibus, qui prædicant, & docent adhuc cæremonias legis eſſe obſeruandas? non debeo hæc profectò facere, nam ſi adhuc, id eſt in hoc ſtatu, in quo poſitus ſum, ſub Chriſti Euangelio hominibus placerem, prædicando cæremonias legis eſſe obſeruandas, quod dum eſſem inter Iudæos tam acriter feci, ſi hoc nunc utique facerem, Chriſti ſeruus non eſſem; nam ſi cæremonias, cæteraq; legis inſtituta ſeruanda eſſe prædicarem, non ſeruirem Chriſto, qui ea omnia morte ſua aboleuit, & quod aboleuit, illud idem à me prædicari uoluit: ſed ſi inſtituta ueteris legis adhuc obſeruanda eſſe prædicarem, ut olim faciebam ante conuerſionem meam, adhuc in lege illa ueteri conſtitutus eſſem; & non eſſem ſeruus Chriſti, ſed ſeruus eorum hominum, qui putant paſſionem Chriſti ſine adiumento cæremoniarum ueteris legis ad expiationem noſtrorum peccatorum non eſſe ualituram.

2. Cor. 5.

NOTVM ENIM VOBIS FACIO FRATRES EVANGELIVM, QVOD EVANGELIZATVM EST À ME, QVIA NON EST SECVNDVM HOMINEM, NEQVE ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLVD, NEQVE DIDICI, SED PER REVELATIONEM IESV CHRISTI.

Ego quidem neque à Chriſto per hominem, neque ab aliquibus alijs hominibus, ſed ab ipſo uno Chriſto ſum factus Apoſtolus, à quo etiam per reuelationem accepi hoc totum Euangelium, quod uobis prædicaui. Iccirco uobis hac epiſtola mea notum facio nunc, quod nondum antea prædicationibus meis uobis expoſueram iſtud ſcilicet Euangelium, quod à me tum uobis, tum etiam cæteris gentibus eſt euangelizatum, & prædicatum, non eſſe ſecundum hominem, quoniam homo myſteria ſummi Dei proprijs ſenſibus, proprioq; intellectu comprehendere non poteſt. Non enim illud (inquit) ab homine aliquo accepi, quoniam nullum hominem ſane ullo unquam tempore de Chriſto prædicantem audiui,

neque etiam memini, me ullius hominis beneficio uſum eſſe, qui me docuerit Chriſti Euangelium, ſed Chriſtus ipſe per ſe ipſum dignatus eſt mihi illud reuelare, ut idem illud tum uobis, tum etiam cæteris gentibus prædicarem.

AVDISTIS ENIM CONVERSATIONEM MEAM ALIQVANDO IN IVDAISMO, QVONIAM SVPRA MODVM PERSEQVEBAR ECCLESIAM DEI, ET EXPVGNABAM ILLAM, ET PROFICIEBAM IN IVDAISMO SVPRA MVLTOS COETANEOS MEOS IN GENERE MEO, ABVNDANTIVS AEMVLATOR EXISTENS PATERNARVM MEARVM TRADITIONVM.

S *i autem ſcire cupitis ò Galatæ, quo nam modo per reuelationem Ieſu Chriſti Euangelium acceperim, dicam uobis. Nam aliquando, antequam ad fidem Chriſti conuerſus eſſem, audiſtis ex ſermone multorum conſuetudinem meam, quo nam pacto inter Iudæos legi, eiusq; cæremonijs maxime addictus uerſarer, ſupra modum, id eſt ardentius quàm cæteri Iudæi maximis perſecutionibus affligens congregationem illorum, qui in Chriſtum crederent; neque contentus eram perſequi, uerum etiam expugnare, & euertere conabar eccleſiam Chriſti: quia non modo illam maledictis inſequebar, ſed accepta poteſtate à pontificibus, acceptisq; eorum epiſtolis, Damaſcum proficiſcebar, ut omnes huiuſce uiæ uiros, ac mulieres uinctos ducerem in Hieruſalem; & in hoc genere perſecutionis Chriſtianorum, defenſionisq; rituum, ac cæremoniarum legis ſupra alios omnes ætatis meæ Iudæos magnopere laborabam; & in genere meo, quia non modo Iudæus eram, uerum etiam Phariſæus, multo quidem magis, quàm cæteri, ex genere meo iudaiſmi zelator, non ſolum ante oculos habens legem, uerum etiam maiorum meorum inſtituta atque traditiones, quibus maxime excitabar, ut eccleſiam Dei perſequerer, & expugnarem. Hoc autem dixit, quia Iudæi, præter legem traditam à Moyſe, habebant etiam quædam maiorum ſuorum documenta, quæ traditiones appellabantur, quasq; ſæpius legi, & mandatis Dei anteponebant; unde Veritas in Euangelio illos reprehendit dicens. Reliquiſtis mandata Dei propter traditiones hominum.*

Math. 15.

CVM AVTEM PLACVIT EI, QVI ME SEGREGAVIT EX VTERO MATRIS MEAE, ET VOCAVIT PER GRATIAM SVAM, VT REVELA

ret

RET FILIVM SVVM IN ME, VT EVANGELIZAREM ILLVM IN GENTIBVS, CONTINVO, NON ACQVIEVI CARNI, ET SANGVINI.

Itaque hoc modo perſequebar, & expugnabam eccleſiam Dei, at ubi Deo placuit me ſegregare, & ſeparare ex utero matris meæ, id eſt à cœtu, & congregatione ſynagogæ Iudæorum, quam matrem appellat, eo quòd eum paſceret, ac nutriret lacte erroris, & non ueritatis. Segregauit (inquam) quia, multis alijs remanentibus in errore perfidiæ ſuæ, ipſum tantum ſeparauit. Vel fortaſſe uterum matris non intelligit eſſe ſynagogam, ſed gentem & nationem Iudæorum: cæteris nanque Apoſtolis miſſis ad prædicandum Iudæis, ille ſolus ſegregatus, & ſeparatus fuit à Iudæis, ut inter gentes prædicaret Euangelium Chriſti, quod paulo poſt dicturus eſt, uel (ut ſecundum literam exponatur) ſic intelligendum eſt; quòd Apoſtolus quendam modum loquendi proprium ſuum ſeruauerit, dicendo. Cum placuit ei, Deo ſcilicet, qui ſeparando me ab utero matris meæ, in hanc lucem me pertraxit, id eſt naſci fecit. Placuit (inquam) ut uocaret me per gratiam ſuam mirabili illa, & inaudita uocatione quando me proficiſcentem Damaſcum proprio nomine uocauit, dicens. Saule Saule cur me perſequeris? Vocauit (inquam) per gratiam, & amorem ſuum, quia nulla mea præceſſerant merita, quibus tali, ac tanta uocatione dignus eſſem, quoniam inimicus Chriſti eram, perſequens ſupra modum eccleſiam ſuam; & ideo non per merita mea, ſed per gratiam Chriſti fui uocatus. Vocatio enim Dei, qua homines inimicos ſuos uocat ad fidem, per gratiam eſt, unde ipſa fides donum Dei eſt (ut ipſemet teſtatur) propter hoc autem plurimi iudicauerunt, Deum ſola ſua uoluntate unum magis quàm alterum uocare ad fidem ſuam; & hoc exemplo Apoſtoli, quod ex hoc loco ſumpſerunt, probare uoluerunt, qui cum perſequeretur eccleſiam Dei, ut expugnaret illam, uocatus fuit à Ieſu Chriſto. Nos uero aliter cenſemus rem hanc ſe habere: nam licet Chriſtus uocet per gratiam homines ad fidem ſuam, non tamen magis hunc, quàm illum uocat, ſed omnes uocat, quia uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire; & quamuis non omnes uocet uno genere uocationis, omnes tamen uocat, quia omnibus inſtituit prædicari Euangelium ſuum. Quòd autem Paulum ſingulari quodam genere uocationis uocauerit, conuenienter tamen hoc fecit Chriſtus; Quia enim uiderat adoleſcentem ſupra naturæ ſuæ conditionem Dei amore flagrantem, & ardentem in defenſione legis, ita ut eccleſiam Chriſti, quam inimicam Deo, & legi repugnantem eſſe arbitrabatur, ſummo odio proſequeretur; & quia per ignorantiam faciebat hoc (ut ipſe ad Timotheum 1. Timoth. 1.

de ſe ipſo ſcribit) propterea rationabiliter Chriſtus mirabili hoc uocationis gene re illum uocauit, quoniam ſciebat eum neque odio, neque maleuolentia, ſed cha ritate, & zelo religionis, & amoris, quem erga Deum habebat, eccleſiam Chri ſti expugnare uelle. Propterea tam feruentem, tamq; à puero bene inſtitutum adoleſcentem in lege Dei elegit Chriſtus in Apoſtolum, iam uidens eum animi eo= dem affectu eademq; conſtantia defenſurum fore Euangelium ſuum, poſtquam fidem ſuam ſuſcepiſſet, quo legem ante, & traditiones magiſtrorum ſuorum tueri conatus eſſet: nec alia quidem uocatione tam ardens animus potuiſſet defle= cti, & ad fidem Chriſti conuerti: nam cum Moyſem, cæteroſq; Prophetas, ma ioreſq; etiam ſuos omnes omnibus Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti anteferret, quoniam planè ſciebat per illorum ora Deum locutum fuiſſe, non potuiſſet per hos Apoſtolos, & diſcipulos Chriſti ad fidem illius conuerti, præcipue, quia Apo ſtoli uidebantur legi Moyſi non nihil derogare. Quare neceſſarium fuit, ut non ab homine, ſed ab ipſo Chriſto inſolita illa, ac ſtupenda uocatione accerſe= retur; fuit itaque gratia, ut uocaretur, fuit etiam conſentaneum, ut tali ge= nere uocationis attraheretur. Quare autem illum uocauerit Deus, declarat, di= cens. Ideo uocauit me, ut in me ipſo reuelaret Filium ſuum, quem ego nunquam
Act. 22. per me ipſum cognoſcere potuiſſem; Nam licet ille ad pedes Gamahelis adoleſcens dicat ſe legem didiciſſe, nunquam tamen per eam legem, aut per Prophetas Chri ſtum ueniſſe intelligere ualuiſſet: uelo enim quaſi ſuperfuſo, omnia Propheta= rum oracula, quæ de Chriſti aduentu loquebantur, ita tecta erant, ut acies hu= mana ad eorum perſpicuam cognitionem penetrare non poſſet: Iccirco Dominus
Ioan. 15. in Euangelio de Iudæis dicebat. Si ego non ueniſſem, & locutus eis non fuiſſem, & opera non feciſſem, utique peccatum non haberent. Idem Petro qui appel=
Math. 16. lauerat eum Filium Dei uiui, reſpondit. Caro & ſanguis hoc illi non reuelauit, ſed Pater cœleſtis. Velamen enim poſitum erat ſuper ſcripturas, ita ut tecta ueritas, ac uelata ab eorum oculis uideri non poſſet: ſatis etiam uериſimile eſſe po teſt, ut propter adoleſcentiam Paulus neque Chriſtum prædicantem, neque eun dem miracula facientem aut audire, aut conſpicere potuiſſet; iccirco Veritas quaſi
1. Timoth. 1. uelo contecta ab ipſo uideri non poterat, ut ipſemet Timotheo confitetur, ſe per ignorantiam peccauiſſe. Hunc igitur de cœlo uocauit, cui Filium ſuum reuela= ret, & uelo omni detecto lucidiſſimam ueritatem aperiret, ut is, quem iam ue= lamine ſoluto conſpexiſſet inter Gentes, apertiſſima teſtificatione continuo, id eſt nulla interpoſita mora prædicaret. Vbi autem reuelationem illam accepit, dicit ſe non acquieuiſſe carni, & ſanguini, hoc eſt noluiſſe amplius conſentire, neque obedire Iudæis præcipientibus ſibi, ut Chriſtianos, ſicut antea eorum iuſſu ſoli= tus eſſet, perſequeretur, quinimmo contemptis omnibus eorum præceptis, ſtatim

poſt

poſt Chriſti reuelationem Euangelium ſibi commiſſum etiam inter ignotas gentes ſtatuit prædicare.

NEQVE VENI HIEROSOLYMAM AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS, SED ABII IN ARABIAM, ET ITERVM REVERSVS SVM DAMASCVM.

N*on modo nolui denuo meis Iudæis de perſecutione Chriſtianorum acquieſcere, uerum neque etiam ueni* Hieruſalem *ad Apoſtolos, qui ante me uocati fuerant à Chriſto in Apoſtolatum, ſed ſtatim abij in Arabiam, & cum diſceſſiſſem ex Arabia, denuo reuerſus ſum Damaſcum; quod ideo dixit, ut declararet ſe illico paruiſſe* Deo, *ſeq́; prædicauiſſe Euangelium à Chriſto ſibi impoſitum, abſq; quòd ab aliquo Apoſtolorum illud didiciſſet (quod deinde cumulatius explicabit) cum neque adhuc Apoſtolos uidiſſet, neque in eum locum, ubi illi morabantur, ueniſſet, ſed inter gentes incultas, à quibus nullam prope de Chriſto cognitionem accipere potuiſſet, uidelicet in Arabia, omne illud tempus traduxiſſet.*

DEINDE POST ANNOS TRES VENI HIEROSOLYMAM VIDERE PETRVM, ET MANSI APVD EVM DIEBVS QVINDECIM; ALIVM AVTEM APOSTOLORVM VIDI NEMINEM, NISI IACOBVM FRATREM DOMINI.

C*um autem ex Arabia iterum Damaſcum rediſſem, & per multos dies ibi commoratus fuiſſem, adeo ut triennium ab eo tempore, quo à Chriſto uocatus fui, uerſatus ſim uel in Damaſco, uel in Arabia, hoc quidem peracto tempore profectus ſum* Hieruſalem, *ut* Petrum *uiderem, apud quem ſpatio dierum quindecim tantum permanſi.* Dixit *autem, ſe poſt triennium, & non antea profectum fuiſſe* Hieroſolymam, *ut declararet, ſe tum in Damaſco; tum etiam in Arabia inter gentes prædicauiſſe Euangelium Chriſti, abſque, quòd ab aliquo Apoſtolorum inſtructus eſſet; & ob eandem cauſam dicit ſe profectum fuiſſe Hieroſolymam, non ſanè, ut ab Apoſtolis doceretur, ſed tantum, ut* Petrum *uideret, non autem, ut ab eo inſtrueretur.* Poſtremo *etiam dixit, ſe breuiſſimum temporis ſpatium apud eum degiſſe (quindecim enim tantum diebus apud illum permanſit) ut tam breui temporis interuallo demonſtraret, ſe non potuiſſe ab eo Euangelium Chriſti edoceri, & ne uideretur ab aliquo aliorum Apoſto-*

lorum fuiſſe edoctus, ſubdit, quòd Hieroſolymis præter Petrum, nullum Apo ſtolorum uiderit, niſi Iacobum fratrem Domini; quem cum Apoſtolum nominauerit, exiſtimandum eſt, hunc fuiſſe Iacobum Alphæi, quem Apoſtoli Hieroſolymis Epiſcopum primum inſtituerunt: propter hoc autem fratrem Domini appellauit, quia cognatione illi coniunctus erat, nam ex Maria ſorore beatæ Mariæ matris Ieſu Chriſti, & ex Alphæo patre Iacobus hic, qui minor etiam dictus fuit, ortus erat; propterea frater Domini dictus eſt, quia conſueuit ſcriptura huiuſcemodi coniunctos ſanguine fratres appellare, ſicuti Abraham & Loth fratres nominauit. Series autem, atque ordo iſtius generationis talis eſt. Anna primum nupſit Ioachim, ex quo ſuſcepit filiam Mariam matrem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum obiiſſet, nupſit poſtea Cleophæ, ex quo etiam ſuſcepit alteram Mariam uxorem ſcilicet Alphæi, quæ quidem quatuor filios generauit, Iacobum hunc, quem diximus, Ioſeph, Simonem, & Tadeum; qui Alphæus cum obiiſſet, Anna tertio etiam nupſit Salome, ex quo tertiam Mariam ſuſcepit, quæ & ipſa, cum nupſiſſet Zebedæo, Ioannem, & Iacobum maiorem dictum filios generauit. Non deſunt tamen aliqui doctores Græci, qui aliter opinantur eſſe. Dicunt enim uere Iacobum fuiſſe fratrem Domini, propterea, quòd eſſet filius Ioſeph uiri matris Domini; quia cum Ioſeph haberet alterum fratrem Cleopam dictum, cum ille ſine liberis mortuus fuiſſet, Ioſeph ſecundum legem accepta eius uxore ſuſcitauit ei ſemen, & ſex liberos illi procreauit, quatuor mares, & duas fœminas, uidelicet Iacobum, Ioſem, Simonem, & Iudam, & Mariam, & Salome; & hoc modo hunc Iacobum fratrem Domini eſſe aſſeruerunt; Sed talis Græcorum opinio facile repelli poteſt ex dictis Euangelij. Nam Matheus in enumeratione nominum Apoſtolorum refert duos Iacobos inter Apoſtolos fuiſſe, alterum filium Zebedæi, alterum uero filium Alphæi; hunc itaque Iacobum, quem Apoſtolus & fratrem Domini, & Apoſtolum eſſe nominauit, neceſſe eſt dicere, uel eſſe filium Zebedæi, uel Alphæi, & propterea non potuit eſſe filius Ioſeph. Cenſendum ergo eſt hunc Iacobum fratrem Domini fuiſſe filium Alphæi, quia ille relictus fuit ab Apoſtolis Hieroſolymis, & inſtitutus Epiſcopus. Nec minus hac una quæſtione declarata oritur etiam alia ſatis obſcura, atque difficilis, nam quòd dicit Apoſtolus, ſe ſtatim poſt conuerſionem ſuam abiiſſe in Arabiam, deinde ſe reuerſum fuiſſe Damaſcum, & poſt annos tres, & non antea profectum fuiſſe in Hieruſalem, contradicit ei, quod in Actibus Apoſtolorum ſcriptum uidemus. Legimus enim eum poſt conuerſionem ſuam, cum Damaſci prædicauiſſet, propterea quòd à Iudæis tenderentur ſibi inſidiæ, confugiſſe Hieruſalem, ut coniungeret ſe diſcipulis, qui erant ibi, quem cum diſcipuli pertimeſcerent, Barnabas apprehendit eum, & ad

Math. 10.

Act. 9.

Apoſtolos

Apoſtolos conduxit, apud quos magna cum familiaritate conſueſcebat; ex quibus uerbis apparet, iſta non ſimul conuenire, ſcilicet quòd ſtatim poſt conuerſionem ſuam abierit in Arabiam, & non in Hieruſalem, ut Lucas teſtari uidetur; & deinde illa etiam inter ſe contraria uidentur eſſe, quòd neminem Apoſtolorum niſi Petrum, & Iacobum fratrem Domini uidiſſet, ut ipſe teſtatur; & quòd Deinde à Barnaba ad Apoſtolos ductus fuiſſet, ut eodem loco Actuum legitur. Sed facile iſtæ dubitationes ſolui poſſunt, ſi utraque hæc loca ſcripturæ diligenter conſiderauerimus. Quòd enim Paulus hoc loco dicat, ſe ex Damaſco profectum fuiſſe in Arabiam, & non in Hieruſalem, non repugnat ei, quod dicit Lucas, quòd ex Damaſco profugiens poſt illius conuerſionem iuerit Hieruſalem, quia dicit Apoſtolus, ſe in Arabia, & Damaſco conſumpſiſſe triennium, quo quidem peracto ſe in Hieruſalem deinde cōtuliſſe. Hoc autem eſt illud idem, quod Lucas refert. Nam Lucas dicit, quòd poſt illius conuerſionem dum adhuc eſſet Damaſci, impleti ſunt multi dies, poſt quorum impletionem Hieroſolymam profugit, quos multos dies Apoſtolus triennium appellauit, nec refert, quòd Lucas tacuerit de profectione ſua in Arabiam, quia non omnia ab uno in ſacris literis ſcripta ſunt, & hoc perſimile factum fuiſſe ſæpe uidemus ab Euangeliſtis, eo quòd omnia non ſint ſcripta ab uno, ſed à diuerſis; tacuit autem Lucas profectionem Apoſtoli in Arabiam, quia fortaſſis in ea nihil egregij illum feciſſe indicauit: poſt igitur conuerſionem ſuam è Damaſco abijt in Arabiam, & rurſus ab Arabia in Damaſcum reuerſus eſt: triennio interim conſumpto Hieruſalem commigrauit. Nec etiam repugnare uidetur, quòd ſecundo loco dubitationem faciebat, ſcilicet quòd in Hieruſalem non uiderit, niſi Petrum & Iacobum fratrem Domini, & contra Lucas referat eum à Barnaba apprehenſum, & ad Apoſtolos in Hieruſalem ductum fuiſſe; quoniam ſi ad Petrum & ad Iacobum ductus fuit, qui erant Apoſtoli, ad Apoſtolos ipſum ductum fuiſſe dicendum eſt. Satis enim conſtat ibi plures uno Apoſtolo fuiſſe; uel fortaſſe poterant ibi eſſe aliqui de numero ſeptuaginta duorum Apoſtolorum, quos etiam Apoſtolos appellamus.

Act. 9.

QVAE AVTEM SCRIBO VOBIS, ECCE CORAM DEO, QVIA NON MENTIOR.

O *mnia autem ea ò Galatæ, quæ uobis ſignifico de conuerſione mea, & de uarijs meis profectionibus ad diuerſa loca: cæteráq; omnia, quæ uobis infra ſum expli caturus, non putetis à me conficta eſſe; quia ſi uobis iſta fortaſſe incognita uidentur, ecce tamen quòd uera ſunt in conſpectu Dei, qui me uocauit, & ad ea*

etiam loca me accedere iuſſit. Illum itaque omnium horum teſtem habeo, qui ſcit, quòd de his nullo modo mendacium dico.

DEINDE VENI IN PARTES SYRIAE ET CILICIAE: ERAM AVTEM IGNOTVS FACIE ECCLESIIS IVDAEAE, QVAE ERANT IN CHRISTO: TANTVM AVTEM AVDITVM HABEBANT, QVONIAM, QVI PERSEQVEBATVR NOS ALIQVANDO, NVNC EVANGELIZAT FIDEM, QVAM ALIQVANDO EXPVGNABAT; ET IN ME CLARIFICABANT DEVM.

Poſtquam autem Petrum uidiſſet Hieroſolymis, & exacto iam quindecim dierum ſpatio, dicit ſe diſceſſiſſe, & ueniſſe in partes Syriæ, & Ciliciæ, ut qui Gentium Apoſtolus à Domino deſignatus erat, Gentibus quoq; Euangelium prædicare poſſet. Ad eccleſias autem & loca Iudæorum non acceſſit, tum quia in pa-
Act. 9. *ce erant (ut in Actis legimus) & propterea Apoſtoli prædicatione non egebant: tum etiam quia alij Apoſtoli iecerant iam ibi fundamenta fidei, & in illis locis inuulgatum iam erat Euangelium Chriſti; & quia ille erat prædicaturus Euangelium in illis locis, in quibus Chriſtus nondum erat annunciatus, ne ſu-*
Rom. 15. *per alienum fundamentum ædificare uelle uideretur (ut ad Romanos ſcribens de ſe ipſo teſtatur) propterea in regiones Gentilium ad prædicandum Chriſtũ profectus eſt, & moram non pertraxit in Iudæa, cuius eccleſijs, quæ iam fidem Chriſti ſuſceperant, neque uultu, neque ore notus erat; ſed tantum de illo audierant, quòd qui uarijs ſuppliciorum generibus Chriſtianos aliquando perſequeretur, ut eos à fide Chriſti diuelleret, nunc, quam olim expugnare conabatur, fidem prædicaret, atque annunciaret; ex qua mirabili conuerſione læti dabant gloriam Deo, atque illum magnificabant, quia ipſe ſolus tam acerrimum olim fidei ſuæ hoſtem illius nunc fortiſſimum defenſorem effeciſſet. Syria prouincia eſt proxima Iudææ, quæ olim & Iudæa & Paleſtina propter uicinitatem fuit appellata. Nunc uero, & tempore Apoſtoli ea regio, quæ Damaſcum continet, & quæ à montibus recedit, mariq; abluitur, proprie Syria nuncupatur; quæ, ubi Ciliciæ ſe coniungit, Antiochiam olim clariſſimam habuit ciuitatem, in qua Petrus Apoſtolorum princeps diu gubernauit eccleſiam: Syriæ autem coniuncta eſt Cilicia Aſiæ prouincia, quæ à Cilice rege olim dicta fuit. Metropolim habet Tharſum urbem, in qua Paulus Apoſtolus natus Tharſenſis dictus fuit. Vtraq; autem hæc regio tam Syria, quàm Cilicia à Gentibus*

tempore

tempore Pauli incolebatur: propterea ille relicta Iudæa, cum eſſet Gentilium inſtitutus Apoſtolus, in Syriam, & Ciliciam ad prædicandum Gentilibus Euangelium Chriſti commigrauit.

CAPVT SECVNDVM.

DEINDE POST ANNOS QVATVORDECIM ITERVM ASCENDI HIEROSOLYMAM CVM BARNABA, ASSVMPTO ET TITO. ASCENDI AVTEM SECVNDVM REVELATIONEM, ET CONTVLI CVM ILLIS EVANGELIVM, QVOD PRAEDICO IN GENTIBVS.

Cum diſceſſiſſet ab Hieruſalem, & contuliſſet ſe in partes Syriæ, & Ciliciæ, ut inter Gentes prædicaret Euangelium, denuo dicit ſe reuerſum fuiſſe in Hieruſalem poſt annos quatuordecim, ex quo diſceſſiſſet ab Hieruſalem; uel poſt annos quatuordecim à die ſuæ conuerſionis, ſecumq́; duxit Barnabam & Titum: Barnabam quidem Cyprium genere, religione primo Iudæum & deinde conuerſum: Titum uero Græcum ex Gentilibus conuerſum, & incircunciſum; quos tanquam teſtes ſuarum prædicationum Hieroſolymam duxit, ut ſi quis forte negaret Paulum prædicauiſſe, quæ dicebat, iſtorum duorum probatiſſimorum hominum teſtificatione comprobaret, quæ quidem teſtificatio ut probabilior eſſet, unum Iudæum, & alterum Gentilem, utrunque tamen ad fidem conuerſum, ſecum pertraxit; Aſſumptis itaque duobus iſtis, tanquam teſtibus, aſcendit Hieruſalem, quoniam Syria & Cilicia regiones ex ipſo ſitu loci demiſſiores ſunt reſpectu Hieruſalem, quæ in montibus ſita eſt, & hoc quidem fecit, non quòd ille à ſe ipſo cogitaſſet eo pergere, ſed per reuelationem ei factam à Deo; quod utique dixit, ut cauſam ſuæ profectionis non ex proprio animi motu, ſed ex reuelatione atque (ut ita dicam) impulſione Spiritus ſancti fuiſſe oſtenderet: hanc autem profectionem Pauli in Hieruſalem poſſumus ſuſpicari illam eſſe, quam in Actibus Apoſtolorum legimus. Nam cum Antiochiæ orta eſſet ſeditio inter Iudæos & Gentiles conuerſos, utrum deberent legalia ſeruari, placuit eis, qui ibi erant mittere Paulum & Barnabam in Hieruſalem, ut conſultis Apoſtolis declararetur, quid eſſet obſeruandum: potuit autem de hac re ſibi fieri reuelatio, ut in Hieruſalem pergeret, & cum Apoſtolis conferret Euangelium, quod prædi- Act. 15.

cabat inter Gentes, & hoc quidem ei ſuaſit Spiritus ſanctus faciendum, ut ſedaretur diſcordia Antiochiæ orta de legalibus ſeruandis, quia ſtatim ut Apoſtoli determinauerunt uenientibus ad fidem Gentilibus non eſſe ſeruandam circunciſionem, ſedata fuit ſeditio illa. Dixit autem ſe iuiſſe, ut conferret Euangelium, quod inter gentes prædicaret, non autem ut aliquid ab illis addiſceret; quia Chriſtum præceptorem iam habuerat, & ideo eorum opera in hoc non indigebat.

SEORSVM AVTEM IIS QVI VIDEBANTVR ALIQVID ESSE, NE FORTE IN VANVM CVRREREM, AVT CVCVRRISSEM.

Contuli autem cum illis, qui Hieroſolymis erant, non publice, non in conuentu multorū, ſed magis ſeorſum, priuatimq́; : cū ijs (inquā) qui uidebātur aliquid eſſe, hoc eſt cum maioribus, & cum ijs, qui in pretio apud eos erant, uidelicet cum Apoſtolis, Petro, & Iacobo, & cæteris maioribus, qui tunc Hieroſolymis erant: priuatim autem, & non publice de non obſeruandis legalibus cum maioribus uoluit conferre, ne aliquis tumultus exoriretur: non enim poterant adduci Iudæi nuper conuerſi, ut ſine obſeruantia legalium homines, quamuis ad fidem Chriſti conuerſos, ſalutem conſequi poſſe exiſtimarent: & propterea priuatim, & non publice cum illis contulit Euangelium, quod prædicabat. Imitentur igitur Apoſtolum, quicunque locum hunc legerint; ut ſi quid eis de doctrina Chriſtiana dubitandum occurrerit, aut de eorum obſeruantia, quæ ad religionem noſtram attinent, aliquid obſcurum apparuerit, non publice in conuentibus indocilis uulgi diſcordias excitent, ſed ſeorſum, & priuatim eccleſiæ maiores adeant, & cum illis conferant quid ſit obſeruandum, atque docendum; quemadmodum
Deut. 32. docuit Moyſes dicens. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi. Quandoquidem ipſe Paulus à Deo edoctus, Apoſtolusq́; Gentibus datus non dedignatus ſit ueritatem, quam à Chriſto acceperat prædicandam, cum maioribus eccleſiæ conferre. Cur autem cum illis contulerit Euangelium, nunc cauſam explicat; ueluti diceret. Ideo contuli Euangelium cum illis, ut oſtenderem curſum mearum prædicationum non fuiſſe, neque eſſe ſine fructu, nam, quod iuſſit mihi Dominus prædicare inter Gentes, ſine aliqua mora perfeci, neque hoc inaniter & ſine fructu feci, nam paruo temporis ſpatio multas gentes ad fidem Chriſti conuerti, uel aliter. Ideo contuli cum maioribus Euangelium, quod prædicabam inter Gentes, priuatim, & non publice, ne ſi publice contuliſſem, ſeditiones, aut ſchiſmata, excitaſſem, & ſic inutiliter laborarem, aut laborauiſſem.

Sed

SED NEQVE TITVS, QVI MECVM ERAT, CVM ESSET GENTILIS, COMPVLSVS EST CIRCVNCIDI, SED PROPTER SVBINTRODVCTOS FALSOS FRATRES, QVI SVBINTROIERVNT EXPLORARE LIBERTATEM NOSTRAM, QVAM HABEMVS IN CHRISTO IESV, VT NOS IN SERVITVTEM REDIGERENT.

Quando autem cum maioribus iſtis, qui erant Hieroſolymis*, contuli* Euangelium*, quod prædicabam, oſtendi, circuncisionem, & legalia non eſſe amplius obſeruanda, idq́; cum docuiſſem, factum eſt; ut nec* Titus*, qui mecum erat, quamuis* Gentilis *eſſet, compulſus fuerit circuncidi ab* Apoſtolis*, & à maioribus illis, cum quibus* Euangelium *contuleram; ſed quamuis non compelleretur ab* Apoſtolis*, uidebatur tamen à nonnullis compelli, qui clam introducti ad nos, dum cum maioribus illis conferremus* Euangelium*, ſe falſo nomine fratres* Chriſtianos *appellantes, non propter ueritatem fidei uenerant, ſed clanculum ueluti exploratores noſtræ libertatis irrepſerant, ut uiderent ſi nos non amplius ſeruaremus legalia, ac magis uteremur libertate, quam nobis* Ieſus Chriſtus *donauit; & hoc quidem faciebant iſti, ut nos in ſeruitutem legis redigerent.* Vocauit *autem libertatem, ipſam legem* Chriſti*, quia per illam fuimus liberati à ſeruitute circunciſionis, & cæremonialium, ſicuti ipſam legalium obſeruationem uocauit ſeruitutem, quia per eam ueluti ſerui detinebamur;* Titi *attulit exemplum, qui* Hieroſolymis *à primis* Apoſtolorum *compelli non potuerit, ut circuncideretur, ut inde intelligerent* Galatæ*, ſe extra* Hieroſolymam *multo minus ab inferioribus* Apoſtolorum *ſuaderi debere, ut circunciderentur, quando* Titus *à principibus* Apoſtolorum Hieroſolymis *non fuerit coactus ad circunciſionem ſuſcipiendam.*

QVIBVS NEQVE AD HORAM CESSIMVS SVBIECTIONI, VT VERITAS EVANGELII PERMANEAT APVD VOS.

Quamuis autem iſti falſi fratres, clanculum ad explorandam libertatem noſtram introducti, compellere uoluiſſent Titum *ad circunciſionem ineundam, ut nos ſubijcerent ſeruituti legis, ipſis tamen ſic compellentibus neque ad minimum temporis ſpatium (quod per horam ſignificauit) cedere uoluimus, ut antiquæ ſer-*

uituti legis iterum ſubijceremur. Volebant omnino illi ſuæ nos ſubijcere uoluntati, ut Titum circuncideremus, quibus acriter repugnantes, uicimus; & ſi quid aliquando conceſſimus, ſicuti cum Timotheum circuncidimus, hoc quidem non per ſubiectionem, aut ex eorum imperio, neque ut legalia ſeruaremus, aut circunciſionem neceſſariam eſſe iudicaremus, ſed propter Iudæos, qui in illis locis habitabant, fecimus, ut eos Chriſto lucraremur: ſi enim incircunciſum inter Iudæos duxiſſemus, utique illi, quibus propter eorum imbecillitatem permiſſa erant legalia obſeruari, repuliſſent nos; ſed quia Hieroſolymis diſputabatur utrum circunciſio Gentilibus ad fidem Chriſti conuerſis imponenda eſſet, noluimus Titum Gentilem circuncidere, ut ueritas Euangelij, quæ docet cæremonias legis iam prorſus abolitas eſſe, firma, atque inconcuſſa permaneret apud uos; etſi apud Iudæos permanere minus uideatur, quod enim prius uerbis prædicaui eſſe uobis obſeruandum, exemplo poſtremo, atque opere ipſo, docui eſſe faciendum.

AB IIS AVTEM, QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID (QVALES ALIQVANDO FVERINT, NIHIL MEA INTEREST, DEVS ENIM PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT) MIHI AVTEM, QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID, NIHIL CONTVLERVNT.

Dixerat ſe ueniſſe Hieroſolymam, & contuliſſe ſeorſum Euangelium cum ijs, qui uidebantur eſſe in pretio. Nunc autem dicit, quòd ab eiſdem, qui uidebantur eſſe in pretio, nihil illi collatum fuit, quamuis ille cum eis contuliſſet Euangelium, quod prædicabat, & ſic tacite innuere uidetur, non modo quòd ipſe aliquid ab eis non acceperit, ſed quòd illi magis à ſe multa acceperint, qui quales olim fuerint, Apoſtoli ſcilicet Ieſu Chriſti ab illo uocati, edocti, & illuminati, nihil tamen (ait) ad me attinet, nam ego nunquam opera eorum indigui, quippe qui eundem cum ipſis præceptorem, atque inſtructorem communem habui Ieſum Chriſtum, qui perſonam hominis non reſpicit, ita ut magis uni, quàm alteri addictus ſit, ſed tantum ueritatis eſt amator, & fautor: nihil enim refert ſi cum Domino ambulauerint, aut eundem prædicantem audierint, & ante me Apoſtolatus officium ſuſceperint, quia apud Deum gratior eſt ipſa ueritas fidei, quam profitemur, quàm ſit quæcunque perſona hominis; Ideo enim illi, qui uidebantur eſſe in pretio, nihil mihi contulerunt, quia non mecum Euangelium illud ſuum, quod prædicabant, cõmunicauerunt, quamuis meum

ego,

ego, quod prædicarem liberius iam, cum eis contuliſſem.

SED CONTRA, CVM VIDISSENT QVOD CREDITVM EST MIHI EVANGELIVM PRAEPVTII, SICVT ET PETRO CIRCVNCISIONIS, (QVI ENIM OPERATVS EST PETRO IN APOSTOLATVM CIRCVNCISIONIS, OPERATVS EST ET MIHI INTER GENTES) ET CVM COGNOVISSENT GRATIAM, QVAE DATA EST MIHI, IACOBVS, ET CEPHAS, ET IOANNES, QVI VIDEBANTVR COLVMNAE ESSE, DEXTRAS DEDERVNT MIHI, ET BARNABAE SOCIETATIS; VT NOS IN GENTES, IPSI AVTEM IN CIRCVNCISIONEM: TANTVM VT PAVPERVM MEMORES ESSEMVS, QVOD ETIAM SOLICITVS FVI HOC IPSVM FACERE.

N *ihil mihi quidem magni illi Apoſtoli contulerunt, ſed magis econtra (inquit) ego illis contuli; & hoc modo poſſunt uerba hæc cum præcedentibus copulari; uel ſic etiam intelligi poſſunt, non ſolum magni illi uiri nihil mihi contulerunt, immo econtra, id eſt ex alia parte, manifeſte cognouerunt per ea, quæ cum illis communicaui, quòd mihi quoque creditum, & commiſſum fuiſſet Euangelium præputij, id eſt Gentium, quemadmodum Euangelium Iudæorum commiſſum fuerat Petro, ut ſcilicet pari auctoritate Petrus circuncisis Iudæis, & ego præputiatis Gentibus prædicarem (cognouerant autem hoc ex ſermone Pauli, & multorum teſtimonio, præcipue illorum, qui cum eo Hieroſolymam acceſſerant) quòd autem fuerit illi creditum Euangelium inter Gentes, ſicuti Petro inter Iudæos, oſtendit dicens. Nam ille idem, ſcilicet Chriſtus, qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncisionis, id eſt qui dedit Petro poteſtatem prædicandi Iudæis, per uirtutem ſermonis, & facultatem miraculorum, dedit etiam mihi eandem facultatem inter Gentiles; & cum deinde Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui Hieroſolymis ueluti columnæ Eccleſiæ, id eſt cæteris excelſiores habebantur, & ſuper quibus tota ferme Eccleſia conſiſtere uidebatur, ex teſtimonio prædicationis & operum meorum perſpicue intellexiſſent gratiam, poteſtatem, & facultatem, ſcilicet tum prædicandi, tum miracula faciendi, quam mihi Chriſtus dono dederat, ſtatim dexteras ſocietatis, & amicitiæ dederunt mihi, & Barnabæ,*

iunximusq; una fœdus, ut ipſi inter Iudæos*, nos uero inter* Gentes *prædicationis munere fungeremur; unumq; tantum onus nobis impoſuerunt, rogantes, ut pauperum, qui* Hieroſolymis *degebant, memores eſſemus, in eleemoſynis colligendis, ut eorum inopiæ ſubueniremus, quod ego ſummo ſtudio ac diligentia perficere curaui; hoc etiam in cæteris epiſtolis ſuis diligentiſſime feciſſe uiſus eſt: quod ideo factum fuit, quia* Gentiles *conuerſi ad fidem ditiores erant* Iudæis*, qui ad fidem uenerant: tum quia* Iudæi *ad fidem uenientes omnia ad pedes* Apoſtolorum *ponebant: tum etiam quia à non credentibus* Iudæis *bona eorum, qui in* Chriſtum *crediderant, auferebantur.* Sed *ex his, quæ modo dicta ſunt, aliquis dubitare poſſet, & dicere,* Petrum *non fuiſſe ſuperiorem* Paulo *poteſtate, propterea quòd* Apoſtolus *hoc loco dicere uidetur, ſe ſeparatum fuiſſe à* Petro*, quoniam ipſe inter* Gentes*, & ille inter* Iudæos Apoſtolico *munere fungerentur, quod quidem inſtitutione* Chriſti *factum fuiſſe declarauit, uerbumq; illud, quo legimus eos inuicem dediſſe dexteras ſocietatis, augere uidetur difficultatem, quoniam, ubi eſt ſocietas, tolli uidetur præcellentia poteſtatis;* Cui *quidem dubitationi hoc modo ſatisfieri poſſe putamus, ut intelligendum ſit,* Paulum *(quantum ad munus prædicationis attinet) propterea quòd non ab homine, ſed ab ipſo* Chriſto *miſſus fuerat, ut* Gentibus *prædicaret, fuiſſe parem* Petro*; quod uero attinet ad poteſtatem, libere fatendum eſt,* Paulum *fuiſſe inferiorem* Petro*, quod ex hoc loco maxime oſtendi poteſt, quia dicit ſecundum reuelationem ſe profectum fuiſſe* Hieroſolymam*, ut conferret cum* Petro Euangelium*, quod prædicabat, quod quidem non feciſſet, niſi* Petri *poteſtatem ſua præſtantiorem eſſe iudicaſſet.*

CVM AVTEM VENISSET CEPHAS ANTIOCHIAM, IN FACIEM EI RESTITI, QVIA REPREHENSIBILIS ERAT.

C*um ergo diſceſſiſſem* Hieroſolymis*,* Antiochiamq; *ueniſſem compoſitis rebus, de circunciſione, & obſeruatione legalium, cuius gratia* Hieroſolymam *acceſſeram; & comprobatis omnibus, quæ ego antea euangelizaueram, detuliſſem literas* Apoſtolorum*, & ſeniorum, qui erant in* Hieruſalem*, de non aggrauandis* Gentilibus*, qui crediderant, ſcilicet ne tenerentur circuncidi, & legalia ſeruare:* Cum *etiam* Antiochiam Petrus *acceſſiſſet, publice, aperteq; in faciem, id eſt illi præſenti præſens reſtiti; meq; opinioni eius oppoſui, contrarium ab eo diſſentiens; & hoc ideo feci, quia ea, quæ* Petrus *faciebat* Antiochiæ*, quæ paulo poſt declarabit, reprehenſione digna erant;* Cur *autem eſſent, mox declarabit.* Qui

uero

uero literam legunt, quòd reprehenſus eſſet, adducunt cauſam. Nam cum Corneliũ centurionem Gentilem ad fidem conuertiſſet, & cum eodem comediſſet, reprehenſus fuit à fratribus Iudæis, quòd ad hominem Gentilem diuertiſſet; qui ne iterum argueretur ſubtrahebat ſe à commertio Gentilium, & conſuetudine tantum Iudæorum utebatur. Sed hæc expoſitio facile repelli poteſt ex his, quæ Paulus ipſe ſubijcit: ille enim declarat cauſam, cur reprehenſibilis eſſet Petrus. Quod ideo dixit, ut oſtenderet ſe nihil ab Apoſtolis accepiſſe, quin immo uoluiſſe Petro reſiſtere, propterea quòd non recto pede ad ueritatem Euangelij ambulare uideretur, dicens.

PRIVS ENIM QVÀM VENIRENT QVIDAM À IACOBO, CVM GENTIBVS EDEBAT; CVM AVTEM VENISSENT, SVBTRAHEBAT, ET SEGREGABAT SE, TIMENS EOS, QVI EX CIRCVNCISIONE ERANT; ET SIMVLATIONI EIVS CONSENSERVNT CAETERI IVDAEI; ITA VT BARNABAS DVCERETVR AB EIS IN ILLAM SIMVLATIONEM.

Propter hoc autem reprehenſibilis erat Petrus, nã dum Antiochiæ eſſet, priuſquam aliqui Iudæorum ab Hieroſolymis à Iacobo miſſi ad ſe ueniſſent, palam, atque aperte cum Gentilibus, qui ad fidem conuerſi erant, nulla habita ciborum differentia comedebat: at ubi uenerunt illi, ſubtrahebat ſe à conuiuijs Gentilium, ſéq; ab illis ſegregabat, ita ut non amplius cum illis manducaret, neque biberet; & hoc quidem faciebat metu, atque timore eorum Iudæorum, qui ex Hieroſolymis Antiochiam uenerant: timebat enim, ſi denuo cum Gentilibus, ſine ulla ciborum differentia manducauiſſet, & bibiſſet, ne illi recederent à fide, ſiq; ipſum, tanquam non obſeruatorem præceptorum legis, contemnerent; & ideo reprehenſibilis erat, quòd malo hoc ſuo exemplo alios, qui Antiochiæ erant, Iudæos in hanc opinionem pertraxerat; qui cum inſpicerent Petrum non amplius edere cum Gentilibus, propter hoc ipſi quoque ſe ab illis ſeparabant, & cum eiſdem cibum ſumere nolebant, quam quidem opinionem ſimulationem uocauit Apoſtolus, eo quòd Petrus in hoc ſimularet; nam aliter, ac per fidem Chriſti obſeruandum eſſe ſentiret, metu Iudæorum faciebat. Simulatio enim proprie eſt, cum aliud corde ſentimus, aliud opere facimus, qui patrius Hypocritarum mos eſt. quòd autem aliter ſenſiſſet Petrus, facile colligi poteſt ex uiſione, quam habuit ante baptiſmum Cornelij Centurionis, atque etiam ex ſententia, quam pau-

lo antea Hieroſolymis in concilio dixerat; & ita huic ſimulationi Petri cæteri Iudæi conſenſerunt, ut ab illis & Barnabas ipſe, qui una inſtitutus erat mecum & magiſter, & doctor Gentium, in hanc eandem ſimulationem, menſas Gentilium uitans, & inter cibos diſcernens, pertraheretur.

SED CVM VIDISSEM, QVOD NON RECTE AMBVLARENT AD VERITATEM EVANGELII, DIXI CEPHAE CORAM OMNIBVS. SI TV CVM IVDAEVS SIS GENTILITER VIVIS, ET NON IVDAICE, QVOMODO GENTES COGIS IVDAIZARE?

C*um itaque propter iſtam ſimulationem Petri, non modo Iudæi, uerum etiam & ipſe Barnabas iam cum Gentilibus non manducaret, & inter cibos diſcerneret, animaduertens ego, quòd non rectè, id eſt ſimpliciter, & libera ueritatis fronte, ſed per ſimulationem ad ueritatem Euangelij ambularent (quia etſi Euangelium Chriſti prædicarent, non tamen ſynceram, neque ſimplicem eius ueritatem manifeſtabant; ueritas enim Euangelij ſimplex eſt, ut ex ſola fide Chriſti, & non ex operibus legis iuſtificari hominem credamus: Petrus autem, & qui cum eo ſentiebant, unà cum Euãgelio obſeruabant etiam legalia, propterea ad ueritatem Euangelij nõ ambulabant) animaduertens (inquam) rem hanc eccleſiæ ualde pernicioſam, & Euangelicæ ueritati maxime contrariam eſſe, non potui me ipſum continere (quamuis Cephæ maxima eſſet in Eccleſia auctoritas) quin ei in faciem reſiſterem, unde dixi Cephæ coram omnibus, quia omnes illius exemplo in eandem ſimulationẽ pertrahebantur (coram omnibus inquam, quia ſi priuatim ſoli Petro ea eadem dixiſſet, cæteris quidem non profuiſſet) dixi ergo palam. Si tu Petre, cum ſis natione Iudæus, Gentiliter uiuis, hoc eſt non diſcernis inter cibos mundos, & immundos, ſed unumquenque cibum, per libertatem Euangelicam nobis à Chriſto conceſſam, exiſtimas eſſe mundum (uiuis quidem Gentiliter, & non Iudaice, quia Iudæi diſcernunt inter cibos, & cibos) quo iure, qua ratione per hoc tuæ ſimulationis exemplum ſubtrahendo te à menſa Gentilium, cogis Gentes iudaizare, id eſt ſecundum ritum legis Iudæorum, quæ præcipiebat abſtinere à quibuſdam cibis, quos immundos appellabant uiuere? Tu enim cum natura Iudæus ſis, legem deſeruiſti propter ueritatem Euangelij: quare autem Gentes, quæ nunquam legi Iudæorum adhæſerunt, ad fidem Chriſti conuerſas tuo exemplo compellis, ut derelictam à te legem complectantur? Illi enim cum te maximum Apoſtolum eſſe ſciant, uideantq; te te ipſum à ſuis ipſorum menſis,*

tanquam

tanquam immundis ſegregare, exiſtimant ſe quoque ad eandem abſtinentiam ciborum teneri, à quibus tu te ipſum abſtineas; & hoc modo cogis Gentes iudaizare. Ex his, atque alijs, quæ paulo antea retulimus aliqua ſunt diligenti ratione conſideranda. Primo, quòd Apoſtolus tam magnifice de ſe, & Apoſtolatu ſuo contra morem, & conſuetudinem ſuam locutus ſit nam dicit ſe ueniſſe Hieruſalem, & contuliſſe Euangelium cum illis, qui in pretio erant Hieroſolymis; ita tamen quòd illi nihil ſibi contulerint, neque ipſum compulerint circuncidere Titum. Mox, quòd illi, qui uidebantur eſſe columnæ, & fundamenta fidei, dexteras ſocietatis ſibi dederint, ut ipſe inter Gentes, illi autem inter Iudæos Euangelium Chriſti prædicarent. Deinde cum Petrus Antiochiam ueniſſet, quòd illi palam coram omnibus in faciem reſtiterit, publicéq; cauſam ſuæ illius ſimulationis patefecerit, eo quòd uidiſſet Iudæos illius exemplo ad ueritatem Euangelij non ambulare, quod non ideo ut inani quadam gloria rapi, aut inuidia moueri uideretur (hæc enim longiſſime abfuerunt ab Apoſtolo, qui ſemper de ſe magna cum humilitate ac modeſtia locutus eſt) ſed neceſſitate, compulſum feciſſe Apoſtolum exiſtimandum eſt, ut de ſe talia ſcriberet, nam, cùm inter Galatas multi pſeudo Apoſtoli eſſent, qui detrahebant Paulo, eo quòd uitanda legalia prædicaret, & circunciſionem prohiberet, quiq; eum dicebant cæteris Apoſtolis inferiorem eſſe, propterea quòd non ille Chriſtum, ſicuti cæteri Apoſtoli, coram audiuiſſet, neque ab eo miſſus fuiſſet, propterea hac compulſus neceſſitate tam ample ac magnifice de ſe ipſo loquens, oſtendit ſe nihil ab Apoſtolis accepiſſe; & Euangelium, quod prædicabat, ab illis comprobatum fuiſſe, ſeq; propter obſeruationem legalium Principi Apoſtolorum coram omnibus in faciem reſtitiſſe; Quæ omnia ideo feciſſe dixit Apoſtolus, ut, quæ ipſe prædicauerat de abolitione legalium Galatis, uera eſſe; & quæ Hieroſolymis communi conſenſu ab Apoſtolis comprobata fuiſſent, à pſeudo Apoſtolis reprehendi non debere oſtenderet. Dignum quoq; conſideratione eſſe uidetur, quòd Apoſtolorum principi Petro in propria eccleſia, quam regebat, coram omnibus in faciem auſus ſit Paulus reſiſtere, eumq; publice reprehendere in ea re præſertim, quam & ipſe antea per ſimulationem feciſſet; nam Timotheum circuncidit, ſibiq; ipſi in Cenchris capillos more Iudæorum totondit, cæteraſq; obſeruationes legis Hieroſolymis inter Iudæos cuſtodiuit, & multo maiora per ſimulationem fecit, quàm quæ Petrus feciſſet; & propterea maleuole feciſſe Paulus uidetur, qui in eo Petrum reprehenderit, in quo ipſe maxime eſſet reprehendendus; ſed facile hæc dilui poſſunt, ſi diligentius rem hanc conſiderare uoluerimus; Quòd enim Apoſtolus Petrum Apoſtolorum principem tum publice, tum etiam in Eccleſia propria reprehenderit, non ſine rationabili cauſa ipſum hoc feciſſe iudi=

camus, nam Petrus cum ſimulationis ſuæ exemplo Gentiles conuerſos ad obſeruationes legalium, & ad diſcernendum inter cibum & cibum, exinde compelleret, quòd ſuas ipſorum menſas euitaret, in cauſa quoque erat, ut cæteri Iudæi ad ueritatem Euangelij non ambularent, quæ nos docet conſumatas iam, & prorſus abolitas eſſe cæremonias legis per mortem Chriſti, per cuius ſolam fidem ſalutem conſequimur: propterea cum uidiſſet Paulus periclitari fidem, & ueritatem Euangelij, quam ipſe prædicauerat extingui, non potuit æquo animo tantum diſcrimen tolerare, ſed Petrum publice & coram omnibus ſimulantem, publice etiam & coram omnibus in propria Eccleſia reſidentem uoluit reprehendere, ut Petrus, & cæteri omnes Iudæi ab omni legalium uſu penitus diuerterentur, & Gentiles, quorum ipſe eſſet Apoſtolus, in ueritate quam eis prædicauerat, confirmarentur; Nec propter hoc, quòd princeps eſſet Apoſtolorum Petrus prætermitti ex reuerentia debuit, quin à Paulo reprehenderetur, quia in rebus fidei, qui ſuo exemplo in cauſa eſt erroris, & ſcandali, quacunque dignitate excellat, reprehendi poteſt & debet; & propterea non eſt mirum, ſi princeps Apoſtolorum Petrus, cuius exemplo cæteri Iudæi ad ueritatem Euangelij non ambularent, à Paulo reprehenſus fuerit; Paulus uero, ſi Timotheum circunciderit, comas ſibi totonderit, & reliqua legalia obſeruarit, licet & hæc ipſe omnia per ſimulationem fecerit, non tamen in ſcandalum, & perniciem Eccleſiæ, ſed ut inter Iudæos inde accommodatius conſueſcens uerbum Chriſti liberius prædicaret, & ſic eos facilius ad ueritatem Euangelij conuerteret; uterq; ergo Petri, & Pauli affectus æque bonus erat: Petrus enim ſimulabat, ne Iudæos conuerſos ab Hieroſolymis uenientes amitteret: Paulus uero pariter ſimulauerat, ut Iudæos, inter quos prædicabat, ad fidem Chriſti excitaret; ſed ex illa Petri ſimulatione ſcandalum Eccleſiæ proueniebat; & ideo reprehenſione dignus erat. At cum ſua hac ſimulatione Paulus Eccleſiam fundaret, non modo reprehendi non debebat, ſed laude magis dignus erat. Quæri etiam obiter ſolet, an Petrus in ſua hac ſimulatione peccauerit, nec ne, aliquibus ipſum propter hoc peccauiſſe aſſerentibus, quia reprehenſibilis eſſet: nullus enim reprehendi debet, niſi de peccato: aliquibus item in contrarium ſentientibus, ipſum ſcilicet non peccauiſſe: Nos uero exiſtimamus eum non peccauiſſe, quia intentio Petri erat Iudæos in fide conſeruare, quibus tanquam infirmis indulgebat, ut aliquas cæremonias legis ſeruarent, ſicuti Romanis ſcribens Paulus docet nos facere in diſcernendis cibis, potuerunt tamen aliqui ex hac Petri ſimulatione peccare, quia uidentes Petrum abſtinere ſe à cibis Gentilium, crediderunt adhuc legalia neceſſaria eſſe ad ſalutem, propter quod Paulus reprehendit Petrum, non quidem de peccato, ſed quòd illius exemplo cæteri peccarent. Deinde animaduertendum

Ro. 14.

tendum eſt etiam, quanta fuerit auctoritas Petri præ cæterorum Apoſtolorum auctoritate, quia Paulus dicit, ſe illi in faciem reſtitiſſe, quod quidem non dixiſſet, niſi aliquid magnum ſe dicere putauiſſet, nam reſiſtere in faciem Principi Apoſtolorum quid magnum, atque amplum eſſe iudicabat, quia ſi Petrum uel parem, uel inferiorem ſibi eſſe exiſtimaſſet, non tanti feciſſet hoc, quod dixit, ſe reſtitiſſe in faciem illi; neque illum, niſi præcellentem putauiſſet, tam acriter unquam reprehendiſſet; ſed, quia cognoſcebat, quòd propter præſtantem illius auctoritatem ſuo exemplo plurimi à ueritate Euangelij declinarent, ideo uiſum ſibi neceſſarium, ut illum adeo uehementer increparet. Hoc tamen exemplo non debent adduci fideles, ut putent unumquenq; poſſe ſuperiores ſuos, & præſertim eos, qui loco Apoſtolorum ſunt, ob quamcunq; cauſam reprehendere: hoc enim non docuit Apoſtolus, ſed nos tantum admonuit, ut ſuperiores noſtros Apoſtolos, & Paſtores, quorum exemplis cæteri non ambulantes ad ueritatem Euangelij Eccleſiam ſcandalizarent, reprehendere poſſemus: neque hoc etiam exemplo admonemur, ut unuſquiſq; poſſit ſuperiorem ſuum redarguere, ſed tantum licere Apoſtolo Apoſtolum poſſe reprehendere; & hoc quidem non abſq; ratione factum eſt, nam ſi unicuiq; in rebus fidei liceret ſuperiorem Apoſtolum reprehendere, maxima in Eccleſia Dei oriretur confuſio, tum etiam quia de rebus fidei non ſpectat ad omnes iudicare. Hoc enim munus eſt eorum proprium, qui Paſtores, & doctores in Eccleſia ſunt à Deo conſtituti; Propter quod his noſtris miſerimis temporibus tam magnas exortas fuiſſe tempeſtates uidimus, quia nemo eſt etiam indoctiſſimus, minimæq;, immo etiam nullius auctoritatis homuncio, qui de rebus fidei iudicare, & ſuperiores ſuos leuiſſimas quaſcunq; ob cauſas damnare, eoſq; ſcriptis & maledictis inceſſere non audeat. Quid tanta iam inſania, atq; impietate quidam commoti ſunt, ut non modo aduerſus eos, qui dignitatibus ornati ſunt, uerum etiam aduerſus ipſas dignitates à Chriſto inſtitutas ſæuire uelle uideantur, quod quàm minime Chriſtianum deceat, nemo eſt, qui non iudicet. Si enim unicuiq; fas eſſet unaquaq; ex cauſa ſuperiores ſuos reprehendere, nihil inde profecto aliud fieret, niſi quòd aſſiduis ſeditionibus perturbaretur Eccleſia: Nec propter hoc ſuperiores in rebus fidei reprehendendos non eſſe, uerum debere huiuſcemodi reprehenſiones ab Apoſtolis, & ab iis fieri, qui earum rerum cognitionem habeant, quæ ad fidem pertinent, dicimus: in iis præſertim rebus quæ Chriſti Euangelio contrariæ ſunt, & quarũ prauis exemplis diſcrimen aliquod Eccleſia pati poſſit; quia niſi magna cum humilitatis, & charitatis obſeruantia religioſæ præſertim reprehenſiones fieri non debent.

NOS NATVRA IVDAEI, ET NON EX GENTIBVS PECCATORES, SCIENTES AVTEM, QVÒD NON IVSTIFICATVR HOMO EX OPERIBVS LEGIS, NISI PER FIDEM IESV CHRISTI, ET NOS IN CHRISTO IESV CREDIMVS, VT IVSTIFICEMVR EX FIDE CHRISTI, ET NON EX OPERIBVS LEGIS, PROPTER QVOD EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO.

Vere non debemus Petre noſtro malo exemplo inducere Gentiles ad circunciſionem, & cætera legalia obſeruanda, nam ego, & tu, cæteríq; Iudæi, qui ueram Dei cognitionem habuimus, & non ſumus peccatores ex Gentilibus procreati (propter hoc enim, quòd idolis litabant, uerâq; Dei cognitione & cultu carebant Gentiles, peccatores dicti ſunt) Nos (inquam) natura, atque origine ex Iudæis, & ex ſanctis patribus oriundi uere ſcimus, & cognoſcimus, quòd non ex operibus legis, ſed ex Chriſti fide unuſquiſq; iuſtificandus & ſaluandus eſt; & propter hanc cauſam nos (inquam) Iudæi in Ieſum Chriſtum credimus, ut quod ex operibus legis conſequi non poteramus, per fidem Chriſti conſequamur; Nam
Leuit. 18. *lex Moyſi non pollicebatur nobis niſi uitam præſentem, dicente Moyſe. Iuſtitias legis qui fecerit homo, uiuet in ea. Per fidem autem Chriſti ſolam promiſſa eſt nobis æterna uita, unde cum ſola fide Chriſti iuſtificationem conſequamur; Omnis caro, id eſt tam Iudæus, quàm Gentilis ex operibus legis ſaluari non poterit: per opera legis circunciſionem, cæteráſq; legales obſeruationes, in lege Moyſi contentas intelligens, quæ ideo legis præcepta nuncupantur, quia in ipſa tantum lege Moyſi inſtituta reperiuntur. Hæc autem diſtincta ſunt ab operibus moralibus, & naturalibus, quæ etſi in ipſa eadem lege contineantur, non tamen proprie dici poſſunt præcepta legis Moyſi, ſed naturalia potius, & moralia, ſine quibus iuſtificationem conſequi non poſſumus. Hoc autem ideo dixit Apoſtolus, ut oſtenderet, Gentiles nullo modo induci debere ad obſeruationem legalium, quaſi diceret. Si nos, natura Iudæi, & qui ueram Dei cognitionem conſecuti ſumus, legem Moyſi dereliquimus, certo ſcientes per eam nos ſaluari non poſſe, ſed per ſolam fidem Chriſti; cur ergo ò Petre tuo malo exemplo uis Gentiles ad obſeruationem legis, quam nos nunc deſeruimus inducere? cum nos, natura Iudæi, quibus olim à Deo data fuit lex, per legem ſaluari nequeamus, non'ne multo minus per illam ſaluari Gentiles peccatores poterunt?*

Quòd

QVOD SI QVAERENTES IVSTIFICARI IN CHRISTO, INVENTI SVMVS ET IPSI PECCATORES, NVNQVID CHRISTVS PECCATI MINISTER EST? ABSIT. SI ENIM QVAE DESTRVXI, ITERVM HAEC AEDIFICO, PRAEVARICATOREM ME CONSTITVO.

Si igitur nos, natura Iudæi, diffidentes legi noſtræ, quia nos iuſtificare non poterat, confugimus ad fidem Chriſti, quæ ſola iuſtificat, quomodo perſuadebimus Gentilibus, ut ad eam confugiant, iuſtificationem inde conſecuturi? ſed quia poterant ad hanc Apoſtoli rationem Iudæi dicere, uerum eſſe, quòd per fidem Chriſti iuſtificamur, ſed ad hanc iuſtificationem conſequendam neceſſarias quoq; eſſe legis obſeruationes, huic tacitæ obiectioni reſpondet Apoſtolus. Si nos Iudæi, dum quærimus iuſtitiam conſequi per fidem Ieſu Chriſti, & ipſi inuenti ſumus peccatores, quia ſola fides Chriſti nos iuſtos non facit, niſi legalia etiam obſeruauerimus, ſi (inquam) hoc eſſet ita ô Petre, non poſſemus effugere, quin diceremus, Chriſtum eſſe miniſtrum peccati, cum ille nobis relinquendam eſſe legem dixerit, ſine qua iuſtificari minime ualeamus, & in ſola ipſius fide ſalutem noſtram eſſe conſtitutam. Ait enim. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; & ita ſi ſua ipſius ſola fides non ſaluaret, Chriſtus eſſet miniſter peccati potius, quàm iuſtitiæ, quia legem, ad ſalutem neceſſariam, relinquendam nobis præcepiſſet. Sed procul ſit hoc ab ore noſtro, ut dicamus uel Chriſtum eſſe miniſtrum peccati, uel legem neceſſariam eſſe ad ſalutem; & quòd Chriſtus non ſit miniſter peccati, hoc, quia per ſe omnibus ſatis eſt notiſſimum, non egebat probatione: alterum uero ratione repellit dicens. Vtique non eſt lex Moyſi neceſſaria ad ſalutem, quoniam ſi ea, quæ contra legem, tanquam ad iuſtificationem inutilem, dixi, ſolam Chriſti fidem prædicando neceſſariam eſſe ad ſalutem, nunc retractare uelim, & legem reædificare, illamq; iterum eſſe ad iuſtificationem neceſſariã dicere, tranſgreſſorem dictorum meorum me conſtituerem; & adhuc peccator inuentus eſſem, ſi ſola fides Chriſti non iuſtificaret.

Marc. 16.

EGO ENIM PER LEGEM LEGI MORTVVS SVM, VT DEO VIVAM: CHRISTO CONFIXVS SVM CRVCI: VIVO AVTEM IAM NON EGO: VIVIT VERO IN ME CHRISTVS.

Non modo ô Petre legem reædificare nolo, quam deſtruxi, tanquam ad iuſtifica-

tionem conſequendam minus neceſſariam, ſed neque etiam, ſi uelim, poſſum, quia illi ipſi legi Moyſi per legem & gratiam Chriſti, mortuus ſum; adeo quòd ſicut mortuus non poteſt amplius ad priorem uitam reuerti, ita ego mortuus legi, non poſſum redire iterum ad illam reædificandam: propter hoc autem ſum mortuus legi, ut Deo ipſi uiuam: mortuus quidem ſum, quia una cum Chriſto cruci affixus fui; Nam per Chriſti crucem liberatus crucifixus & ego quoq;
Cap. 5. ſum cum illo, quia qui Chriſti ſunt, crucifixerunt cum eo carnem ſuam, cum uitijs & concupiſcentijs; Crucifixus (inquam) ſum Chriſto, quia ille crucifixione ſua conſumauit legem, & omnia ad legem pertinentia aboleuit; & ita pari modo ego crucifixus ſum cum Chriſto, quia in me eſt mortua lex, & in me etiam extincta ſunt omnia ad legem pertinentia; & ad hoc mortuus ſum legi, ut Deo ipſi uiuam, ſolutus & liber à lege mortis & peccati, in qua olim lege non Deo, ſed carni, id eſt peccato, & morti uiuebam; At nunc, ab eadem liberatus, uiuo Deo & iuſtitiæ: Deo quidem uiuo, quia non ego ſum, qui uiuo, ſed potius uiuit in me Chriſtus. Si igitur in hoc ſtatu gratiæ non ego ſum, qui uiuo uita illa ſpirituali, quamuis in hoc corpore uiuam, ſed magis in me uiuit Chriſtus, per fidem & charitatem, quomodo poſſum prædicare legẽ eſſe obſeruandam, & ad iuſtificationem neceſſariam, ſi Chriſtus qui in me uiuit, morte ſua illam extinxit, & aliam ſcilicet gratiæ legem inſtituit prædicandam?

QVOD AVTEM NVNC VIVO IN CARNE, IN FIDE VIVO FILII DEI.

Quia Apoſtolus dixerat: uiuo autem non ego, ſed uiuit in me Chriſtus: potuiſſet aliquis dicere, quomodo dicis, non uiuo ego, ſed uiuit in me Chriſtus, cum tamen in carne, & corpore tuo uiuas? cui reſpondens Apoſtolus, dicit; Quanquam in hoc tempore in carne & corpore uiuam, non propter hoc ſequitur, quòd Chriſtus non uiuat in me, quia in hac etiam carne poſitus uiuo in fide, & credulitate Filij Dei: qui enim firmiter credit in Filium Dei, in Chriſto manet, & Chriſtus in illo: dixit autem ſe uiuere in fide Filij Dei, ad differentiam Iudæorum, qui uiuebant in promiſſionibus ſibi à Deo per legem factis, non autem in promiſſionibus factis per Filium Dei: Deus autem promiſerat ſeruantibus legem illam bona terræ, cæteraq; alia terrena; at Filius Dei ſeruantibus legem ſuam promiſit uitam ſempiternam: propterea Apoſtolus dicit ſe in præſenti tempore uiuere in fide, & promiſſionibus ſibi factis per Filium Dei, quod eſt uiuere uita ſpirituali, & non in cæremonijs carnalibus, prout olim in lege uiuebat: ex quibus uerbis apparet Apoſtolum uoluiſſe dicere, ſe nullo modo teneri

teneri ad obſeruationem legis, neque ſecundum uitam ſpiritualem, qua mortuus legi, crufixus cum Chriſto uiuebat Deo, quia Chriſtus uiuebat in illo, neque ſecundum uitam carnalem, quia in carne poſitus non uiuebat amplius in lege, & promiſſionibus ipſius, ſed in fide, & promiſſione ſibi facta per Filium Dei, qui morte ſua cæremonias legis, tanquam nihil ad ſalutem profuturas, aboleuit.

QVI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMET IPSVM PRO ME: NON ABIICIO GRATIAM DEI· SI ENIM PER LEGEM IVSTITIA, ERGO GRATIS CHRISTVS MORTVVS EST.

Cur autem in fide, & in promiſſionibus factis per Filium Dei uiuat, nunc adijcit cauſam, dicens. Ideo uiuo in fide, & ideo promiſſionibus mihi factis per Filium Dei credo, quia ipſe me amauit, & ſemet ipſum obtulit ad mortem pro liberatione mea, quoniam neque per me ipſum, neque per obſeruationem legis poteram liberare me à peccato, ſed ipſe ſolus ſua morte potuit hoc facere. Si itaque ſolus Chriſtus ſua morte me à peccato liberauit, quare debeo donum hoc, & gratiam hanc contemnere, & illam ueluti infructuoſam iudicare? Abijcerem profecto gratiam iſtam, ſi non crederem per mortem Filij Dei me poſſe ſaluari, abſque cæremoniarum legis obſeruationibus; Quia ſi quis eſſet, qui putaret, quòd per legem Moyſi poſſet eſſe iuſtitia & ſatisfactio pro peccatis noſtris, is certe fateri cogeretur & dicere, Chriſtum gratis, id eſt inaniter, & ſine aliqua neceſſitate mortuum fuiſſe; ſi enim per legem conſequeremur iuſtificationem, non erat opus Chriſtum mori, quandoquidem per aliud, quàm per mortem illius potuiſſemus conſequi iuſtificationem; has omnes rationes, quas adduxit aduerſus Petrum, non aliam ob cauſam in hac epiſtola enumerauit, quàm ut per illas etiam Galatæ erudirentur, & cognoſcerent, non eſſe amplius fidendum legi, neque petendam iuſtificationem à cæremonijs ipſius; propterea conſcriptis iſtis rationibus conuertitur ad Galatas increpandos, ut illos ab erroribus, quibus pſeudo Apoſtoli eos implicauerant, liberaret.

CAPVT TERTIVM.

Ó INSENSATI GALATAE, QVIS VOS FASCINAVIT, NON OBEDIRE VERITATI, ANTE

QVORVM OCVLOS IESVS CHRISTVS PROSCRIPTVS EST, ET IN VOBIS CRVCIFIXVS?

Cum Apoſtolus multis rationibus (ut ſupra diximus) declarauiſſet, legalia non eſſe amplius obſeruanda ad iuſtificationem conſequendam, quæ quanquam omnia antea in ſuis prædicationibus Galatis iam oſtendiſſet, & luce clarius declarauiſſet, ita ut de hac re nullo pacto dubitare debuiſſent; tamen cum deinde audiuiſſet à pſeudo Apoſtolis illos ſeductos fuiſſe, ita ut putarent, circunciſionem cæteraq; legalia cum fide Chriſti ad ſalutem eſſe neceſſaria, nimio charitatis zelo accenſus, præter conſuetudinem auctoritate ſua Apoſtolica utens, quam ſupra oſtenderat ſe à Domino accepiſſe, Galatas his uerbis aggreditur, dicens: O` INSENSATI GALATAE, QVIS VOS FASCINAVIT? Inſenſatos autem eos dixit, quia ea, quæ oculis, auribus, ſenſibusq; ipſis acceperant, & percipere debebant, non percipiebant: ſic ueluti ab ipſis quærens cauſam, cur ſenſum amiſiſſent, interrogando dicit. Quis nam uos faſcinauit, ut ſenſum amiſeritis, ita ut non uideatis, neque cognoſcatis ea, quæ & uidere, & cognoſcere deberetis? recte enim illos Apoſtolus faſcino affectos fuiſſe dicit, nam faſcinare proprie eſt, quando aliquis maleficio uel uerborum, uel oculorum, uel uultus aliquem ita excordem, & ementem facit, ut non uideat ea, quæ uidere deberet, aut putet ſe uidere, quæ non uideat; & quia proprie faſcinus fieri ſolet pueris in tenera ætate conſtitutis, propterea commode dixit, Galatas faſcino affectos fuiſſe, nam nuperrime illi ad fidem Chriſti conuerſi erant, & propterea ueluti pueri in fide à pſeudo Apoſtolis præſtigijs, & faſcinationibus ſeducti erant, ita ut amplius non recordarentur eorum, quæ Paulus oculis eorum ſpectanda ſubieciſſet: faſcinati (inquam) eſtis à pſeudo Apoſtolis non ad alium finem, niſi ut non obtemperaretis ueritati, quam uobis prædicauimus: hæc autem uerba: NON OBEDIRE VERITATI: pleriq; dicunt non inueniri in uetuſtis exemplaribus; nos autem adiecimus ea, quoniam in noſtris codicibus paſſim legi ſolent, quæ cum ſenſui Apoſtoli repugnare non uideantur, ea non eſſe prætermittenda putauimus; quod quidem faciendum eſſe exiſtimamus & in alijs ſanctarum ſcripturarum uoluminibus, præſertim cum uerba ipſa ſententiam ſcribentis immutare non uideantur, nam ſi pro arbitrio uellet unuſquiſq; uerba uel addere, uel comminuere, alia plane litera reddi uideretur; multo quidem tutius eſſe iudicamus, ut perceptam, & uſitatam literam ſeruemus, quàm quòd quotidie alteram atque alteram literam, tanquam emendatiorem, proferamus, præcipue ubi ſenſus ueritatis æque commode, atq; integre

tegre ſtare poſſit: neq; tamen propter hoc illorum labores condemnamus, qui in corrigendis, emendandiſq; ſanctarum ſcripturarum libris, totas ſuas ætates conſumpſerunt, nam labores eorum neq; bono affectu, neq; uera pietate carere putamus: ſed ad eum locum regrediamur, unde deducta eſt oratio. Dicit ergo Apoſtolus. Vere Galatæ faſcinati eſtis, quia cum ſub oculis ueſtris Chriſtus proſcriptus fuerit, & publice damnatus, ac in uobis crucifixus (in uobis, quaſi diceret, inter uos uidentes, atq; ſpectantes cruci Chriſtus affixus eſt) cur eſt, quòd ueritati, quam uobis prædicaui, parere recuſetis? non autem hoc dixit, quòd inter Galatas Chriſtus, & non Hieroſolymis cruci affixus fuiſſet, ſed quia ita eum Paulus aperte prædicauiſſet damnatum, & crucifixum, ac ſi eum damnatum, ac crucifixum conſpexiſſent, quia tot oraculis Prophetarum, totq; teſtimonijs figurarum ille eum pro nobis moriturum oſtenderat, ut recte oculis Galatarum uidendum ſubieciſſe Chriſtum dici poſſet, quem ſi non oculis corporis, oculis tamen fidei manifeſte uidiſſent. Recte autem Chriſtum proſcriptum eſſe dixit, quod damnatum publice eſſe ſignificat, nam proſcripti proprie apud ueteres damnati publice dicebantur, eo quod eorum nomina in locis publicis deſcribi ſolebant.

HOC SOLVM VOLO A' VOBIS DISCERE. EX OPERIBVS LEGIS SPIRITVM ACCEPISTIS, AN EX AVDITV FIDEI? SIC STVLTI ESTIS, VT CVM SPIRITV COEPERITIS, NVNC CARNE CONSVMAMINI?

Poſſem ò Galatæ multa quidem à uobis petere, quibus facile poſſem ueſtrum hunc errorem refellere, ſed prætermiſſis omnibus, unum hoc tantum à uobis doceri cupio. Accepiſtis ne uos Spiritum ſanctum, & illius munera, diuerſitates linguarum, prophetiæ donum, & his ſimilia ex operibus legis Moyſi? ex circunciſione? ex obſeruatione cæremoniarum? an magis ex auditu, & prædicatione fidei? non quidem ex operibus legis, nam antequam crederetis nihil horum operabamini, quia tanquam Gentiles legem Moyſi non ſeruabatis, quinimmo nec Iudæi ipſi, qui ſeruabant, potuerunt, antequam crederent, aliquid tale per illam legem operari; ſed utriq; ueſtrum, tam Iudæi, quàm Gentiles, munera hæc per fidem Ieſu Chriſti conſecuti eſtis, nam ut primum fidei uobis prædicatæ credidiſtis, ſtatim Spiritum ſanctum, uariáq; illius dona accepiſtis. Quare, cum res hoc modo ſe ſe habeat, non ne ueſtræ magnæ dementiæ eſt fidem relinquere, propter quam Spiritum ſanctum, & illius dona accepiſtis, & ad eam legem uos ipſos

conuertere, quæ nihil horum uobis potuit præſtare? Quid ideo ò Galatæ ſtulti facti eſtis, ut, cum Spiritu ſancto uos illuſtrante & docente, cœperitis miranda operari, & in fidem ueſtram progredi, nunc uelitis eandem fidem carne conſumare & perficere, dum fidem, quæ à ſpiritu initium habet, & ſpiritualia operatur, carnalibus obſeruantijs, & circunciſione terminare, atq; perficere deſideratis, quia non putatis Chriſti fidem ſolam ualituram eſſe, niſi eam cum carnalibus obſeruantijs coniunxeritis.

TANTA PASSI ESTIS SINE CAVSA (SI TAMEN SINE CAVSA) QVI ERGO TRIBVIT VOBIS SPIRITVM, ET OPERATVR VIRTVTES IN VOBIS, EX OPERIBVS LEGIS, AN EX AVDITV FIDEI? SICVT SCRIPTVM EST. ABRAHAM CREDIDIT DEO, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM.

C *um eos Apoſtolus multis rationibus conuiciſſet, quòd Spiritum ſanctum non per opera legis, ſed per auditum fidei accepiſſent, eosq; redarguiſſet, quòd ſic amentes effecti fuiſſent, ut quæ ſpiritu ſuſcepiſſent, carne conſumare cogitarent, nunc rurſus illos increpans interrogando dicit. Tam multas, tamq; uarias calamitates, & perſecutiones paſſi eſtis ò Galatæ pro fide Chriſti ab infidelibus, & à uobis ipſis, affligendo uos ieiunijs, & orationibus, inaniter fortaſſe, ac fruſtra, & ſine aliqua utilitate, quia dum conuerſi eſtis ad cæremonialia, uidemini fidei Chriſti diffidere, quã ſpiritu cum cœperitis, uultis tamen eam carnalibus etiã obſeruantijs terminare; & ita uidemini ſine cauſa, & utilitate tam multa paſſi fuiſſe (ſi tamen ſine cauſa) ſine fructu ſcilicet, & utilitate paſſi eſtis, quod minime dicendum eſt, nam ex tribulationibus, quas paſſi fuiſtis, huberrimos iuſtitiæ fructus eſtis conſecuturi; quod ut manifeſtius declararet, probaretq; id, quod ſupra proponendo interrogauerat, an ſcilicet ex lege, uel ex fide ſpiritum accepiſſent, dicit. Peto igitur à uobis ò Galatæ ex his, quæ diximus, an Deus ille, qui tribuit uobis ſpiritum, quem accepiſtis, & qui etiam ſua uirtute, ac poteſtate operatur in uobis uirtutes, id eſt res miras, atq; inuſitatas, dum uarijs linguis loquimini, dum occultiſſima myſteria fidei interpretamini, dum langores ſanatis, atq; alia mirabilia operamini, conceſſerit uobis hunc ſpiritum ex operibus legis, an magis ex auditu fidei? non quidem ex operibus (ut ſupra probatum fuit) Igitur ex auditu, & prædicatione fidei conſecuti eſtis ſpiritum iſtum operantem in uobis tam uarias uirtutes: quod autem ex fide & non ex operibus*

ribus

ribus legis datus ſit illis ſpiritus, qui tales uirtutes operentur, & per illum etiam ſint iuſtificationem conſecuti, abſq; lege Moyſi, probat teſtimonio ſcripturæ, quæ refert exemplum Abrahæ. Scriptum eſt enim; Quòd Abraham primus ille pater credidit Deo promittenti multiplicationem ſeminis ſui, & hæc illius credulitas, & fides computata fuit illi ad iuſtificationem conſequendam, ſicuti latius in epiſtola ad Romanos declarauimus. Videtis igitur ò Galatæ exemplo Abrahæ homines iuſtificari ex fide, & non ex operibus legis; quando enim Abraham credidit, nec dum circunciſio illi præcepta erat, nec adhuc lex Moyſi promulgata. Quare non modo per fidem habemus Spiritum ſanctum operantem in nobis uirtutes & miracula, uerum etiam habemus ex ipſa fide iuſtificationem noſtram, abſq; eo quòd illam cæremonijs carnalibus conſumemus. Vnde ſi Abrahæ, qui de populo Iſraelitico fuit, fides fuit computata ad iuſtitiam, ſine ullis carnalibus legis cæremonijs, quanto magis uos, qui Gentiles eſtis, & ad legem Moyſi ſeruandam non tenemini, abſq; ipſa lege iuſtificationem per ſolam fidem Chriſti conſequemini. Gen. 15.

COGNOSCITE ERGO, QVIA QVI EX FIDE SVNT, II SVNT FILII ABRAHE: PROVIDENS AVTEM SCRIPTVRA, QVIA EX FIDE IVSTIFICAT GENTES DEVS, PRAENVNCIAVIT ABRAHAE, QVIA BENEDICENTVR IN TE OMNES GENTES. IGITVR QVI EX FIDE SVNT, BENEDICENTVR CVM FIDELI ABRAHAM.

Cum ex eo, quòd Abraham crediderit Deo ſibi promittenti, quòd in ſemine ſuo eſſent benedicendæ omnes gentes, intuliſſet Apoſtolus, hanc illius credulitatem, & fidem fuiſſe imputatam illi ad iuſtitiam, conſequenter infert, quòd, qui habuerit fidem Abrahæ, erit & illius filius. Videtur autem hæc conſecutio non apte ad aſſumptam propoſitionem accommodari, quæ fuit: Credidit Abraham Deo, & fuit reputatum illi ad iuſtitiam: ſubiungere enim potius debuiſſet, quòd, quicunq; imitatus fuiſſet fidem Abrahæ, conſecuturus eſſet iuſtitiam, quam per fidem Abraham conſecutus erat; Ad quod dicitur, quòd Apoſtolus non intulit ſuam illam concluſionem ex illis uerbis tantum: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: ſed potius ad illas promiſſiones alludit, quibus Abraham credidit, ſcilicet quòd futurus eſſet pater multarum Gentium, & quòd in ſemine ſuo benedicendæ eſſent omnes gentes, tam Gentiles, quàm Iu=

dæi; ex quibus promiſſionibus bene conſequitur, ſi Abraham per fidem credidit, ſe futurum patrem multarum gentium, & benedicendas eſſe omnes gentes in ſemine ſuo, quòd ij etiam ſint filij eius, qui fidem ipſius fuerint imitati, quod quidem intentionis ſuæ erat hoc in loco probare. Dicit igitur cognoſcite ò Galatæ ex promiſſionibus Abrahæ factis (teſte ſcriptura) quòd qui ex fide Abrahæ ſunt, id eſt qui fidem illius imitati fuerint, ij uere filij Abrahæ dici poſſunt; quod ex teſtimonio ſcripturæ confirmat dicens, quòd prouidens ſcriptura, id eſt Deus, qui per ſcripturam (eodem loco ut ſupra) loquitur: prouidens (inquam) id eſt longe antea proſpiciens, quàm legem daret, quòd per ſolam fidem iuſtificatur, id eſt fit iuſtus homo, & non ex lege, per tot annos, antequam legem ipſam conderet, lætum hoc Abrahæ nuncium attulit, quòd in eo credente gentes omnes, quæ fidem illius imitatæ fuiſſent, eſſent benedictionem conſecuturæ. Quapropter ex his infert, quæ dixit, quòd omnes qui fidem Abrahæ fuerint imitati, parem benedictionem, hoc eſt iuſtificationem cum eodem Abraham fideli ſunt conſecuturi: Fidelem autem ideo Abraham uocauit, & fidei, & legis circunciſionis cum ille auctor fuiſſet, ut oſtenderet, quòd merito fidei, non legis benedictionem fuiſſet conſecutus. Recte ergo eum fidelem appellauit.

QVICVNQVE ENIM EX OPERIBVS LEGIS SVNT, SVB MALEDICTO SVNT, SCRIPTVM EST ENIM. MALEDICTVS OMNIS, QVI NON PERMANSERIT IN OMNIBVS, QVAE SCRIPTA SVNT IN LIBRO LEGIS, VT FACIAT EA.

D ixerat iuſtificationem per fidem, & non per legem eſſe, quod multis etiam rationibus cõprobauit, quia autem potuiſſent pſeudo Apoſtoli, & qui legalibus fauebant, dicere, quòd quamuis iuſtificatio per fidem haberetur, nihilominus ad perficiendam fidem legalia quoq; eſſent neceſſario ſeruanda, exemplo maxime Abrahæ, qui & ipſe, poſtquam credidit, circunciſionis legem ſeruauit; Huic obiectioni reſpondens Apoſtolus dicit, quòd nullo modo lex ipſa eſt ad legem perficiendam neceſſaria, quinimmo ex directo contraria eſt legi fidei, quæ benedictionem afferebat, nam qui fidem Abrahæ imitati fuiſſent, ſub benedictione, & iuſtificatione erant, qui uero ſunt ex lege, illius opera neceſſaria eſſe ad eorum iuſtificationem putantes, & fidem Abrahæ non fuerint imitati, non modo non ſunt ſub benedictione Abrahæ promiſſa, ſed magis maledicto, & execrationi ſunt obnoxij:

noxij: Quod auctoritate ſcripturæ manifeſtat (ſcriptum eſt enim, cum Moyſes *legis præcepta populo pronunciauiſſet, multáq; nominatim crimina maledictionis pœna prohibuiſſet, tandem quaſi in concluſione, dixiſſe eum.* Maledictus o*mnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea: hanc autem literam adduxit* Apoſtolus *iuxta ſeptuaginta interpretes, prout ſemper conſueuit, quia in cæteris translationibus non eſt illa dictio, in omnibus) ex qua quidem auctoritate manifeſte apparet,* Iudæos *omnes, qui ſub lege erant, ſub maledicto eſſe, quia impoſſibile erat illis in omnibus præceptis legis ſtabiles permanere, & omnia legis præcepta ſeruare: ergo ſub maledicto omnes conſtituti erant.* Deut. 27.

QVÒD AVTEM IN LEGE NEMO IVSTIFICATVR APVD DEVM, MANIFESTVM EST, QVIA IVSTVS EX FIDE VIVIT, LEX AVTEM NON EST EX FIDE, SED QVI FECERIT EA HOMO, VIVET IN ILLIS.

P*robauerat ſupra iuſtificationem non eſſe ex lege, quoniam qui ſub lege erant, ſub maledicto erant, quia non poterant omnia mandata legis ſeruare, nunc autem probat, quòd nullo modo iuſtificatio eſſe poteſt ex ipſa lege, etiam ſi quis ſeruaret omnia legis præcepta, & dicit.* Quòd *autem nullus hominum in lege conſiſtens (etiam ſi in omnibus præceptis legis permaneret) apud* Deum *iuſtificari poſſit, penes quem ſola, ueráq; eſt noſtra iuſtificatio ex hoc manifeſtum eſſe dicit* Apoſtolus, *quia ſi omnibus præceptis legis obtemperauerimus, iuſtificationem tamen apud* Deum *non conſequemur, ſed tantum apud homines;* Quia *legitur in* Leuitico. Quòd *ſi quis fecerit omnia præcepta legis, uiuet in illis;* Leuit. 18. *ergo qui ſeruauiſſet legem, uixiſſet in illa, & iuſtificationem tantum apud homines, & non apud* Deum *habuiſſet: iuſtificationem autem apud* Deum *conſequimur per ſolam fidem, quod probat auctoritate* Abacuch, *dicentis:* Iuſtus *ex fide uiuit.* Cum *igitur lex non ſit ex fide, manifeſtum eſt iuſtificationem non eſſe ex lege: has autem utraſq; auctoritates in epiſtola ad* Romanos *copioſe declarauimus.* Abacuch. 2.

CHRISTVS NOS REDEMIT DE MALEDICTO LEGIS, FACTVS PRO NOBIS MALEDICTVM (QVIA SCRIPTVM EST: MALEDICTVS OMNIS, QVI PENDET IN LIGNO) VT IN GEN

TIBVS BENEDICTIO ABRAHAE FIERET IN CHRISTO IESV: VT POLLICITATIONEM SPIRITVS ACCIPIAMVS PER FIDEM.

Si igitur omnis, qui in lege erat, ſub maledicto erat, propter hoc, quia fieri nequibat, ut aliquis permanſiſſet in omnibus mandatis legis; & ſi etiam permanſiſſet, iuſtificationem tamen inde non conſequebatur apud Deum, ſed apud homines tantum (ut copioſius in epiſtola ad Romanos pertractauit) iam ſequebatur, quòd nullus ex ſemine Abrahæ ſub lege conſtitutus (quia ſub maledicto erat) poterat eſſe ille, in quo omnes gentes eſſent benedicendæ: propterea declarat nūc, per quem communicata fuerit benedictio gentibus, iuxta promiſſionem Abrahæ factam, & dicit. Chriſtus ille uerus Abrahæ filius liberauit, & redemit nos de maledicto, id eſt de maledictione legis, cui obnoxij eramus propter impoſſibilitatem ſeruandi omnia mandata ipſius, liberauit (inquam) nos de maledictione illa legis, pro nobis peccatoribus ſe maledictum, ſeu maledictionem conſtituens; quomodo autem pro nobis Chriſtus fecerit ſe maledictionem, ſiue ma
Deut. 21 *ledictum, ſubdit dicens. Quia ſcriptum eſt, quòd maledictus erat omnis homo à Deo, qui in ligno pependiſſet (maledicebantur quidem à Deo, quia omnes, qui propter eorum ſcelera morti damnabantur, & in ligno fixi fuiſſent, maledictos fuiſſe à Deo ſcriptura teſtatur: & quia Chriſtus in ligno pependit, maledictus per legem eſſe uidebatur) Aliter tamen Chriſtus maledictus, ſiue maledictio fuit, & aliter maledicti, ſiue maledictiones erant ſceleſti, qui in cruce pependiſſent; nam iſti propter ſua ipſorum ſcelera in cruce pendentes maledicti erant, ſed Chriſtus non propter ſua, ſed propter omnium hominum flagitia in cruce pependit, ut morte ſua iſta omnium hominum ſcelera deleret, liberaretq́; eos, qui ſub maledicto erant legis, per maledictionem crucis, quam ipſe ſuſtinuit; ut ſicuti ille uenit in ſimilitudinem carnis peccati; & tamen carnem peccato obnoxiam non habuit, & ſicuti etiam legimus in Apoſtolo, quòd Deus fecit eum peccatum, ut nos à peccato liberaret, & de peccato damnaret peccatum, ita quoq; factus eſt pro nobis maledictio, ſiue maledictum, ut nos à maledicto legis liberaret, quia in hoc lex ipſa infirma, & inualida erat. Fuerunt igitur ſceleſti, qui propter eorum ſcelera in ligno pendebant, maledicti à Deo, quia in culpam maledictionis incurrerant, propter quod pœna illa crucis afficiebantur; Chriſtus autem dictus, & factus eſt maledictum, eo quòd pependiſſet in cruce, quia pœnam maledicti in ſe ſuſcepit; Propter hoc (inquam) Chriſtus factus eſt maledictum, ut non modo Iudæos, qui ſub lege illa Moyſi erant, liberaret à maledicto legis, ſed etiam ut in cæteris gentibus, populis, & nationibus*

benedictio

benedictio illa Abrahæ promiſſa, perficeretur per Chriſtũ Ieſum, ille enim dum ſe pro nobis maledictionem fecit, benedictionem omnibus in ſe crediturus gentibus communicauit, ut qui, ſicuti Abraham credidiſſent, pollicitationem, & promiſſionem illam ſpiritus, hoc eſt bonorum ſpiritualium per fidem, & credulitatem ſuam conſequerentur. Dixit autem pollicitationem ſpiritus, ad differentiam aliarum promiſſionum, quæ factæ fuerant in lege, quibus Iudæis promittebantur bona terræ, aliaq; res temporales: in iſta nanq; pollicitatione ſpiritus benedictionem ſpiritualium, & æternorum bonorum omnes gentes adipiſcuntur, peccatorum ſcilicet remiſſionem, gratiam, & beneuolentiam Dei, quæ omnia ad benedictionem nobis in Chriſto promiſſam acquiri ſanè uidentur, & hoc modo per fidem Chriſti pollicitationem ſpiritus, factam Abrahæ, omnes credentes conſequentur.

FRATRES (SECVNDVM HOMINEM DICO) TAMEN HOMINIS CONFIRMATVM TESTAMENTVM NEMO SPERNIT, AVT SVPERORDINAT. ABRAHAE DICTAE SVNT PROMISSIONES, ET SEMINI EIVS; NON DICIT, ET SEMINIBVS, QVASI IN MVLTIS, SED QVASI IN VNO, ET SEMINI TVO, QVI EST CHRISTVS.

Quia dixerat, quòd Chriſtus factus fuit maledictum, ut Iudæos à maledicto legis liberaret, & ut benedictio promiſſa Abrahæ in Gentibus in Chriſtum credituris impleretur, propterea potuiſſet aliquis dicere, pollicitationem iſtam à Deo factam Abrahæ per legem datam Moyſi, ab eodem fuiſſe reuocatam, atq; ideo non eſſe fidendum pollicitationi illi Abrahæ factæ; Igitur occurrens huic dubitationi, probat, promiſſionem hanc immobiliter perſeuerare debere, & utitur ratione fortiſſima ſumpta ab humanis legibus, & exemplis, dicens; Nullum teſtamentum (licet ab homine conditum ſit) ex iure tamen corroboratum, & de more confirmatum, ac legitime factum, non poteſt ab homine contemni, ut executioni non mandetur; neq; quis poteſt quicquam illi teſtamento ſuperordinare, aut teſtatoris uoluntatem immutare: multo igitur minus quis poterit teſtamentum Dei, firma promiſſione comprobatum, diuino iuramento fultum, contemnere, uel immutare. Sed promiſſiones à Deo factæ Abrahæ, quòd in ſemine ſuo benedicendæ eſſent omnes gentes, eſt teſtamentum Dei, proprio ore, propria uoluntate confirmatum: iſte igitur promiſſiones hoc teſtamentum non poſſunt ali-

quo modo immutari, quominus in ſemine ſcilicet Abrahæ *ſint omnes gentes be nedicendæ.* Dicit *ergo:* FRATRES (SECVNDVM HOMINEM DICO) *hoc eſt, nunc humanis legibus, & inſtitutis uobiſcum agere uolo, ut promiſſam à* Deo *benedictionem* Abrahæ, *& ſemini illius immutabili diuina uoluntate perſeuerandam fore intelligatis, quod uolo autem humano uobis exemplo dicere, eſt hoc, quòd teſtamentum omne, quamuis ſit ab homine factum, ſi tamen ab eodem fuerit iuramento confirmatum, & comprobatum, tantæ eſt uis, ut ueluti ſacroſanctum quoddam à nullo homine poſſit contemni, uel immutari, quominus iuxta teſtatoris uoluntatem executioni mandetur.* Abrahæ *autem dictæ ſunt à* Deo *promiſſiones, quæ uim teſtamenti habent, & non* Abrahæ *tantum, ſed & ſemini eius; quod uerbum diligentiſſime conſiderans* Apoſtolus, *ex illo ſacramentum quoddam magnum haurit, ut non in multis ſeminibus, & multis filijs, ſed in uno tantum filio (qui* Chriſtus *eſt)*
Gen.22. *hæreditas promiſſa eſſet poſſidenda.* Iſtæ *autem promiſſiones in* Geneſi, *multis in locis leguntur fuiſſe factæ* Abrahæ, *in quibus multa, ac maxima dona illi* Deus *promiſit, & propter hoc dictæ ſunt promiſſiones, non promiſſa.* Ex *his igitur apparet, quòd promiſſiones, & pactiones* Dei, *quæ uim teſtamenti habent (teſte ſcriptura) factæ fuerunt* Abrahæ, *& ſemini ipſius, qui eſt* Chri-
Hieronymus. *ſtus, ſuper quibus magnam mouit difficultatem beatus* Hieronymus. Dicit *enim in ſacris literis, quantum ipſe memoria, & lectione colligere potuit, ſe nunquam inueniſſe ſemina in plurali numero, ſed tantum in ſingulari, & propterea* Apoſtolum *dixiſſe, ſe uelle loqui ſecundum hominem, non ut humanis exemplis, & nominibus conſuetis uteretur, ſed magis, ut cum ineruditis, & rudibus* Galatis *non conſueta, & minus uſitata nomina proferret.* Dicit *enim eſſe in ſacris literis inuſitatum nomen ſemina in plurali numero, quæ quidem dubitatio cum totam mentem* Apoſtoli *peruertere uideatur, eademq; inuentum ab* Apoſtolo *ſacramentum auferre conetur, nos propterea illi conabimur reſpondere, ueritati ut ſatisfaciamus.* Dicimus *ergo, quòd non abſq; magna cauſa locum hunc annotauit* Apoſtolus, *ut ſcilicet litera dicat, ſemini tuo, & non ſeminibus; nam ſi* Deus *uoluiſſet benedictiones promiſſas dare* Abrahæ *in multis filijs ab illo naſciturls, & non in uno tantum filio, quanquam hoc nomen, ſemina, in plurali numero non in ſacris literis reperiretur, multa tamen alia nomina inueniri potuiſſent, quæ hanc* Dei *intentionem expreſſiſſent; dixiſſet enim.* Filijs *tuis dabo terram hanc, & in illis benedicentur omnes gentes; ſed dixit in ſemine tuo, & non in ſeminibus, ut in uno* Chriſto *oſtenderet, omnes gentes benedicendas eſſe; & quamuis hoc fortaſſe nomen, ſemina, in plurali numero non inueniatur in ſacris literis, apud latinos tamen frequenti uſu inuenitur, ſicuti*

apud Vergilium lib. 6. Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo ſeminibus. Qua ex re diligenter Apoſtolum feciſſe uidemus, qui, ut myſterium hoc nobis aperiret, quòd ſcilicet benedictiones Abrahæ promiſſæ, & ſemini illius, complendæ eſſent in uno Chriſto, qui ex ſemine Abrahæ deſcendit, dixit ſemini tuo, & non ſeminibus, ut in uno tantum Chriſto, & non in multis alijs filijs, qui ex Abraham deſcendiſſent, ſeruaretur promiſſio Abrahæ facta. Vergilius.

HOC AVTEM DICO TESTAMENTVM CONFIRMATVM À DEO; QVAE POST QVADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX, NON IRRITVM FACIT AD EVACVANDAM PROMISSIONEM.

P *ropoſuerat ſupra, teſtamentum ab homine factum & confirmatum non poſſe reſcindi, probans etiam promiſſiones factas Abrahæ, & ſemini ipſius, qui eſt Chriſtus, uim, teſtamenti habere; ſed quia nondum probauerat promiſſiones illas fuiſſe à Deo comprobatas, ut uim teſtamenti haberent, nunc probat, dicens. Hoc autem teſtamentum factum Abrahæ, & ſemini ipſius, dico fuiſſe confirmatum, & comprobatum à Deo, quando Dominus dixit Abrahæ. Per memet ipſum iuraui (dicit Dominus) quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti uoci meæ. Confirmauit igitur Deus promiſſiones iſtas ſuas, & teſtamentum hoc ſuum factum Abrahæ, per ſemet ipſum iurans; & propterea lex illa Moyſi, quæ poſt quadringentos & triginta annos edita fuit, non potuit facere inanem promiſſionem, & irritum teſtamentum Dei, promiſſum Abrahæ & ſemini eius iuramento ipſius confirmatum, quominus finem promiſſum conſequeretur: litera autem hæc noſtra, qua utimur, duriuſcula ſanè eſt, quæ quidem ſi hoc modo inuerteretur, planiſſimum redderet ſenſum. Lex, quæ poſt annos quadringentos & triginta facta eſt, non irritum facit ad euacuandam promiſſionem: Quòd autem poſt quadringentos & triginta annos, à promiſſione Abrahæ facta, data fuerit lex, diuus Auguſtinus in lib. 16. cap. 24. de ciuitate Dei oſtendit. Ex hac igitur ſimilitudine teſtamenti facti, & ab homine comprobati, intulit Apoſtolus, promiſſiones factas, & teſtamentum confirmatum à Deo Abrahæ, & ſemini eius, qui eſt Chriſtus, multo minus potuiſſe per legem poſterius editam, aut reſcindi, aut uiolari, quin per Chriſtum benedicerentur omnes gentes.*

Gen. 22.

Auguſtinus.

NAM SI EX LEGE HAEREDITAS, IAM NON EX PROMISSIONE; ABRAHAE AVTEM PER REPROMISSIONEM DONAVIT DEVS.

V ere lex non poteſt irritam neq; inanem reddere promiſſionem Abrahæ factam, & teſtamentum Dei, quia ſi hoc fieret, ex ipſa lege de neceſſitate ſequeretur hæreditas, quod minime dici poteſt; nam ſi per legem ipſam conſequeremur hæreditatem Dei, non eam conſequeremur per donum, & promiſſionem Dei, ſed ex operibus legis ſeruatæ; & ſic merces eſſet, & non donum, & gratia. Quòd autem per promiſſionem fuerit Abrahæ donata hæreditas manifeſtat Apoſtolus, dicens, quòd Deus per promiſſionem hanc Abrahæ patri noſtro factam, felicem hæreditatem nobis dono dedit. Quòd autem dono dederit manifeſtum quidem ex hoc eſſe poteſt, quia cum de Abraham legamus, quòd ſibi promiſſa fuerit hæreditas, aut fuit illi promiſſa per obſeruantiam legis, aut ex puro dono Dei, non quidem per obſeruantiam legis, quia nondum erat data lex, neq; præceptum circunciſionis datum. Igitur ex ſolo Dei dono data fuit hæreditas. Quare ſi per legem & illius opera conſequeremur hæreditatem, fruſtra eſſet promiſſio Dei, quia non per hanc, ſed per legem, & illius opera conſequeremur hæreditatem, & ſic uana & fallax eſſet promiſſio Dei.

QVID IGITVR LEX? PROPTER TRANSGRESSIONEM POSITA EST, DONEC VENIRET SEMEN, CVI PROMISERAT, ORDINATA PER ANGELOS IN MANV MEDIATORIS: MEDIATOR AVTEM VNIVS NON EST: DEVS AVTEM VNVS EST.

C um igitur lex ipſa Moyſi hæreditatem Dei Abrahæ promiſſam præſtare non poſſit, Apoſtolus occurrit quæſtioni, quæ poſſet inde contingere, dicens. Si lex illa hæreditatem præſtare non poteſt, & in ſola promiſſione Abrahæ facta hæreditatem conſequimur, ad quid igitur, id eſt ad quam utilitatem, ad quem finem fuit addita lex ipſa promiſſioni Abrahæ? Dicit ergo, quòd lex ipſa Moyſi fuit addita promiſſioni factæ Abrahæ, non, ut per illam conſequeremur benedictionem, & hæreditatem, & iuſtificationem, ſed propter tranſgreſſionem, hoc eſt, ut coerceret tranſgreſſores legis, eosq; pœnis in illa contentis afficeret, quæ quidem tranſgreſſio multiplicabatur, & ſuperabundabat, occaſione ab ipſa lege extimulante hominem ad peccatum accepta, ut fieret ſupra modum peccans, qui peccaret per legem, quemadmodum Romanis ſcribens Apoſtolus declarauit. Rom. 7.

claravit. Quare lex ipſa, quæ data fuit, ut illius tranſgreſſor diverſis pœnis coerceretur, non poterat nobis dare benedictionem, & hæreditatem, ſed potius maledictionem & iram, ut alibi Apoſtolus declaravit; quamvis circuncißione, ſacrificijs, & oblationibus videretur quoquo modo expiare peccata: & ſic etiam propter tranſgreſſionem lex ipſa ſuperaddita fuit, quia qui in ea lege vixiſſent, ſi quid deliquiſſent, ſacrificijs & oblationibus tranſgreſſiones expiare, iramq; Dei placare viderentur; Qui vero legem ſervaviſſent, promiſſam rerum ſibi temporalium fruitionem ex illis obſervationibus compararent. Hæc autem lex perpetuo non erat permanſura, ſed duratura, quouſq; veniret ſemen illud Abrahæ, cui Deus in promißionibus ſuis pollicitus eſſet, ſe daturum benedictionem, & hæreditatem omnium gentium; quæ quidem lex ordinata fuit per Angelos, id eſt per nuncios Dei, ſive ut per Angelos, cœleſtes Angelos intelligamus, quibus mediantibus Deus legem dedit, ſive ut per eos, Moyſem, & Aaron eſſe dignoſcamus, quibus tanquam Angelis uſus eſt Deus ad promulgandam legem ſuã. Dixit autem, quòd lex fuit ordinata, quia ordo eſt diſpoſitio prioris ac poſterioris, ita ut ordinatum medium ſit inter prius, ac poſterius; & quia lex ipſa Moyſi fuit media inter legem naturæ priorem, & legem gratiæ poſteriorem, ideo dixit ordinata. Ordo autem iſte complendus erat in manu, ac poteſtate mediatoris, hoc eſt Chriſti, ut in aduentu ſuo per novam legem gratiæ terminaretur vetus illa lex ad eundem Chriſtum, tanquam ad præſtitutum finem ordinata. Mediatorem Chriſtum vocat, quia ipſe medius fuit inter Deum, & hominem, qui morte ſua intercedente nos Deo Patri reconciliavit; Quemadmodum ad Timotheum ſcribens Apoſtolus ipſe declaravit. Hic autem Chriſtus mediator inter Deum, & hominem, non unius populi tantum mediator eſt, ſed omnium populorum, ſive Iudæorum, ſive Gentilium, ut paulo poſt declarabit; quia in manu, ac poteſtate illius erat, ut omnes, qui recte vivebant, tum in lege naturæ, tum etiam in lege ſcripta, ordinarentur ad legem gratiæ, per quam ſalutem conſequerentur; Qui quidem Chriſtus ob eam cauſam mediator appellatus eſt, quia ille inter Deum, & hominem medius factus eſt, ut quem peccatum ſeparaverat, ſua morte Chriſtus hominem Deo coniungeret. Omne autem quod medium eſt, utriuſq; extremi, inter quæ poſitum eſt, particeps exiſtit, quod in coloribus, reliquiſq; omnibus medijs conſpici licet. Tepidum enim ex frigido, calidoq; conſiſtit, nam ſi ſolum calidum, ſolumq; frigidum eſſet, non poſſet inter calidum, & frigidum medium conſiſtere: hoc itaq; modo Chriſtus mediator inter Deum, & hominem fuit; neq; enim ille purus homo, neq; purus Deus extitit, quia medius inter Deum, & hominem non fuiſſet, ſed idem homo, & idem Deus fuit, atq; utriuſq; & humanitatis, & divinitatis naturam inſepara=

1. Timoth. 2.

bili uinculo complexus eſt, ut ex una mori, & ex altera reſurgere poſſet. Quanquam igitur Chriſtus mediator ſit inter Deum, & hominem, quia mediator unius eſſe non poteſt (hoc enim ipſa ratio medij ſignificare uidetur, ut inter duo extrema conſiſtat) non tamen propter hoc cenſendum eſt, Chriſtum eſſe unum Deum diſtinctum ab eo Deo, cuius mediator exiſtit, quoniam non eſt niſi unus Deus. Poteſt quidem Chriſtus eſſe alius homo ab alijs hominibus, inter quos medius eſt, quia poſſunt eſſe plures homines; non autem poteſt eſſe alius Deus ab eo, reſpectu cuius mediator eſt, quia non poſſunt eſſe plures Dij; quoniam (ut diximus) Deus unus eſt. Quòd ſi diceretur medium eſſe diuerſum ab extremis, ſi igitur Chriſtus mediator eſt inter Deum, & hominem, cur ille non erit diuerſus à Deo? Huic argumentationi reſpondemus: medium quidem eſſe diuerſum ab unoquoq; extremorum propter hoc, quòd naturas eorum continet: tepidum enim propter eam partem frigiditatis, quam in ſe habet, eſt diuerſum à calido; ſic quoq; Chriſtus eſt diuerſus à Deo, non propter diuinitatem, quia illa eadem numero eſt in Filio, & in Patre, ſed propter humanitatem. Eſt igitur unus atque idem Deus Chriſtus Ieſus & Pater, propter unitatem naturæ, licet propter diuerſitatem relationum aliam perſonam Patris, & aliam perſonam Filij eſſe confiteamur. Diligenter autem uerba Pauli conſideranda ſunt in hoc loco, nam ex illis non modo diuerſitatem inter legem Moyſi, & promiſſionem Dei, factam Abrahæ, ſed etiam præſtantiam inter utrãq; earum colligemus. Dicit enim legem poſitam eſſe propter tranſgreſſionem, promiſſionem uero propter benedictionem, & hæreditatem; legem etiam dicit temporariam eſſe, & finiendam in manu mediatoris, promiſſionem uero æternam, & nunquam ceſſaturam; legem iterum dicit eſſe uni populo tantum datã, promiſſionem uero omnibus populis tum Iudæis, tum Gentibus æque condonatam.

LEX ERGO ADVERSVS PROMISSA DEI? ABSIT, SI ENIM DATA ESSET LEX, QVAE POSSET VIVIFICARE, VERE EX LEGE ESSET IVSTITIA; SED CONCLVSIT SCRIPTVRA OMNIA SVB PECCATO, VT PROMISSIO EX FIDE IESV CHRISTI DARETVR CREDENTIBVS.

Si itaq; lex poſita eſt propter tranſgreſſiones uitandas ſiue expiandas, uidetur quòd per eam poſſimus iuſtificari, quia per id, per quod uitamus aut expiamus malum, neceſſario operamur bonum, & ſic illud facit nobis acquirere iuſtificationem,

cationem, & hoc modo uideretur lex contraria eſſe promiſſioni, quia euacuaret promiſſionem; Cui reſpondendo dicit. Procul ſit à nobis, quòd putemus legem contrariam eſſe promiſſioni, quia quamuis ipſa lex data ſit propter tranſgreſſiones uitandas, atq; expiandas; non ideo tamen poſſumus per illam iuſtificari: nam ſi data fuiſſet lex, quæ poſſet hominem mortuum peccatis ad uitam reducere, profectò ex lege ipſa eſſet iuſtificatio hominis; & ſic per legem uideretur eſſe excluſa promiſſio, & lex eſſe contraria promiſſioni. Cum autem declarauerit, quòd lex neq; uitam præſtare, neq; iuſtificare poſſit, declarat nunc, quid faciat lex, & dicit. Lex quidem neq; uitam præſtat, neq; iuſtificat, ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, id eſt lex ipſa, quæ per ſcripturam intelligitur, tanquam ſepe quadam uallabat Iudæos, ut agnoſcentes peccata ſua ſcirent ſe non poſſe liberari per ipſam legem, neq; per obſeruationem mandatorum poſſe perfecte expiare peccata ſua. Concluſit (inquam) omnia ſub peccato, quia qui non feciſſet omnia mandata legis, reus erat peccati, & maledictionis, à quo quidem peccato liberari per ipſam legem nõ poterat; & propterea ſub peccato concluſus detinebatur, ut promiſſionem illam factam Abrahæ, quã ex obſeruantia legis conſequi non poterant Hebræi, per fidem & credulitatem, quam habituri eſſent in Chriſtum Ieſum, conſequerentur; & talis hæc promiſſio daretur à Deo credentibus tantum in Chriſtum, & non iis, qui legem obſeruauiſſent.

PRIVS AVTEM QVAM VENIRET FIDES, SVB LEGE CVSTODIEBAMVR, CONCLVSI IN EAM FIDEM, QVAE REVELANDA ERAT.

Si lex non iuſtificabat, ſi non erat contraria promiſſioni diuinæ, factæ Abrahæ, ſi deniq; permanſura erat, donec ueniret fides, quid interim faciebat, & operabatur lex? erat ne fortaſſis inutilis, & infructuoſa? cui dubitationi reſpondendo, declarat Apoſtolus conditionem, & utilitatem legis, unde cognoſcitur, quòd lex ipſa inutilis non erat, neq; contraria promiſſioni; ait ergo. Vere lex non fuit inutilis, neq; contraria promiſſioni, quoniam antequam ueniret fides Ieſu Chriſti, lex ipſa Moyſi continebat nos Iudæos, tanquam clauſos in quodam carcere, cuſtodiebatq;, ne quicquam faceremus contra præcepta, & mandata legis. Concluſos nos (inquam) tenebat lex, quia ex ipſius mandatis progredi non poteramus abſq; peccato, neque per illam ſpes ulla ſalutis nobis data erat. In ea tamen ſic concluſi, ſeruabamur ad fidem Ieſu Chriſti nobis aliquando reuelandam; quoniam Chriſtus uelum detexit, & latitantem ſub figuris ueteris legis ueritatem, nobis

aperuit, & reuelauit, quæ quidem fides finem promiſſionis Abrahæ factæ nobis eſſet allatura.

ITAQVE LEX PEDAGOGVS NOSTER FVIT IN CHRISTO, VT EX FIDE IVSTIFICEMVR; AT VBI VENIT FIDES, IAM NON SVMVS SVB PEDAGOGO, OMNES ENIM FILII DEI ESTIS PER FIDEM, QVAE EST IN CHRISTO IESV.

Si itaque ſub lege detinebamur concluſi, ne laberemur ad peccata, ex hoc infert Apoſtolus, quid faceret lex, & quomodo neceſſaria eſſet, dicens, quòd fungebatur officio pedagogi conducentis nos ad Chriſtum, & coercentis nos metu pœnarum ab erroribus, quod eſt proprium officium pedagogi: ipſe enim dum curam puerorum habet, arcet eos ab erroribus, ducens ad præceptores, ſub quibus proficere poſſint. Lex itaque in eo ſtatu, in quo ſub illa degebamus, fuit nobis pedagogus, propterea nos, ueluti pueros, metu pœnarum coercebat, ne laberemur in peccata; & conducebat nos ad Chriſtum, ut ab eodem edocti, & per illius fidem inſtructi, iuſtificationem conſequeremur, quam, ueluti pueri & ſub pedagogo degentes, conſequi non poteramus. At poſtquam uenit fides, quæ eduxit nos quaſi in uiros perfectos, ceſſauit ætas illa puerilis, ita ut non amplius ſimus ſub pedagogo, neque opera illius egeamus; quod ideo dixit, ne putarent Iudæi, quamuis Gentiles non fuiſſent ſub lege, ueluti ſub pedagogo, non ideo potuiſſe eos conduci ad ueram Chriſti diſciplinam & fidem; propterea dicit. Omnes enim ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quia nec Iudæus, nec Gentilis, ſi crediderit, eget amplius ut à lege, quaſi à pedagogo ducatur in hunc ſtatum fidei. Optima autem ſimilitudine pedagogi uſus eſt Apoſtolus ad oſtendendum ſtatum ueteris legis, & noſtrum; nam ſicuti uir perfectus non eget amplius pedagogo, ita nos, qui ſumus ſub fide, non indigemus amplius lege; & ſi quis in fide conſtitutus uellet ſeruare legalia, uideretur à ſtatu perfecto uirilitatis ad imperfectum ſtatum pueritiæ redire; & ideo non eſtis amplius ſub pedagogo, ſub quo, ueluti ſerui, detinebamini, quia omnes uos eſtis filij Dei, non amplius ſerui ſub pedagogo, ſed ſub parente liberi; quam quidem filiationem conſecuti eſtis, per fidem Ieſu Chriſti, non autem per legem, & opera illius.

QVICVNQVE ENIM IN CHRISTO BAPTIZA-

ti eſtis,

TI ESTIS, CHRISTVM INDVISTIS: NON EST IVDAEVS, NEQVE GRAECVS: NON EST SERVVS, NEQVE LIBER; NON EST MASCVLVS, NEQVE FOEMINA. OMNES ENIM VOS VNVM ESTIS IN CHRISTO IESV.

Quia dixerat, quòd omnes erant filij Dei per fidem Ieſu Chriſti, nunc declarat modum, per quem omnes illi tum Iudæi, tum Gentiles facti ſunt filij Dei per fidem, & dicit. Vos omnes, qui lauati, & mundati eſtis in Chriſto Ieſu per baptiſmum, ſpoliati fuiſtis ſordidis illis ueſtimentis gentilitatis, & obſeruantijs legalibus: induiſtis autem Ieſum Chriſtum, & propterea omnes eſtis Chriſti, quia inſignia, & ueſtimenta, quibus induti eſtis, id eſt fides, & obſequium, oſtendunt uos eſſe illius. Vt ſolent milites uti inſignibus, colore, & ueſtibus dominorum ſuorum, ut cuius ſint cohortis, & ſub quo duce militent præſeferant, uos pariter gentilitatis, & legis ſordidas ueſtes cum abieceritis, candidasq;, & impollutas Ieſu Chriſti ueſtes indueritis, in grauem ſanè ignominiam incideretis, ſi contemptis denuo, & deſpectis his Ieſu Chriſti ueſtibus, ad ſordida gentilitatis, & ueteris legis indumenta remigraretis. Omnes autem uos dixi filios Dei, quicunque Chriſtum induiſtis per baptiſmum, & fidem illius ſuſcepiſtis, quia apud illum non eſt diuerſitas, & differentia credentium; Nam ſiue Iudæus, ſiue Græcus (per Græcum, Gentilem intelligens) ſiue ſeruus, ſiue liber; ſiue maſculus, ſiue fœmina; quicunque fuerint, qui in Chriſtum crediderint, in eodem Ieſu Chriſto unum ſunt, corpus ſcilicet unum, ſub capite Chriſto; & unum ſine diuiſione, quia facti ſunt indiuiſi, & inſeparati cum illo. Hoc autem quod dixit. Vos omnes eſtis unum, dixit ad differentiam legis, & fidei, quia lex Moyſi diſcernebat inter Iudæum, & Gentilem: inter ſeruum, & liberum; inter maſculum & fœminam; at fides Chriſti nullam diuerſitatem facit, cum omnes credentes unum ſint in Chriſto Ieſu.

SI AVTEM VOS CHRISTI, ERGO SEMEN ABRAHAE ESTIS, SECVNDVM PROMISSIONEM HAEREDES.

Paulo ſupra propoſuerat, quòd omnes, quì baptizati eſſent in Chriſto, illum ſine aliqua differentia induiſſent, & unum cum illo eſſent, quod & probauit: propoſuerat etiam, quòd omnes, qui crederent in Chriſtum, eſſent filij Dei, hoc nunc

probat dicens. Si uos omnes credentes, tum Iudæi, tum Gentiles, propter fidem, quam habetis de Chriſto, eſtis unum cum illo, igitur eſtis ſemen Abrahæ, quia Chriſtus ſemen illius eſt; nam ſupra Apoſtolus dixit. In ſemine tuo, qui eſt Chriſtus, benedicentur omnes gentes; ergo nos, qui unum ſumus cum Chriſto, ſemen quoque illius ſumus; Quòd ſi ſemen, igitur & filij; & cum Chriſtus filius Abrahæ dicatur, & idem Filius Dei, nos igitur, qui per fidem ſumus ſemen Abrahæ, & unum cum Chriſto, Abrahæ, & Dei filij merito nuncupari poſſumus; & ſic, ſi ſumus filij, ſimus etiam hæredes promiſſionum factarum Abrahæ; hæredes (inquam) illius benedictionis factæ per Deum, cohæredes autem Chriſti; quod ideo dixit, ut intelligeremus, omnes in Chriſtum credituros, ſiue Iudæos, ſiue Gentiles, per promiſſionem factam Abrahæ, & filios, & hæredes illius futuros: non autem per legem, neque per obſeruationem mandatorum illius. Ex his igitur, quæ in hac parte epiſtolæ declarantur, facile refelli poteſt pſeudo Apoſtolorum opinio, qui Galatis obſeruanda eſſe legalia prædicauerant, ſine illis neminem conſequi ſalutem poſſe aſſerentes; & maxime propter Gentiles, eo quòd non eſſent de ſemine Abrahæ, cui quidem ſemini promiſſa fuiſſet hæreditas, & benedictio. Propterea cum legem non eſſe ad ſalutem neceſſariam multis rationibus Apoſtolus oſtendiſſet, poſtremo demonſtrauit, quòd omnes, qui fidem Abrahæ eſſent imitati, & in Chriſtum crediſſent, eſſent etiam in ſemine illius computandi; unde & filiationem Dei, & hæreditatem ſibi promiſſam habituri eſſent.

CAPVT QVARTVM.

DICO AVTEM QVANTO TEMPORE HAERES PARVVLVS EST, NIHIL DIFFERT À SERVO, CVM SIT DOMINVS OMNIVM, SED SVB TVTORIBVS, ET ACTORIBVS EST, VSQVE AD PRAEFINITVM TEMPVS À PATRE; ITA ET NOS CVM ESSEMVS PARVVLI, SVB ELEMENTIS MVNDI HVIVS ERAMVS SERVIENTES.

Quia dixerat, quòd quicunque eſſent Chriſti, ſemen Abrahæ eſſent, & hæredes ſecundum promiſſionem, potuiſſent Iudæi dicere. Quomodo fieri poteſt, ut Gen

tiles.

tiles; qui ſecundum carnem non ex patre Abraham, neque ſub lege fuerunt, in qua, ueluti à pedagogo, ducerentur ad Chriſtum, hæredes ſint promiſſionis factæ Abrahæ, cum nos Iudæi tantum, qui ex Abraham nati ſumus, & ſub lege educati, uere hæredes illius nuncupari debeamus: Propterea dicit Apoſtolus. Dixi uos tam Iudæos, quàm Gentiles hæredes eſſe per fidem Ieſu Chriſti, quod exemplo hoc humano uolo uobis declarare. Scitis enim, quandiu, qui hæres eſt, (ſi ſit paruulus, id eſt, ſi adhuc ad perfectam ætatem non peruenerit, quandiu: inquam: erit paruulus) quanquam iure ipſo totius ſit hæreditatis dominus, nihil tamen differt à ſeruo, quia ſicuti ſeruus ſub domino, ita paruulus hæres ſub tutoribus, & actoribus agit, qui & illi hæreditatem conſeruant, & omnia eius negocia tranſigunt, & rem omnem familiarem curant, & augent. Viuit autem, ut ſeruus, ſub tutoribus & actoribus, quouſque uel ex tempore à patre præfinito, uel ex ætate iam adulta, licet hæredi, ut dominus hæreditatis conſtituatur. Hoc itaque modo nos etiam Iudæi, cum paruuli, id eſt imperfecti ſub lege, ab illa, tanquam à pedagogo, ad Chriſtum duceremur, quamuis Abrahæ filij eſſemus, & hæredes, quia tamen ſub elementis mundi huius eramus ſine ulla libertate ſeruientes, non diſtinguebamur à ſeruis. Paruuli quidem erãt, qui in lege uiuebant, quia ſicuti paruuli non habent perfectam cognitionem, ita ne illi quidem perfectum legis intellectum attingebant: legem etiam, elementa mundi huius uocauit, quia ſicuti elementa ſunt principia illa literarum, circa quæ uerſantur pueri, ita etiam inductio legis reſpectu cognitionis Chriſti in ea promiſſi, elementum & nuda litera dici poteſt: non abſque etiam ratione dixit elementa mundi huius, quia lex illa, quæ elementis, propter ſui imperfectionem comparatur, non niſi res mundanas ac perituras pollicebatur: Qui igitur in ipſa lege Moyſi erant, quamuis hæredes, & filij Abrahæ eſſent, ipſi non tamen, ut liberi, ſed ut ſerui, ſub illo ſtatu æſtimabantur; quod ideo dixit Apoſtolus, ut oſtenderet, quòd per legem Iudæi non erant hæredes, neque filij, neque per illam conſequi potuerant hæreditatem; quia quandiu in illa uixerunt, non ut filij, & hæredes, ſed ut ſerui uixerunt; & propterea, cum per ſolam fidem Ieſu Chriſti filiationem, libertatem, & hæreditatem conſequamur, quæ communis eſt etiam Gentilibus credentibus in Chriſtum, nihil ergo amplius conſecuti ſunt per ipſam legem Iudæi, quàm Gentiles; quia uterque populus per ſolam fidem Ieſu Chriſti hæreditatem, & benedictionem promiſſam Abrahæ eſt adeptus.

AT VBI VENIT PLENITVDO TEMPORIS, MISIT DEVS FILIVM SVVM FACTVM EX MV

LIERE, FACTVM SVB LEGE, VT EOS, QVI SVB LEGE ERANT, REDIMERET, VT ADOPTIONEM FILIORVM DEI RECIPEREMVS.

V iuebamus autem in lege, ueluti ſerui, ut paruuli, nondum poſſidentes hæreditatem promiſſam nobis à Deo Patre; & tandiu hoc modo uiximus, quandiu expectanda fuit plenitudo temporis, hoc eſt completa determinatio temporis à Deo præſtituti; qua perfecta, miſit Deus Filium ſuum unigenitum quidem, & eiuſdem naturæ conſiſtentem, miſit (inquam) non ut cœlum relinqueret, quia ſemper eſt in ſinu Patris, ſecundum diuinitatem; ſed miſit, ut naturam humanam, ſine ſui ipſius mutatione, aſſumeret, & hic Filius Dei ſecundum alteram naturam, humanam ſcilicet, factus fuit ex muliere, Maria ſcilicet uirgine matre eius; factus (inquam) quia quod non erat aſſumpſit ex muliere, non autem ex uiro, ut hanc generationem ſeminis omnis uirilis expertem eſſe aſſereret; ac ſi dixiſſet, factum ex muliere uirgine (nullibi enim ſuarum epiſtolarum, præterquam in hoc loco, mentionem facit Apoſtolus de beata Virgine) non modo autem ex muliere, ſed ſub lege factus fuit, quoniam circunciſionem, & cætera legis præcepta diligentiſſime obſeruauit: propter hoc (inquam) ſub lege factus, ut illos, qui ſub lege, ueluti captiui, & concluſi erant in ſeruitute ipſius legis, liberaret; & ut ſic ab ipſa legis ſeruitute liberati, non amplius, uti ſerui, illi pareremus, ſed filiationem adoptionis Abrahæ promiſſam ab illo reciperemus: miſit enim Deus Filium ſuum unigenitum, ſibiq; coæternum, ut per eum à legis ſeruitute liberati filij adoptionis efficeremur.

QVONIAM AVTEM ESTIS FILII DEI, MISIT DEVS SPIRITVM FILII SVI IN CORDA VESTRA CLAMANTEM, ABBA PATER. ITAQVE IAM NON EST SERVVS, SED FILIVS; QVÒD SI FILIVS, ET HAERES PER DEVM.

Quia ſupra dixerat, quòd Deus Filium ſuum, factum ex muliere, & ſub lege, miſerat in hunc mundum, ut eos, qui ſub lege erant redimeret; ut denique nos omnes, tam Iudæi, quàm Gentiles, adoptionem filiorum Dei promiſſam Abrahæ ab illo reciperemus; nunc autem dicit. Propter hoc facti ſumus filij Dei per adoptionem, quia miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda noſtra, qui clamaret Deum Patrem noſtrum. Dicit autem Deum miſiſſe ſpiritum Filij ſui, ut oſtenderet eundem ſpiritum à Patre, & Filio procedere; quoniam ipſa miſſio, proceſſio

ceſſio

ceſſio eſt: procedit autem à Patre, quia ab eo mittitur: procedit etiam à Filio, quia ſpiritus eius eſt: uere ſpiritus eius, tum quia ab eo procedit, tum quia proprium filij eſt patrem appellare, maxime etiam, quia ipſe Filius docuit nos in orationibus noſtris Deum patrem appellare. Sicuti ergo Filius Dei per Spiritum ſanctum Deum Patrem appellat, ita nos etiam per eundem ſpiritum in corda noſtra à Deo immiſſum, ueluti filij adoptionis, Deum Patrem nuncupamus. Patrem autem Apoſtolus duplici nomine dixit, Syriaco ſcilicet, & Græco, quod idem eſt cum Latino, ut oſtenderet utrunque populum, Iudæum ſcilicet, & Gentilem, poſſe per ſpiritum Filij Dei (ſi in eum crediderint) Deum Patrem appellare. Si igitur uterq; populus per Spiritum ſanctum uocat Deum Patrem, conſentaneum pariter eſt, ut neuter iſtorum populorum ſeruus appellari amplius debeat, ſed filius: quòd ſi rationabiliter uterq; populus nuncupandus eſt filius, rationabiliter etiam uterq; eorum debet dici & hæres, quia ſtatim quòd aliquis filius eſt, ſtatim quoq; iure ipſo eidem debetur hæreditas.

SED TVNC QVIDEM IGNORANTES DEVM, IIS, QVI NATVRA NON SVNT DII SERVIEBATIS: NVNC AVTEM CVM COGNOVERITIS DEVM, IMMO COGNITI SITIS À DEO, QVOMODO CONVERTIMINI ITERVM AD INFIRMA, ET EGENA ELEMENTA, QVIBVS DENVO SERVIRE VVLTIS?

C*um ſupra dixiſſet Iudæos ex ſemine Abrahæ natos, quamuis hæredes & filij illius eſſent, nihilominus, quia ueluti paruuli ſub tutoribus, & actoribus in lege tenebantur, non fuiſſe differentes à ſeruis, & ſub elementis legis uitam degiſſe uſq; ad illud tempus, quo miſit Deus Filium ſuum, qui eripiens eos de ſeruitute legis, in filios, & hæredes Dei cooptaret, nunc illud idem demonſtrat de Galatis, qui Gentiles extiterant, quòd & ipſi ſcilicet ſerui fuiſſent, à qua ſeruitute non potuerant liberari, niſi per cognitionem Dei, propterea illos alloquens dicit. Nunc per fidem Ieſu Chriſti habetis & uos filiationem, & hæreditatem Dei; ſed tunc, hoc eſt, eo tempore, quo ſine fide uiuebatis, fuiſtis uos etiam in ſeruitute, non tanquam paruuli ſub tutoribus, & actoribus, ſed ueluti alieni à uero cultu Dei, ut ſolent idolatræ, & infideles facere, ſub dæmonum ſuperſtitione ſeruientes, non uni tantum Deo, ſed pluribus dijs, & illis quidem dijs, qui arte dæmonum, non natura dij eſſe putabantur, quod quidem propterea faciebatis, quia tunc uera Dei cognitione carebatis; At nunc in hoc ſtatu fidei,*

cum ex prædicationibus meis unum uerum Deum *cognoueritis, quinimmo ab illo uno uero* Deo *cogniti, tanquam fideles fueritis* (Deus *enim cognoſcere dicitur bo-*
Math. 25. *nos, & fideles, ſicuti econtra malos, ac ſceleſtos neſcire; prout in* Euangelio *de uirginibus fatuis. Neſcio uos.) cum igitur tam ampla* Dei *cognitione dotati ſitis, & uos* Deus *tanquam bonos, & fideles cognouerit, quo iure, qua ratione, quaſi dicat, quo nouo genere inſaniæ, cum uobis illuxerit ueritas, per quam liberati ſitis à dæmonum ſeruitute, nunc iterum uultis confugere ad obſeruationes legis* Moyſi, *quibus impliciti noua ſeruitute detineamini?* Sunt *illæ quidem obſeruationes quaſi elementa infirma, & egena, elementa (inquam) quia traditiones illæ quædam exordia, & principia fuerunt propoſita rudibus, nec dum uere cognitionis capacibus; quæ uero ſunt infirma, hoc eſt, parum ſtabilia, & non perpetuo duratura, ſunt etiam egena, quia non poſſunt homini ſalutem præſtare, nec lucidam ueritatis cognitionem afferre.*

DIES OBSERVATIS, ET MENSES, ET TEMPORA, ET ANNOS.

Quòd *autem conuerſi ſitis ad elementa infirma, & egena, ex hoc potiſſimum apparet, quia dies, & menſes, & tempora, & annos obſeruatis,* Hebræos *imitantes, qui & ipſi dies, menſes, tempora, & annos diuerſis eorum ſacrificijs, & ſolennitatibus accommodabant.* Illi *quidem dies obſeruabant, quòd decimo ſcilicet die menſis agnum tollerent, eundemq; quartodecimo die eiuſdem menſis immolarent.* Menſes, *quòd* Neomenias, & Senophegias *ſtatutis menſibus celebrarent.* Tempora, *quòd illud tempus obſeruarent, quo egreſſi ſunt de* Aegypto. Annos, *quòd ſeptimum, & quinquageſimum cuſtodirent, à quibus obſeruantijs intendit* Apoſtolus Galatas *remouere, & illos ad uerum* Dei *cultum inducere.*

TIMEO VOBIS, NE SINE CAVSA LABORAVERIM IN VOBIS: ESTOTE, SICVT EGO, QVIA ET EGO SICVT VOS, FRATRES OBSECRO VOS.

S*i itaq; uos deſideratis iterum reuerti ad iſtas uanas, & inutiles obſeruantias, ualde de uobis, id eſt de ueſtra ſalute timeo, ne forte fruſtra, & ſine aliqua utilitate tot labores impenderim erga uos, prædicando, docendo, & monendo uos, quandoquidem uos uideam tam facile ad uanas, & inutiles ſuperſtitiones* Iudæorum *deduci.* Quamobrem *ne hoc in uobis contingat, eſtote, ſicuti ego ſum;*

nam ego Iudæus olim in lege, & in obſeruantijs illius uiuens, ad fidem Chriſti uocatus illam prorſus dereliqui, nec ad illam reuerti amplius ſtudeo: ſic & uos ad fidem Chriſti uocati, nolite deletis iam ſuperſtitionibus Iudæorum denuo implicari. Ego enim, & uos conformes, & ſimiles ſumus in uocatione fidei, & gratia Chriſti. Ille nanque idem Deus, qui me, uos quoq; ad eandem fidem, & gratiam uocauit. Quod ideo dixit Apoſtolus; ut ſi rationibus conuicti Galatæ, à falſis Iudæorum ſuperſtitionibus, adduci nondum poſſent, ut abſtinerent, ſuo hoc tamen exemplo facerent, qui eorum magiſter eſſet. Vnde precibus eos alliciens, magna ſanè cum humilitate ait. Quod uos ex nimia charitate moneo, obſecro fratres, ut faciatis, non autem ut dominus impero.

NIHIL ME LAESISTIS. SCITIS AVTEM, QVÒD PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS IAM PRIDEM, ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA NON SPREVISTIS, NEQVE RESPVISTIS, SED SICVT ANGELVM DEI ACCEPISTIS ME, SICVT CHRISTVM IESVM.

A poſtolus ſupra Galatas aſperioribus uerbis increpauerat, uocando eos ſtultos, & faſcinatos, eo quòd pſeudo Apoſtolorum monitis magis credidiſſent, quàm ſuis: propterea quia potuiſſent exiſtimare Galatæ, ipſum odio, aut aliquo alio hæc malo animi affectu dixiſſe, tanquam ab eis iniuriam recepiſſet; ideo ut hanc penitus ab eis ſuſpicionem tollat, blandiendo illis dicit. Ne putetis Galatæ, quòd ego hæc uobis ſcribam quaſi iniurijs ueſtris laceſſitus, quia uos in nullo me unquam læſiſtis (quanquam enim falſis pſeudo Apoſtolorum perſuaſionibus fidem adhibueritis, hoc quidem non feciſtis, ut me læderetis, ſed quia errare uos non poſſe arbitrabamini, ſi illorum etiam dictis obtemperauiſſetis) nihil igitur me à uobis læſum exiſtimo, immo multis me beneficijs ueſtris ornatum fuiſſe confiteor: Nam omnes uos ſcitis, quando primum uobis Chriſtum prædicaui, quòd illum per infirmitatem carnis prædicaui, quia non ego aſperiori uita utens, ſed magis inclinans ad imbecillitatem humanam, & carnis fragilitatem, inter uos conſueui, ut facilius uos Chriſto coniungerem; factus omnibus omnia, ut uos omnes Chriſto lucrifacerem. Hoc autem dixit, quia Galatæ erant feroces populi, multum luxui, atq; uentri, uel natura, uel aſſuetudine indulgentes, quos ſi primis initijs aſpera illa, & continenti apoſtolica uita ad Chriſtum deducere uoluiſſet non ſanè facile facere eum, immo nihil quidem profeciſſet, & contemptui illum

Galatæ habuiſſent, propterea infirmitati eorum condeſcendens dixit, ſe per infirmitatem carnis prædicauiſſe illis Chriſtum, quaſi indulgens eis in multis, dummodo in Chriſtum credidiſſent, eiusq; ſola fide putarent ſe ſaluari poſſe: conuertens ergo ad illos ſermonem ait. Vos tentationem ueſtram, hoc eſt experimentum de uobis acceptum in carne mea, & ipſa infirma, non contempſiſtis; ac ſi diceret. Cum uellem uos ad fidem Chriſti conuertere, uſus ſum blanditijs liberalius, & delinimentis uobiſcum, multa uobis per indulgentiam concedendo, propter infirmitatem carnis ueſtræ, quæ ipſa ego quoq; ueluti infirmus uobiſcum faciebam; & experimentum huius indulgentiæ ueſtræ, quod ego etiam feci in carne mea, non ſpreuiſtis, neq; reſpuiſtis, quinimmo tunc me, ueluti Dei nuncium ſuſcepiſtis, & ſic quaſi metipſum Ieſum Chriſtum, complexi eſtis me. Litera autem hæc alio modo etiam legi ſolet, ſcilicet. Et experimentum mei, quod erat in carne mea, non eſtis aſpernati, quod tamen ferè in eandem ſententiam redire poteſt; ac ſi diceret, quòd experimentum indulgentiæ, ab Apoſtolo Galatis conceſſæ, liberioris cuiuſdam uitæ, quod ipſe etiam faciebat in carne ſua, non fuit deſpectum, neq; repulſum ab illis. Dixit: IN CARNE: non autem in ſpiritu, quia multa per carnem concedebat, quæ ſpiritu non approbabat.

VBI ERGO EST BEATITVDO VESTRA? TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO VOBIS, QVIA SI FIERI POSSET, OCVLOS VESTROS ERVISSETIS, ET DEDISSETIS MIHI.

Si itaq; tanta charitate, ac beneuolentia ſuſcepiſtis me, dum primum uobis Chriſtum prædicarem, ubi nunc igitur eſt illa ueſtra beatitudo? hoc eſt, illa uis charitatis, & amoris, quam olim erga me oſtendiſtis, unde uos ipſos beatos eſſe arbitrabamini? Talis enim, ac tanta erat, ueſtræ charitatis abundantia, ut uere teſtificari de uobis poſſim, quia non ſolum bona omnia ueſtra mihi dediſſetis, ſed oculos etiam ipſos ueſtros (ſi id quidem fieri ſine diſcrimine uitæ potuiſſet) extraxiſſetis, eosq; mihi donauiſſetis; quod quidem dixit, ut illorum ſuperabundantem charitatem erga ſe demonſtraret. Nihil enim eſt, quod magis ex omnibus membris noſtris, quàm oculos, diligamus.

ERGO INIMICVS VOBIS FACTVS SVM, VERVM DICENS VOBIS?

Cum

Cum ego per infirmitatem carnis uobis Chriſtum euangelizarem, tanta me charitate complexi eſtis, ut ſicuti Angelum, & quaſi Chriſtum ipſum me ſuſceperitis. Nunc autem, quòd ueritatem uobis prædicauerim, monendo uos inſuper, ne ſuperſtitionibus amplius crederetis, legem & circuncifionem ſeruare denuo cupientes, factus ſum'ne uobis propterea inimicus? prius enim, dum multa per infirmitatem carnis indulgendo, uobis prædicarem, eram amicus uobis; nunc autem, non eſſe fidendum amplius legi, ſed in unum Chriſtum ſpem omnem ha bendam ut prædicaui, me inimicum ueſtrum arbitramini.

AEMVLANTVR VOS NON BENE, SED EXCLV DERE VOS VOLVNT, VT ILLOS AEMVLEMINI: BONVM AVTEM AEMVLAMINI IN BONO SEMPER, ET NON TANTVM, CVM PRAESENS SVM APVD VOS, FILIOLI MEI, QVOS ITERVM PARTVRIO, DONEC FORMETVR CHRISTVS IN VOBIS.

Libertatis, ac pacis ueſtræ perturbatores pſeudo iſti Apoſtoli æmulantur uos, hoc eſt, uideri uolunt uos & fidem ueſtram imitari uelle, ſimulantes ſe eadem animi affectione in Chriſtum credere, qua uos etiam creditis; ſed dico ego uobis, quòd non bene, rectéq; uos imitantur, quia quamuis & ipſi, ſicuti uos fortaſſe in Chriſtum credant, dum tamen, præter fidem Chriſti, neceſſariam quoq; eſſe legem ad ſalutem conſequendam aſſerunt, non recte faciunt, neq; in hoc bene uos imitantur; nam dum talia uobis illi ſuadent, non ad ueram ſalutem condu cere, ſed ab illa excludere uos uolunt, ſolam fidem Chriſti ad ſalutem non ſufficere falſo dicentes: & propter hoc uos uolunt à uera fide Chriſti excludere, ut excluſi poſtmodum eos imitemini, ſcilicet cum illis ut legalia ſeruetis. Quare nolite eos imitari, neq; æmulari, ſed magis ſtudete bonum Apoſtolum; bonumq; uirum, non in omni quidem, ſed in bono duntaxat illius opere, bonoq; ſermone imitari; & hoc quidem aſſidue, id eſt non aliquando tantum, ſed in bono opere bonum ſemper imitamini. Dixit autem, quòd imitari bonum uirum in bono ope re deberent, quia ſiue ob metum, ſiue ob ignorantiam, ſiue ob aliam quamcun que cauſam, ſæpe contingit bonum uirum non recte ſentire: & propterea talem uirum, etſi bonum imitari non debemus, niſi ſuæ bonitati opera quoq; bona cum adiunxerit: ſicuti ſæpe etiam fieri ſolet, ut malus non ſit ſemper fugiendus, neq; non ſemper imitandus, cum plerunq; illum bona aliqua facere uideamus: imitamini igitur bonum uirum in bono opere ſemper, non modo cum præſens

apud uos ſum corpore, ſed etiam dum procul ego ſum à uobis; quia ueſtrum hoc debet eſſe iudicium, ut bonos à malis Apoſtolos Apoſtolis ſecernatis, & non ſemper cenſuram meam expectetis, ita ut uideamini magis conſilio auctoritatis meæ, quàm iudicio ueſtro confidere: hoc eſt quod uobis ſeruandum eſſe filioli mei ſuadeo; filiolos uocat: condecenter diminutiuo nomine utitur Apoſtolus; quia debiles, & male firmos in fide eos eſſe cognoſcebat, uel quia doctrinæ obliti Galatæ uidebantur, quam illis prædicauerat: natura enim puerorum eſt, facile ut earum rerum obliuiſcantur, quas aliquando didicerunt: propterea dicit ſi quando uos prædicationibus meis in fide Chriſti parturiui, ſi uos in hanc lucem ueritatis edidi, quia tamen prædicationibus pſeudo Apoſtolorum adhærentes à uera filiatione Dei deſciuiſtis, ideo uos denuo noua hac admonitione parturio, hoc eſt cum dolore & anxietate, perſimili dolori & anxietati parturientis mulieris, iterum genero uos, ut in Chriſtum renaſcamini; & eo uſque cum doloribus & laboribus parturio uos, quouſq; formetur Chriſtus in uobis, hoc eſt, donec imaginem Chriſti firmiſſimam, & in cordibus ueſtris inſculptam & in uobis formatam habeatis; ita ut forma, & ſimilitudo illius impreſſa in uobis, nulla arte, nulla pſeudo Apoſtolorum prædicatione labefactari, aut conuelli poſſit. Recte autem Apoſtolus dixit: DONEC FORMETVR CHRISTVS IN VOBIS: *quia dixerat, quòd parturiret eos, donec in illis formaretur Chriſtus. Parturitio autem generationem ſignificat, generatio terminatur ad formam, quæ eſt principium operationis, & motus, ergo eſt, ac ſi diceret. Ego denuo genero uos cum dolore & affectu, eo modo, quo parturientes ſolent, ut per generationem meam acquiratis uos uobis formam Ieſu Chriſti, per quam operationes ueſtras illius operationibus conformes habeatis, firmiſſime credentes, poſſe uos per eum ſolum liberari.*

VELLEM AVTEM ESSE APVD VOS MODO, ET MVTARE VOCEM MEAM, QVONIAM CONFVNDOR IN VOBIS.

N*uper à uobis abſens, ò Galatæ appellaui uos & fratres, & filios, uellem nunc tamen quammaxime eſſe apud uos; non enim his uerbis uterer, quibus nuper uſus ſum, ſed mutarem profecto uocem meam. Qui leni equidem epiſtola, & miti nunc oratione uos alloquor, quàm ſanè ſeuerius, ſi præſens eſſem, agerem, quoniam confundor in uobis, hoc eſt, ita de uobis perturbor, quòd non humanis, ſed grauioribus uerbis, non tranquillo, ſed iracundo animo, iam non monerem uos, ut amicos, ſed obiurgarem, ut errantes, ſi coram adeſſem, uos nanq;*

ob ingratam

ob ingratam credulitatem, quam pſeudo Apoſtolis imprudenter præſtitiſtis, cor meum, & mentem meam ad iuſtam indignationem prouocauiſtis.

DICITE MIHI, QVI SVB LEGE VVLTIS ESSE, LEGEM NON LEGISTIS? SCRIPTVM EST ENIM; QVONIAM ABRAHAM DVOS FILIOS HABVIT, VNVM DE ANCILLA, ET VNVM DE LIBERA; SED QVI DE ANCILLA SECVNDVM CARNEM NATVS EST. QVI AVTEM DE LIBERA PER REPROMISSIONEM, QVAE SVNT PER ALLEGORIAM DICTA.

V tique confundor in uobis, quòd à uera fide Chriſti deſciueritis, & uos ipſos ſeruituti legis ſubijcere optetis, ſed uos (inquam) uolo, uos alloquor, uos rogo, qui ſub lege eſſe uultis, num legem legiſtis? In illa enim ſcriptum eſt; Quoniam magnus ille pater Abraham quanquam plures filios habuerit, de duobus tamen ſcriptura tantum meminerit, ut aliquid in utroq; excellens nobis præfiguraret; quorum unus de ancilla Agar, alter uero de uxore Sara libera procreatus. Sed quamuis unus eſſet ambobus pater generationis Abraham, inter utrunq; tamen maxima diſſimilitudo interceſſit. Quoniam, qui ex ancilla fuit, ſecundum naturam, & conſuetudinem carnis natus eſt, quia, quo tempore Abraham generauit Iſmaelem, potens erat ad generandum, & ſimiliter Agar ad concipiendum apta, & propterea talis generatio ſecundum carnis naturam dicta. Qui uero de libera fuit, non ſecundum naturam, & conſuetudinem carnis natus eſt, quia cum defeciſſent illi muliebria, facta iam erat Sara ex longæua ætate ſterilis, & infœcunda: Abraham quoq; cum centenarius eſſet, factus erat & ipſe impotens ad generandũ. Cum ergo Iſaac ex utroq; parẽte ſterili fuerit generatus, dicendum ſanè eſt, quòd per repromiſſionem natus eſt, propterea quòd Abrahæ Deus promiſerat, ſe illi daturum filium tempore, quo non poterat generare; unde Iſaac dictus fuit promiſſionis, & non carnis filius: & hæc omnia, quæ de duobus iſtis filijs ſcripta ſunt, ſcilicet, quòd unus eorum ex Agar ancilla, & alter ex Sara libera natus ſit, per allegoriam dicta ſunt. Allegoria enim ſermo eſt, quo unum dicitur, & aliud ſignificatur, quia aliud in uerbis, aliud quidem in ſenſu oſtenditur; & quia ſcriptura illa Geneſis de duobus illis filijs, aliud quidem uerbis ſignificat, aliud uero ſenſu præfigurat; iccirco dixit, ea, quæ ſcripta ſunt de libera, & ancilla, & de utroq; filio, eſſe dicta per allegoriã.

Gen. 21.

HAEC ENIM SVNT DVO TESTAMENTA, VNVM QVIDEM IN MONTE SINA IN SERVITVTEM GENERANS, QVAE EST AGAR (SINA ENIM MONS EST IN ARABIA, QVI CONIVNCTVS EST EI, QVAE NVNC EST HIERVSALEM) ET SERVIT CVM FILIIS SVIS.

A *ncillæ, & liberæ allegoriam declarat Apoſtolus dicens. Hæc enim, quæ de ancilla, & libera uxore Abrahæ diximus, allegorice ut referam; duæ matres, duo teſtamenta ſignificant, unum quidem, ſcilicet uetus teſtamentum, à Deo datum in monte Sina, & populo per Moyſem promulgatum; & hoc quidem teſtamentum generauit Deo filios ſuos in ſeruitutem, quia in ſeruitute timoris, & pœnarum ſub ueteri lege Deo Iſraelitæ ſeruiebant, quia qui legem non feciſſet, peribat per illam; quæ quidem lex, quod teſtamentum datum Moyſi, atque in ſeruitutem redigens, eſt Agar; quia ſicut Agar ancilla generauit filium ſub ſeruitute alterius filij; ita quoq; teſtamentum illud datum in monte Sina generabat filios ſub ſeruitute timoris, & pœnarum. Cur autem uetus teſtamentum, id eſt antiqua lex per Agar ancillã ſit ſignificata, reddit cauſam dicens. Quòd Sina mons, in quo datum fuit uetus teſtamentum, eſt in Arabia illa, quam deſertam appellamus, qui quidem mons coniunctus, eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalem, non quidem ſitu regionis, ſed ſimilitudine legis, & cæremoniarum, eo quòd eandem legem ſimul utriq; populi ſeruabant: & ſeruit cum filijs ſuis, quia mons ipſe Sina cum coniuncta ſibi Hieruſalem ſeruit cum filijs ſuis legi, & cæremonijs illius, unde ex qualitate, & conformi utriuſq; denominatione, Agar ancillæ, & montis Sinæ, qui quidem indigenarum lingua Agar appellatur, unde Agareni populi dicti ſunt, qui eius montis loca coluerunt, in quo quidem datum fuit uetus teſtamentum & lex, uult Apoſtolus arguere, & demonſtrare ipſius legis, & teſtamenti qualitatem: propterea ſicut mons Sina, cum filijs ſuis, & coniuncta ſibi Hieruſalem, ſeruit legi, & cæremonijs illius, ita quoq; lex, & teſtamentum datum in illo obſeruatores ſuos tenebat in ſeruitute propter timorem, & pœnam per illud impoſitam; & propterea ſicut Agar cum filijs ſuis ſeruiebat filio liberæ, cum coninncta ciuitate Hieruſalem, ita quoq; lex illa data in monte Sina, quem diximus appellari Agar, genuit ſeruos illos, qui ex ueteri teſtamento nati ſunt.*

ILLA AVTEM, QVAE SVRSVM EST HIERV-

ſalem,

SALEM, LIBERA EST, QVAE EST MATER NOSTRA.

Accommodauerat per allegoriam teſtamentum uetus datum in monte Sina Agar ancillæ, nunc alterum, ſcilicet teſtamentum nouum, per eandem allegoriam accommodat Saræ liberæ uxori Abrahæ, & dicit. Sicuti terreſtris illa Hieruſalem, quæ coniuncta erat cum monte Sina, in quo data fuit lex, ſerua erat, & perſimilis Agar ancillæ, quia in ſeruitutem legis generabat filios ſuos, ita quoq; illa Hieruſalem, quæ eſt ſurſum, id eſt quæ mente, & ſpiritu Deo ſeruit, non in cæremonijs terrenis, & carnalibus detenta, libera eſt, ut Sara; & eſt mater noſtra, quæ, cum libera ſit, filios etiam liberos generat, ſicuti Sara liberum filium generauit. Vbi enim ſpiritus Domini, ibi & libertas. Ex quibus uerbis uoluit Apoſtolus oſtendere, quòd, qui in Chriſtum credunt, non habent matrem ſeruam, hoc eſt, ſynagogam, & legem Iudæorum, ſed habent matrem Eccleſiam liberam, quæ non in timore & in ſeruitute legis, ſed in ſpe, & libertate Chriſti filios ſuos producit. 2. Cor. 3.

SCRIPTVM EST ENIM, LAETARE STERILIS, QVAE NON PARIS; ERVMPE, ET CLAMA, QVAE NON PARTVRIS, QVIA MVLTI FILII DESERTAE, MAGIS QVAM EIVS, QVAE HABET VIRVM.

Vere autem Hieruſalem ſuperna, quæ Eccleſiam repræſentat, & per Saram figuratur, libera eſt, & mater noſtra: nam ſicuti Sara libera fuit, ita quoq; Eccleſia Chriſti libera eſt: ſicuti illa aliquando ſterilis, ita Eccleſia ante Chriſtum fuit ſterilis: ſicuti illa deniq; filium per promiſſionem concepit, ſuperno quidem Dei munere, ita Eccleſia diuina promiſſione filios procreauit, quod uaticinio eximij Prophetarum Eſaiæ longis antea ſæculis fuit præmonſtratum, qui præuidens Eccleſiæ fœcunditatem, ex Gentibus in Chriſtum credituris, exclamans dicit. Lætare ſuperna Hieruſalem, hoc eſt, Eccleſia per Saram ſignificata, ſterilis quidem ante Ieſum Chriſtum, quæ ante illum filios non pariebas; quia nullus Gentilium ueram Dei cognitionem habebat; & præ magnitudine gaudij rumpe uocem ſilentem, ac tacitam, & totis uiſceribus intona; tu, quæ adhuc partum non edidiſti. Ratio autem, & cauſa, cur lætari, & clamare debeas Eccleſia hæc eſt, quia tui deſertæ, ac deſolatæ, eo quòd uirum non habuiſti, filij futuri ſunt quidem multo plures, & huberiores, quàm eius mulieris, ſci- Eſai. 54.

licet ſynagogæ, quæ modo uirum habet. Senſus itaq; huiuſce prophetiæ talis eſt. Lætare Eccleſia ſterilis, quæ ante Chriſtum filios non generabas, quia nullus Gentilium uerum Deum confitebatur, & propter hoc ſterilis eras, quia uirum, hoc eſt Chriſtum, non habebas, & propterea filijs carebas; ſed lætare (inquam) quia poſtquam Chriſtus uenit, quanquam olim fueris deſolata, ac deſerta, nulloſq; haberes filios, longe deinde plures conſecuta es filios, quàm illa mulier, ſcilicet ſynagoga, quæ multis antea ſæculis uirum habuerat, Deum ſcilicet: quia longe quidem plures Gentiles crediderunt in Chriſtum, quàm Iudæi; ex quibus uerbis Apoſtolus probauit, Eccleſiam matrem noſtram liberam eſſe, & fœcunditate filiorum ſynagogam antecedere.

NOS AVTEM FRATRES SECVNDVM ISAAC PROMISSIONIS FILII SVMVS.

Cum declaraſſet, quòd Eccleſia libera, & ſterilis, ſignificata per Saram, eſſet mater noſtra; nunc declarat modum, quo ſumus facti filij illius, ut in omnibus oſtendat ſimilitudinem conuenire Allegoriæ. Sicuti enim Sara libera, & ſterilis non ſecundum carnem, ſed per promiſſionem concepit Iſaac, ita quoq; Eccleſia ſterilis, & libera non ſecundum carnem, ſed per diuinam promiſſionem generat ſibi filios. Sicuti enim ſecundum naturam impoſſibile erat Saræ generare propter ſuam ipſius ſterilitatem, & longæuam ætatem, ita quoq; impoſſibile erat, ut nos per naturam noſtram humanam efficeremur filij & hæredes Dei. Vnde ſicuti illa per promiſſionem facta eſt mater, ita quoq; nos per promiſſionem factam nobis à Ieſu Chriſto regeneramur in filios Dei, & facti ſumus cohæredes Chriſti; & propterea dicit Apoſtolus. Nos fratres eum in modum, quo conceptus fuit Iſaac, per repromiſſionem Dei ſcilicet, non carnis filij, ſed ſpiritus, & promiſſionis, facti ſumus filij Dei.

SED QVEMADMODVM TVNC IS, QVI SECVNDVM CARNEM NATVS FVERAT, PERSEQVEBATVR EVM, QVI SECVNDVM SPIRITVM, ITA ET NVNC.

Non modo Sara perſimilis eſt Eccleſiæ, quia illa ſterilis, deinde mater, & per promiſſionem generauit Iſaac, ſicuti Eccleſia filios ſuos; ſed etiam filij ex Sara, & ex Eccleſia geniti perſimiles ſunt; quia, eo modo, quo tunc, qui ſecundum carnem natus erat ex ancilla, Iſmael, inſequebatur eum filium, qui natus erat

ſecundum

ſecundum ſpiritum, & promiſſionem diuinam, Iſaac, ita quoq; nunc, qui nati ſunt Iudæi ſecundum carnem, & qui carnalibus cæremonijs dant operam, perſequuntur eos; qui nati ſunt ex libera matre Eccleſia ſecundum ſpiritum, & promiſſionem diuinam. Quomodo autem Iſmael perſecutus fuerit Iſaac, non facile inueniri poteſt, niſi quia legimus, quòd Iſmael, & Iſaac ſimul ludebant, ut in illo luſu intelligeretur, quòd Iſmael inſecutus eſſet Iſaac, atq; illi aliquam irrogaſſet iniuriam; ſed quia hoc non perſpicue ibi uideri poteſt, propterea credendum eſt, quòd Apoſtolus per eum, qui ſecundum carnem natus erat, intellexerit Aegyptios, Iſmaelitas, & Agarenos; qui ab Iſmaele, & Agar illius matre, nati ſunt: unde uſque in hunc diem & Iſmaelitæ, & Agareni appellati ſunt, qui ab Iſmaele deſcenderant, qui ſemper perſecuti fuerunt populum eum, qui ex Iſaac natus eſt, & eos etiam qui ſecundum ſpiritum, & promiſſionem procreati fuerunt, ut fuerunt Iudæi illi, qui ab Iſaac deſcenderunt. Gen. 21.

SED QVID DICIT SCRIPTVRA? EIICE ANCILLAM, ET FILIVM EIVS: NON ENIM HAERES ERIT FILIVS ANCILLAE, CVM FILIO LIBERAE.

Sed quanquam filius ancillæ perſequeretur filium liberæ, non tamen propter hoc ille ancillæ filius potuit conſequi hæreditatem una cum filio liberæ; & hoc quidem teſtimonio ſcripturæ facile colligi poteſt, nam Geneſis eodem loco legimus, quòd Sara cum perſpexiſſet Iſmaelem ludentem cum Iſaac, dixit ad Abraham. Eijce, & expelle de domo tua Agar ancillam iſtam, & filium eius Iſmaelem, quia nulla ratione, nullo iure fieri debet, ut filius ancillæ particeps fiat hæreditatis cum filio liberæ; quam auctoritatem ob hoc induxit Apoſtolus, ut oſtenderet legem illam, & uetus teſtamentum præfiguratum per Agar ancillam, eijciendum eſſe, & omnes etiam, qui eam legem obſeruare uoluerint, excludendos eſſe ab hæreditate, quia fieri non debet, ut qui eam legem obſeruant, Chriſti hæreditatem conſequi poſſint, quemadmodum illi conſequuntur, qui ex Eccleſia Chriſti libera regenerati ſunt, per Saræ filium præfigurati.

ITAQVE FRATRES NON SVMVS ANCILLAE FILII; SED LIBERAE, QVA LIBERTATE CHRISTVS NOS LIBERAVIT.

Quare ſi uera ea ſunt, quæ diximus, nos non eſſe filios carnis, ſed promiſſio-

nis, & ſpiritus (ut ſupra copioſe oſtendimus) neceſſario concludendum erit, nos, qui Chriſti legem ſequimur, non eſſe filios ancillæ, ut ſubijciamur ueteri legi, per allegoriam Agar ancillæ comparatæ, ut ſeruiliter illius ritus & cæremonias cuſtodiamus, ſed eſſe magis filios liberæ, hoc eſt, Eccleſiæ, per eandem allegoriam Saræ comparatæ, ut libere, & ſine ſeruitute ueteris illius legis uiuamus, & ea libertate utamur, qua Chriſtus morte ſua nos à ſeruitute legis, & peccati liberauit. Hæc autem omnia, quæ dicta ſunt ab Apoſtolo per allegoriam, de Agar ancilla, & Sara libera, ſignificantia duo teſtamenta, & de duobus earum filijs, duos populos, Iudæum ſcilicet, & fidelem repræſentantia, ideo dicta ſunt, ut admonerentur Galatæ, legem nullo modo eſſe neceſſariam ad conſequendam Chriſti hæreditatem: & propterea ſi qui pſeudo Apoſtoli eſſent, qui docerent eos legem ſeruandam eſſe, eos expellerent, exemplo Saræ, quæ uoluit, ut ancilla Agar cum filio à domo ſua expelleretur, non paſſa, filium ancillæ cum filio ſuo conſortem hæreditatis eſſe. Sic itaq; Galatæ facere uos debetis. Eijciatis à uobis penitus legem, & filios illius, hoc eſt, illos, qui ſuadent uobis ſeruare legalia, quandoquidem illa iam excluſa ſit; & filij ipſius, qui illam ſeruant, non ſint futuri participes hæreditatis, quæ tantum debetur filio liberæ, id eſt Eccleſiæ credentis in Chriſtum.

CAPVT QVINTVM.

STATE, ET NOLITE ITERVM IVGO SERVITVTIS CONTINERI: ECCE EGO PAVLVS DICO VOBIS, QVONIAM SI CIRCVNCIDIMINI CHRISTVS VOBIS NIHIL PRODERIT.

S*i igitur Chriſtus uos morte ſua liberauit à ſeruitute dæmonum, & in hanc libertatem adduxit, ne iugo ſeruitutis dæmonum, ac legis Moyſi ſubijceremini, permanete ergo, & immobiles ſtate in hac libertate uobis à Chriſto condonata, & nolite denuo ſub iugo ſeruitutis colla ſubmittere: nam uos Gentiles dum Idolis, & ſuperſtitionibus ueſtris ſeruiebatis, eratis ſub ſeruitute dæmonum, nunc autem per Chriſtum ab hac ſeruitute liberati, nolite uos huic alteri ſeruituti legis ſupponere. Demens profecto is eſt, qui cum ab una ſe exemerit ſeruitute, & in libertatem ſe aſciuerit, iterum in aliam ſe uelit intrudere ſeruitutem: nam ecce ego Paulus ueſter Apoſtolus, & doctor, aperte uobis dico, quòd ſi forte uos, qui Chriſti fidem ſuſcepiſtis, circuncidamini, ſicuti pſeudo Apoſtoli uos*

facere

facere perſuadent, dicentes neceſſariam eſſe circunciſionem ad ſalutem conſequendam, maximo quidem damno afficiemini, propterea quòd mors illa Chriſti uobis nullam opem eſt allatura; quia ſi per legem, & circunciſionem ſalus dari poſſet, inanis, & uana fuiſſet mors Chriſti, & ſic Chriſtus morte ſua nihil uobis contuliſſet.

TESTIFICOR AVTEM RVRSVS OMNI HOMINI CIRCVNCIDENTI SE, QVONIAM DEBITOR EST VNIVERSAE LEGIS FACIENDAE: EVACVATI ESTIS À CHRISTO, QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI, À GRATIA EXCIDISTIS.

D *ixi uobis Galatæ, quòd Chriſtus nihil uobis profuturus ſit, ſi circuncidi uolueritis; nunc autem ego idem iterum atq; iterum teſtimonium perhibeo omni homini, ſiue Iudæo, ſiue Gentili, qui ſe circuncidere uoluerit, ut iuſtificationem acquirat, quòd alio non leui incommodo afficietur, quoniam tenebitur ad uniuerſa legis mandata obſeruanda. Nam qui profitetur legem Moyſi, tenetur etiam ad omnia mandata illius legis perficienda. Legimus enim in Deuteronomio, cum hominem maledictum fore, qui non omnia legis præcepta cuſtodiſſet: profitemini autem ſtatim legem Moyſi, cum primum mandatum in illa contentum, circunciſionem ſcilicet, obſeruare uolueritis: quemadmodum miles ille, qui iurauerit in militiam ſub aliquo Imperatore tenetur ad omnia Imperatoris mandata exequenda, ſimiliter quoq; qui fidem Chriſti profitetur, neceſſe eſt, ut omnia Chriſti mandata fideliter exequatur. Hoc autem ideo dixit, quia pſeudo Apoſtoli fortaſſe ſuadebant Galatis, quòd ex omnibus mandatis legis ſola circunciſio neceſſaria eſſet, quia data fuerit Abrahæ eo tempore, quo in præputio erat, ut per eam pater eſſet tam Gentilium, quàm Iudæorum, quam etiam Chriſtus ipſe ſeruare uoluit; cætera uero in lege præcepta dicebant non ita eſſe neceſſaria: propterea dicit Apoſtolus. Si circuncidi uultis ò Galatæ, uidete in quam ſeruitutem uos ipſos retrudatis, quoniam qui circunciſionem ſuſcipit, uniuerſa quoq; alia legis mandata tenetur obſeruare, unde uos non ſolum durum circunciſionis onus obieritis, uerum etiam (ſi circuncidamini) euacuati eſtis à Chriſto; ut qui prius eratis uaſa plena ſpiritu, & donis illius, nunc propter circunciſionem efficiamini uaſa uacua, & inania, omni deniq; gratia Chriſti carentia; quod apertius declarans, dicit. Quicunq; ueſtrum, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, in operibus legis arbitretur ſe poſſe iuſtum fieri, ex ſublimi ſtatu illo gratiæ Chriſti, per*

Deut. 27.

quam iuſtificationum erat conſecutus, collapſus erit, & in miſeram legis ſeruitutem deductus.

NOS ENIM SPIRITV EX FIDE SPEM IVSTITIAE EXPECTAMVS: NAM IN CHRISTO IESV NEQVE CIRCVNCISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRAEPVTIVM, SED FIDES, QVAE PER CHARITATEM OPERATVR.

Dicant, quicquid uelint, pſeudo iſti Apoſtoli, qui circuncisionem aſſerunt neceſſariam eſſe ad ſalutem conſequendam, nos autem, qui Chriſti fidem, ſpiritu, & non carne profeſſi ſumus, ex fide, & non ex operibus legis, iuſtam retributionem fidei noſtræ, quam redditurus eſt nobis iuſtus iudex, per ſpem, quæ nos non pudefaciet, certiſſime expectamus, non autem iuſtitiam illam legis, quam qui feciſſet homo, uiuebat in ea. Recte quidem redditurus eſt nobis retributionem iuſtam pro ea fide, qua in Chriſtum credimus, quoniam in lege Chriſti neque circuncisio ipſa, hoc eſt, ille, qui ſe ſe circunciderit, neq; præputium, hoc eſt, qui etiam incircunciſus perſtiterit, aliquid mereri poterit iuſtificationis, & gratiæ in conſpectu Dei; ſed ſola utriq; fides profutura eſt; & hæc quidem ea fides eſt, quæ per Dei, & proximi charitatem opera ſua exercet. Satis quidem ex his Apoſtoli uerbis manifeſtum eſt, quod fidei, quæ per charitatem operatur, conſtitutum eſt præmium iuſtitiæ, quod alibi coronam iuſtitiæ appellauit; ſimplici enim fidei, quæ non habet opera coniuncta, nulla ſunt præmia, nullæ laureæ propoſitæ. Hæc enim fides debilis eſt, & ad uitam ſupernam obtinendam infirma, quod ex quam plurimis ſcripturæ ſacræ dictis cognoſci poteſt: ſed prætermiſſis ueteris legis auctoritatibus, ex quibus umbratam quandam æternæ fœlicitatis cognitionem haurire fortaſſe poſſumus, cum nulla clara, nulla aperta ſit nobis in illa promiſſa ſalus, ad nouæ legis auctoritates conuertamur; ubi quanquam plurima loca ſint, plurimiq; fontes, ex quibus ueritatem hanc haurire poſſimus, paucis tamen exemplis contenti erimus. ante omnes occurrit locus ille,
Math.7. *quem in Matheo legimus, ubi dicitur. Non omnis, qui dixerit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ille intrabit in regnum cœlorum. Paulo etiam ante dixerat. Qui ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis, minimus uocabitur. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum: præſtantiam igitur in regno cœlorum non ex doctrina, ſed ex operatione comparamus. Sed quibus tot beatitudines à Chriſto in Euangelio promittuntur? non alijs quidem, quàm ijs, qui*
Math.5. *paupertatem*

paupertatem ſeruarint, qui peccata luxerint, qui ſummo animi affectu iuſta opera facere deſiderauerint, qui miſericordiæ opera fecerint, qui munditiam cordis cuſtodierint, qui pacem ſeruauerint, qui ob iuſtitiam ſeruatam perſecutionibus oppreſſi fuerint, qui deniq; omni calamitatum genere propter Chriſtum affecti fuerint. Iis quidem non corona gratiæ, non miſericordiæ, ſed merces copioſa referetur in cœlis. Nullus ergo beatus in cœlo eſſe poteſt, niſi qui præclaro uirtutis opere, per uſum rationis accepto, Deo in terris ſeruiuerit. Deniq; hortatur Deus Apoſtolos, ut eorum lux effulgeat in terris coram hominibus, ut uideant eorum bona opera, & glorificent eorum Patrem, qui eſt in cœlis. Lux Apoſtolorum quid aliud ſignificat, quàm eorum opera bona, & iuſta? ſed quid ſingula proſequimur? Nullus quidem locus eſt Euangelij, in quo Dominus noſtra bona opera non requirat, unde paulo infra dicit. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur; & falſos Prophetas ab eorum fructibus nobis cognoſcendos eſſe declarauit, & eodem loco de nonnullis dicit. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, non'ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia non noui uos, diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Non'ne etiam dicit Dominus. Omnis qui audit uerba mea, & facit ea, aſſimilabitur uiro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram; & omnis, qui audit uerba mea, & non facit ea, aſſimilabitur uiro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam. Quis non uideat ex his, opera bona aſſimilari firmiſſimæ petræ, & fidem ſine operibus perſimilem eſſe inſtabili, & fluenti arenæ, ſuper quam ædificari non poteſt? Deniq; ut omnia hæc uno uerbo concludamus, audiamus, quid Dominus per Matheum dicat. Cum uenerit orbem terrarum iudicaturus, ijs enim, quibus poſſidendum regnum cœlorum tradet, dicet: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi; eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi potum: nudus eram, & cooperuiſtis me; & ſic enumeratis ſingulis operibus miſericordiæ, ad præmium illis pollicetur ſe cœleſte regnum conceſſurum; ſicuti damnatis pro ſua ipſorum negligentia, & iniquitate perpetrata æternos cruciatus comminatur; quam quidem ſententiam Apoſtoli quoque comprobauerunt. Paulus enim ad Romanos ſcribens dicebat. Deum redditurum eſſe unicuiq; ſecundum opera illius, ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & incorruptionem quærunt, uitam æternam; ijs autem, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt ueritati, ira & indignatio, in omnem animam operantis malum: & paulo poſt, factores legis, & non auditores tantum, dicit eſſe iuſtificandos: & Corinthijs dicit. Quod in præſenti eſt momen-

Math. 7.

Math. 25.

Rom. 2.

2. Cor. 4.

tantum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum glo
2. Timoth. 4. riæ pondus operatur in nobis: & ad Timotheum. Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus iuſtus iudex, & omnibus diligentibus aduentum eius. Hoc
1. Ioan. 3. idem Ioannes in epiſtolis ſuis confirmauit, epiſtola enim prima dicit. Filij nemo uos ſeducat, qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Quid? quod Apoſtolorum princeps
2. Pet. 1. ſecunda epiſtola dicit. Fratres ſatagite, ut per bona opera ueſtra certam faciatis electionem ueſtram. Eandem ſententiam apertius cæteris Iacobus Apoſtolus in
Iac. 2. ſua epiſtola comprobauit, ubi cum multa de operibus diſſeruiſſet, dicit. Fidem ſine operibus mortuam eſſe, & rurſum. Vide quoniam ex operibus iuſtificamur, & non ex fide tantum. Quare qui fidem tantum ſine conſequentibus operibus dicit ualituram ad ſalutem, repellendus eſt, tanquam qui neque Christi, neque etiam Apoſtolorum doctrinam uelit imitari. Sed quid dicemus ad ea, quæ Apo-
Rom. 3. ſtolus Romanis ſcribens, dixit? Hominem ſcilicet iuſtificari per fidem ſine ope
Gen. 15. ribus, quod exemplo Abrahæ declarauit (dicente ſcriptura) Credidit Abraham
Eph. 2. Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Similiter quoq; Ephesijs. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex uobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Quæ omnia dictis Euangelij, & ipſiuſmet Apoſtoli
Rom. 5. contradicere uidentur; ſed facile hoc ſolui poteſt ex dictis Pauli, qui ad Romanos ſcribens, primam aufert difficultatem (inquit enim) Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis, per opera legis intelligendo circuncisionem, & cætera præcepta, & opera legis cæremonialia, non autem opera moralia, ſine quibus ſalutem conſequi non ualemus. Abrahæ uero fides ſine circunciſione fuit illi ad ſalutem. Similiter etiam dici poteſt ad ſecundam auctoritatem Apoſtoli, quia non dixit, quòd opera noſtra non eſſent neceſſaria ad ſalutem, ſed quòd illa non fuerunt cauſa noſtræ ſalutis. Cauſa enim fuit gratia Chriſti, qua mediante per fidem illius ſaluamur; ſi tamen fides hæc nobis donata opera ſua per charitatem exerceat. Sine operibus quidem legis, uidelicet ſine circunciſione, cæteriſq; cæremonialibus; non autem ſine operibus naturalibus, & moralibus ſa-
Eph. 2. lutem conſequimur. Ad Epheſios idem ipſemet Apoſtolus dicit. Creati in Chriſto Ieſu in bonis operibus, quæ præparauit Deus, ut in illis ambularemus. Quare firmiſſime neminem ſine operibus bonis ſalutem conſequi poſſe confiteamur, cum ex tam multis ſuperioribus locis liqueat, ſalutem haberi non poſſe niſi ex bonis operibus. Quicunq; igitur illi fuerint, qui opera noſtra eo modo, quo diximus, ſalutem nobis præſtare cogitarint, uidentur Chriſti, ſuorumq; Apoſtolorum teſtimonio comprobari, quibus nemo eſt tam ignarus, ac rudis, qui non magis, quàm quibus uis alijs, cenſeat eſſe credendum.

Currebatis

CVRREBATIS BENE QVIS VOS IMPEDIVIT, VERITATI NON OBEDIRE? NEMINI CONSENSERITIS: PERSVASIO HAEC NON EST EX EO, QVI VOCAT VOS: MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT.

Antequam ò Galatæ pſeudo iſti Apoſtoli uos adijſſent, pro certo opinabamini, nihil aliud ad ſalutem conſequendam neceſſarium eſſe, præter ſolam fidem cum dilectione coniunctam; & tunc curſus fidei ueſtræ, quem per opera bona ueſtra perficiebatis, non erat interruptus. Cum itaq; tam bene curreretis, ut palmã ueſtri curſus recipere poſſetis, quis ille fuit, qui obſeruantijs legalibus pedes ueſtros implicauit, ne ad coronam pro fide ueſtra uobis promiſſam amplius currere ualeatis? & quis deniq; ille fuit, qui faſcino ſuaſionis ſuæ impulit uos, ne ueritati, quam prædicaui uobis, obtemperaretis? Dico autem uobis, quòd ita adhæreatis ueritati, quam uobis prædicaui, ut nulli alteri contrarium uobis ſuadenti, conſentire debeatis: nam perſuaſio hæc, quam uobis faciunt pſeudo illi Apoſtoli (quamuis alicuius uideantur iſti inter uos eſſe auctoritatis) non eſt ex Chriſto, qui uocauit uos per gratiam ſuam, ut fidei ſuæ innixi ſalutem conſequeremini; ſed magis eſt ex ijs, qui inuidentes ſaluti, & libertati ueſtræ, uolunt uos tradere in nouam ſeruitutem legis. Et quanquam non omnia præcepta legis ſuadeant uobis eſſe cuſtodienda, ſed ſolam circunciſionem ſeruandam eſſe, propellendi ſunt tamen à uobis, nec ullo modo eis eſt conſentiendum, quia etſi ſuaſio circunciſionis tantum res quidem tenuiſſima eſſe uideatur, & ad modum exigua, neſcitis tamen, quòd modicum fermentum ſua acrimonia totam maſſam corrumpit? ſi enim fermentum putridum fuerit, tota quidem maſſa farinæ corrumpetur, propter hoc, quòd totum illud in ſuam putreſcentem conuertetur naturam: ita etiam exiguum unum ueteris legis præceptum ſi obſeruatum fuerit, latius poſtea uagabitur, & totam Chriſti fidem commaculabit; quia fidei fructus uniuerſus auferetur, ſi in circunciſione etiam ſpem noſtræ ſalutis repoſitam eſſe putauerimus.

EGO CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO, QVÒD NIHIL ALIVD SAPIETIS: QVI AVTEM CONTVRBAT VOS, PORTABIT IVDICIVM, QVICVNQVE EST ILLE.

Quanquam tamen aliqui pſeudo Apoſtoli ſint, qui uobis ſuadeant, ut uos ipſos cir=

cuncidatis, ſi ſalui eſſe uelitis, ego autem nihilominus hanc confidentiam de uobis in Domino habeo, quòd nihil aliud ab eo, quod uobis prædicaui, ſentietis, quia Deus benedictus non patietur uos à falſis iſtis Apoſtolis decipi, ſed ſtabiles, & perſeuerantes faciet in ea doctrina, quam uobis prædicaui; & eadem confidentia ſpero etiam, eos, qui uos falſis ſuis ſuaſionibus ſeducunt, meritas luituros pœnas, & condigna ſupplicia daturos, & damnationis perpetuæ iudicio afficiendos fore, quicunq; illi fuerint, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles; quod non putamus dictum eſſe de Petro, aut de aliquo alio Apoſtolorũ, ut quibuſdam male ſentientibus uiſum fuit, ſed magis hoc intelligi debet de falſis illis fratribus dictum, quos ſupra dixerat fuiſſe ſubintroductos, ut explorarent illorum libertatem:
Act. 15. ij nanq; (ut legitur Actorum libro) perſuadebant conuerſis ad fidem, ut ſe circunciderent, ſi ſalutem conſequi uellent. Petrus uero ſecus ſentiebat. Legimus enim Actorum libro iterum in eodem loco, in concilio illo Antiochiæ congregato illum dixiſſe ſententiam ſuam. Quòd Deus fide purificat corda hominum, & propterea legis iugum non eſſe neceſſarium, cum per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credamus, & ſciamus uere nos ſaluari: & propterea non cenſemus, hæc, quæ dicta ſunt, intelligenda eſſe de Petro.

EGO AVTEM FRATRES, SI CIRCVNCISIONEM ADHVC PRAEDICO, QVID ADHVC PERSECVTIONEM PATIOR? ERGO EVACVATVM EST SCANDALVM CRVCIS. VTINAM ET ABSCINDANTVR, QVI VOS CONTVRBANT.

Perſuaſi uobis ò Galatæ, ne ullo modo amplius circuncideremini, ne fidei ueſtræ fructum amitteretis: neq; exiſtimare debetis, quòd ego, qui uobis circunciſionem interdico, ipſam alijs in locis obſeruandam eſſe prædicem, quod quidem pſeudo illi Apoſtoli de me dicere fortaſſe potuerunt, propterea quòd Timotheum aliquando circuncidi fecerim. Abſit hoc, nunquam enim circunciſionem ſeruandam eſſe prædicaui, neq; prædico: nam ſi id facerem, cur adhuc à Iudæis tot mihi illatas perſecutiones ſuſtinerem? nam Iudæi ob hoc præcipue perſequuntur me, quia prædico circunciſionem nulli hominum amplius eſſe neceſſariam. Quare cum perſecutionem patiar, manifeſtum igitur uobis eſſe debet, me circunciſionem non prædicare. Quòd ſi etiam illam neceſſariam eſſe ad ſalutem prædicarem, extinctum omnino eſſet, & abolitum ſcandalum illud crucis, cuius cauſa Iudæi offendebantur, & me unum maxime perſequebantur: & propterea ſi illam

illam prædicarem, non maneret amplius ſcandalum crucis, neq; perſecutionibus ab illis hactenus affectus eſſem; ſed cum adhuc apud illos permaneat per me ſcandalum crucis, & adhuc ab eis perſecutionibus affligar, manifeſtum eſt igitur, falſum eſſe, quod ipſi dicunt, me circunciſionem prædicare. Quòd *ſi* Ti*motheum circunciderim, non tamen prædicaui circunciſionem, neq; id feci, ut putarem circunciſionem neceſſariam eſſe ad ſalutem, ſed ideo paſſus ſum eum circuncidi, ut propter hoc daretur mihi liberior aditus ad* Iud*æos conuertendos, & ad circunciſionem ipſam deſtruendam.* Q*uare cum pſeudo iſti* Apo*ſtoli tot ſuggeſtionibus uos ipſos ſeducere conentur, ut præputij ueſtri carnem circuncidant, & à ueritate fidei uos detrudant, utinam pro tam malo eorum animi affectu à ueſtro conſortio, & à ueſtra conſuetudine penitus repellantur, & diuidantur; ne ſi eorum conſuetudine uſi fueritis, illorum ſuaſionibus ad deſectionem carnis ueſtræ, quæ nihil uobis profutura eſt, inducamini.* Nec *credendum eſt (ut multi putauerunt)* Apo*ſtolum uoluiſſe hoc loco optare, ut illi, qui circunciſionem ſuadebant, abſcinderentur, hoc eſt, ut genitalia illis membra præſcinderentur;* Hoc *enim neq; modeſtiæ, neq; bonitati illius conuenire uideretur: optat igitur* Apo*ſtolus, ut abſcindantur, hoc eſt, ut pſeudo* Apo*ſtoli diuidantur à* Gal*atarum conſuetudine, ne illi prauis eorum ſermonibus incitentur ad obſeruationem legis.* Ab*ſcindere enim aliquando eſt diuidere, ut apud* Poetam *legimus.* Sc*inditur incertum ſtudia in contraria uulgus.* Verg. Aen. 1.

VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS FRATRES, TANTVM NE LIBERTATEM IN OCCASIONEM DETIS CARNIS; SED PER CHARITATEM SPIRITVS SERVITE INVICEM: OMNIS ENIM LEX IN VNO SERMONE IMPLETVR. DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TE IPSVM.

V*ere uos conturbant, & à meliori ueſtro ſtatu dimouere uos uolunt pſeudo iſti* Apo*ſtoli, dum ad ſeruitutem legis traducere uos conantur:* Nam Deus, *qui uocauit uos, uocauit in libertatem, ut relicta ſeruitute ueteris legis, liberi ſine circunciſione, ſine ſenophegijs, ſine cæremonijs uitam traducatis: ſed quanquam in libertatem iſtam adſciti, & à legis uinculis ſoluti ſimus, non tamen propter hoc, nos liberatos eſſe, ſic ab omni lege ſuſpicemur, ut libertatem iſtam, quam adepti ſumus, arbitremur nobis eſſe conceſſam, ut per illam occaſionem habeamus licentius carni, & illius uoluptatibus operam dandi;* Non *hac quidem ratione excuſ-*

ſa eſt à nobis illa ſeruitus legis antiquæ, ſed magis iſta libertate donati ſumus, ut per charitatem ſpiritus ſeruiamus nobis inuicem; Non enim in carnalibus deſiderijs debemus nobis ipſis inuicem ſeruire, ſed magis in charitate ſpirituali, quia nobis ſpiritu ambulandum eſt: cum hac nanq; ſpiritus ſeruitute coniuncta eſt libertas illa, qua Chriſtus nos donare uoluit, quam ipſe maxime nobis præ cæteris commonſtrauit. Dixit autem charitatem ſpiritus, ut excluderet charitatem, & affectum illum carnis noſtræ, quanquam charitas carnis proprie dici non poſſit: propterea ſunt qui dicunt, ſuperfluum eſſe dicere, charitatem ſpiritus, cum in græcis codicibus charitatem tantum inueniamus; Ideo autem per charitatem ſpiritus inuicem tenemini uobis ipſis ſeruire, quia tantam perfectionem habet ipſa charitas, ut omnis lex, ſiue illa naturæ, ſiue illa ſcripta, ſiue denique illa gratiæ, in hac una oratione, dum dicitur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum, contineatur. Lex quidem omnis moralis, quæ à natura ortum habet, præcipit nobis dilectionem iſtam proximi, quam etiam dominus in Euangelio pluribus in locis ſeruandam nobis eſſe mandauit. Quapropter etſi in omnibus per Chriſtum liberi ſitis, dilectionem tamen proximi ſeruare debetis, ut eum, ſicut uos ipſos diligatis, & per charitatem uobis ipſis uiciſſim inſeruire, ut mutua animi affectione alter alteri auxilio ſitis. Sed dubium occurrit, quo nam modo fieri poſſit, ut proximum noſtrum ſicut nos ipſos diligere ualeamus, cum dilectio naturalis, ſiue moralis, quæ à natura proficiſcitur, maior ſemper ſit in uno quoq; reſpectu ſui ipſius, quàm alterius; Propterea dicimus quòd illa dictio, ſicut, non uidetur importare æqualitatem, affectus, & amoris, ut tantum proximum, quantum noſmet ipſos diligamus. Hoc enim fieri nequit propter eam rationem, quam adduximus, ſed hæc dictio, ſicut, ordinem importat, ut ſicut nos ipſos propter bonum noſtrum in ordine ad Deum diligimus, ita etiam proximum propter bonum illius in ordine ad Deum diligere debeamus.

QVOD SI INVICEM MORDETIS, ET COMEDITIS, VIDETE, NE AB INVICEM CONSVMAMINI.

Si itaq; proximum ueſtrum, ſicut uos ipſos, dilexeritis, uniuerſæ quidem legi ſatisfeceritis; ſi uero econtra uos inuicem, hoc eſt, ſi alter alterum odio inceſſerit, calumnijsq́;, & maledictis offenderit: ſi etiam alter alterius bona diripuerit, resq; illius aut per litem, aut per contentionem, aut per furtum, aut per aliquam aliam uim extorſerit, omnia quidem iura, legisq; præcepta ille uiolauerit. Quòd ſi hoc feceritis, uidete, ne forte etiam uos inuicem conſumamini, & in

in nihilum redigamini. Si enim uos ipſos inuicem aut iniurijs, aut contumelijs more canum rixantium momorderitis; ſi deniq; uos inter uos ipſos comederitis, ue ſtráq; bona inuicem rapueritis, mutuo alternatim odio æſtuaueritis, his quidem incommodis, ac malis ad lites, contentiones, & cædes alternas prouocabimini; & ſic tandem inuicem conſumabimini, ut in ueſtris bonis, & in uita etiam ueſtra ſummam iacturam ſitis habituri.

DICO AVTEM, IN CHRISTO SPIRITV AMBVLATE, ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS: CARO ENIM CONCVPISCIT ADVERSVS SPIRITVM, SPIRITVS AVTEM ADVERSVS CARNEM; HAEC ENIM SIBI INVICEM ADVERSANTVR, VT NON QVAECVNQVE VVLTIS ILLA FACIATIS; QVÒD SI SPIRITV DVCIMINI, NON ESTIS SVB LEGE.

P*roximi uobis dilectionem præcepi, quia ſi inuicem uos ipſos morderetis, & comederetis ad conſumptionem cito deduceremini: nunc autem uolo uobis uiam cōmonſtrare, qua facile omnia illa facere, & hæc euitare poſſitis: propterea dico, quòd in Chriſti lege ſpiritu uobis ambulandum, hoc eſt, ratione uiuendum eſt, ut homines, cum ratione uitam traducentes, non quaſi irrationales beluæ: non quaſi inter ſe ringentes aſſidue, & mordentes ſe adinuicem canes: non quaſi alia quæcunque id genus animalia, quæ ſe mutuo dilaniant, & diſcerpunt, ſitis. Quòd ſi ſpiritu, & ratione uixeritis, deſideria, & paſſiones carnis non complebitis, neque perficietis; quia quamuis aliquo concupiſcentiæ impetu ad carnales oblectationes moueri poſſitis, ſpiritu tamen, ac ratione, quaſi fræno quodam, retenti, deſideria, & concupiſcentias carnis non perficietis; Nam ſicuti caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, id eſt optat, & quærit omnia, quæ ſpiritui, ac rationi contraria ſunt, ſic etiam ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, ut ea omnia, quæ ad mortificationem carnis facere uideantur, optet, & procuret, quod quidem ſpiritus opus eſt proprium hominis, ratione utentis, ut ipſi etiam Philoſophi dixerunt, qui cum duplicem poſuiſſent in nobis appetitum, unum rationis, alterum uero ſenſus, dixerunt inferiorem appetitum, qui eſt ſenſus, debere regi à ſuperiori, qui eſt rationis, & intellectus. Sed dubitari poteſt quonam modo caro concupiſcere poſſit aduerſus ſpiritum, cum proprie concupiſcentia ſit appetitus animæ, & non carnis, aut corporis. Dicimus itaque hominem ſolum inter cætera animantia habere animam, quæ propter ſuam immortalitatem, &*

diuinam quandam conditionem, omni mixtione carentem, habet appetitum carni, & corpori repugnantem, eandem etiam animam propter hoc, quòd habet ſenſus, per quos carnalia deſiderat, habere appetitum rationi, ac ſpiritui contradicentem; Quotiens ergo anima uirtutes morales deſiderat, totiens ſpiritus appellatur; quotiens uero econtra terrena, id eſt, quæ corporis ſunt, & carnis, expetit, totiens caro nuncupatur: ſicuti igitur moralia terrenis, & uirtutes uitijs contrariæ ſunt, ita quoq; duo iſti appetitus, carnis ſcilicet, & ſpiritus, inter ſe pugnantes ſunt, hominemq; alternatim ſæpiſſime impediunt, quominus id perficere poſſit, quod uel optat per ſpiritum, uel concupiſcit per carnem. Non igitur caro concupiſcit, ſed anima per appetitum ſenſitiuum, & carnalem concupiſcit; ſicuti eadem per ſpiritum, & rationem moralia, & ſpiritualia appetit: media eſt igitur anima inter utrunq; iſtum appetitum, carnalem ſcilicet, & ſpiritualem. Vnde quando appetit terrenas, & carnales oblectationes, caro appellatur: quando uero moralia, & ſpiritualia deſiderat, ſpiritus nuncupatur. Appetitus autem iſti inter ſe contrarij ſunt, propter res contrarias utrinq; deſideratas, unde nos homines, qui ex utroq; appetitu natura conſtamus, quaſi neceſſitate quadam ſentire difficultates in operationibus noſtris conſueuimus, ſiue bona, ſiue mala faciamus; & tanta eſt duorum contrariorum uis repugnantiæ, ut non omnia, quæ deſideramus, ſiue bona, ſiue mala fuerint, facere poſſimus. Nullus enim unquam homo, naturali ratione utens, adeo circunſpectus fuit, qui in aliquod uitiorum genus non aliquando prolaberetur, neq; quis tam malus unquam extitit, qui aliquod opus bonum non pariter aliquando fecerit, propter iſtam carnis ad ſpiritum, & ſpiritus ad carnem naturalem repugnantiam. Vt autem ſenſum Apoſtoli melius dilucidemus, & quæſtiones multas clariores reddamus, animaduertendum eſt, tria eſſe hominum genera. Quidam enim ſe totos uoluptatibus dedunt, carnis oblectamenta ſemper appetentes, qui non ſpiritu, neq; ratione, ſed carne ducuntur, ac ſi corpore tantum, & non anima conſtarent, & hi quidem, tum propter ſuam ipſorum malam animi uoluntatem, tum etiam propter adultam iam prauam conſuetudinem ferè ſemper opera carnis perficiunt, nam habitus, qui ex pluribus operationibus generari ſolet, inclinat eos, ut in deſiderijs, & concupiſcentijs carnis uitam turpiter traducant; ſed propter ſpiritum, ac rationem, quæ carni repugnat, fit aliquando tamen, ut id genus homines bonum aliquod opus perficiant; quia in his caro etiam & ſpiritus ſibi inuicem contrariantur, ut non faciant ſemper, quæcunq; uelint. Quidam autem ſunt, qui non carne, neq; ſenſu, ſed ſpiritu, & ratione ambulant, & uiuunt, ſicuti plurimi ex maioribus noſtris in lege naturæ, & ſcripta, & multi etiam ex Gentilibus fuerunt, qui rationem ac mentem carni, ac ſenſui prætulerunt

tulerunt: ſed hi, propter carnis ad ſpiritum repugnantiam lapſi ſæpe in fœdas uoluptates, deſideria carnis perfecerunt. Quidam uero alij ſunt, qui non modo ſpiritu, ac ratione uiuunt, ſed ſpiritu uiuunt in Chriſto Ieſu, & hos perfecte ſpiritu uiuere dicimus; quoniam quamuis ſentiant carnis incentiua repugnantis ad ſpiritum, Chriſto tamen adiuuante, carnem uincunt, eamq; cum ſuis mortiferis deſiderijs crucifigunt; ita ut illius deſideria non perficiant. Paulus enim ipſe ſentiebat ſtimulum carnis ſe colaphizantem, ſed ipſius deſiderium non perfecit, nam illi diuinitus præſtita erat gratia ſuperandi carnis petulantiam, ita ut à Deo dictum ſit illi. Sufficit tibi gratia mea; & eodem loco de ſe dicit. Cum autem infirmor, tunc potens ſum: nos etiam quamuis infirmi ſimus, ita ut nos uiribus noſtris Diabolo flammas carni ſubminiſtranti reſiſtere nequeamus, Deus tamen miſericors prouentum cum tentatione facit, ut reſiſtere poſſimus, ita ut illius auxilio carnis deſideria non perficiamus. Hi ergo, qui ſpiritu uiuunt in Chriſto, non ſunt amplius ſub lege, ſpiritus enim in Chriſto omnem illis concupiſcentiam extinguit, ita ut illius opus non perficiant; & propterea quòd à lege liberati ſunt, non egent legis præceptis, quia illi, qui non iram, ſed pacem & charitatem habet, nil opus eſt præcepto legis, ut non occidat; & illi, qui non habet incontinentes oculos, nil opus eſt, ut dicatur, non mœcheris: qui enim ſpiritu in Chriſto ducitur, ſublimior eſt omni lege; & ideo aduerſus fructus ſpiritus in Chriſto nulla eſt poſita lex, ut paulo infra teſtabitur. Qui igitur ſpiritu in Chriſto uiuunt, non ſunt in carne, unde ad Romanos dicebat Apoſtolus. Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu; & rurſum. Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt; atque iterum. Nihil ergo damnationis eſt his in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum. Duo igitur genera illa hominum priora ita ſe habent, ut aliqui eorum ita in carne uiuant, ut carnis deſideria ſæpiſſime perficiant; aliqui autem ſpiritu uiuant, ſed non in Chriſto, & ideo carnis deſideria, ſenſu, & carne rebellante, aliquando perficiant. Sed tertium genus hominum, qui ſpiritu in Chriſto uiuunt, perfectiſſimum eſt, quia illi carnis deſideria, Deo adiuuante, non perficiunt; nam eos non patitur Deus tentari ſupra id, quod ferre poſſunt; quoniam prouentum cum tentatione facit, ut reſiſtere poſſint: propterea Paulus dicebat Galatis, qui Chriſti fidem ſuſceperant. Dico ego uobis ambulandum eſſe, non ut illa duo priora genera hominum, quorum aliqui ſecundum carnem tantum, alii qui uero ſecundum ſpiritum, ſed non in Chriſto ambulant. Vobis (inquam) ambulandum dico ſpiritu in Chriſto Ieſu; & ſic quamuis carnis concupiſcentijs moueri & excitari poſſitis, Deo tamen uos iuuante, concupiſcentias illas carnis non perficietis, neq; ſub lege eritis, ita ut illius præceptis egeatis. Aſſerunt, qui

2.Cor.12.

Rom.8.

græcam literam ſequuntur, non eſſe legendum, ſpiritu in Chriſto ambulate, ſed tantum ſpiritu ambulate, quod parui refert, quoniam alibi ad Romanos dicit. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant: & propterea uel recte appoſitum à noſtris, uel ſi non ſit appoſitum, intelligi debet, quia non contrariatur dictis Apoſtoli, ita ut eandem ſententiam uideatur ubiq; profiteri.

Rom. 8.

MANIFESTA SVNT AVTEM OPERA CARNIS, QVAE SVNT FORNICATIO, IMMVNDITIA, IMPVDICITIA, LVXVRIA, IDOLORVM SERVITVS, VENEFICIA, INIMICITIAE, CONTENTIONES, AEMVLATIONES, IRAE, RIXAE, DISSENSIONES, SECTAE, INVIDIAE, HOMICIDIA, EBRIETATES, COMESSATIONES, ET HIS SIMILIA, QVAE PRAEDICO VOBIS, SICVT PRAEDIXI, QVONIAM QVI TALIA AGVNT, REGNVM DEI NON CONSEQVENTVR.

Dixi uobis ambulandum non eſſe in carne, ut autem ſciatis, quæ ſint opera carnis, quanquam illa manifeſta ſint, neq; noſtra egeant commemoratione, uolui tamen uobis ex ipſis aliqua quaſi oculis ſubijcere, ut ea facilius euitare ualeatis. Primum igitur opus carnis, quod maxime euitandum eſſe uolo, eſt fornicatio, hoc eſt illegitimus omnis cum muliere meretricia congreſſus: Immunditia, quæ eſt impura, & obſcæna carnis operatio: Impudicitia, quæ eſt caſtitatis uiolatio: Luxuria, quæ eſt immoderata appetitio cuiuſcunq; rei gratæ, rationi non obtemperans: Idolorum ſeruitus, hoc eſt, cultus, quo creaturam præferimus creatori: Veneficia, id eſt potiones uenenifera, quibus homines interficiuntur; ſiue ueneficia, id eſt maleficæ artes per magicas incantationes factæ: Inimicitiæ, quibus infenſi ſumus proximis noſtris, odioq; illos proſequimur: Aemulationes, dum maioribus, & præſtantioribus nobis æquales effici cupimus: Iræ, hoc eſt, ardores animi, quibus accendimur, & contra proximum inflammamur: Rixæ, quæ ſunt contentiones diuerſæ, rectæq; rationi contrariæ: Diſſenſiones, animorum diuiſiones, & ſeminationes diſcordiarum, ex quibus ſectæ, atq; hæreſes oriuntur: Inuidiæ, dum bonis aliorum excruciamur: Homicidia, hoc eſt cædes, hominumq; interfectiones: Ebrietates, hoc eſt uini temulentia: Comeſſationes, hoc eſt crapularum aſſidua ingluuies; & quoniam longum erat, uniuerſa opera

carnis

carnis ſingillatim commemorare, cum præcipua illa, in quibus fortaſſe Galatæ, ad quos ſcribebat, implicati erant, manifeſtaſſet, uno uerbo omnia claudit, dicens: ET HIS SIMILIA: *quæ prædico, & manifeſto uobis, ſicuti alias, cum uobiſcum eſſem, prædicaui, coram & manifeſtaui. Dixi enim uobis, quòd qui talia crimina faciunt, regni Dei hæreditatem nunquam conſequentur. Multa autem Apoſtolus opera carnis eſſe dixit, de quibus dubitatio eſt, quomodo poſſint eſſe opera carnis, ſicuti illa, inimicitiæ, iræ, diſſenſiones, & his ſimilia; cum magis uideantur eſſe opera animi deprauati, quàm carnis; quibus facile ſatisfactum iri puto, ſi, quæ paulo antea diximus, ad memoriam reuocauerimus, quòd ſcilicet iſta non dicuntur eſſe opera carnis, ſed animæ per carnem operantis.*

FRVCTVS AVTEM SPIRITVS EST CHARITAS, GAVDIVM, PAX, PATIENTIA, LONGANIMITAS, BONITAS, BENIGNITAS, MANSVETVDO, FIDES, MODESTIA, CONTINENTIA, CASTITAS, ADVERSVS HVIVSMODI NON EST LEX.

M*anifeſtaui uobis opera carnis, ut ea facilius fugeretis, nunc fructus ſpiritus declaro, ut collatis inuicem utriſq; ſcilicet operibus carnis, & ſpiritus, uilioribus abiectis, præſtantiores eligatis. Fructus autem, qui à ſpiritu, mente, & ratione procedunt, in his, qui in fide Chriſti ambulant, iſti ſunt. In primis, charitas, hoc eſt, perfectus amor, quo Deum, & proximum complectimur, quæ omnium uirtutum mater eſt, & ſine qua uirtutes omnes inutiles eſſe reputantur; quam charitatem conſequitur gaudium, quod eſt læta animi affectio alicuius boni opinione concepta; quoniam qui perfecte Deum, & proximum diligit, uere eſt Deo coniunctus; & ſicuti amans uerius in re amata, quàm in ſe ipſo uiuit, ita & is, qui Deum diligit, uerius in Deo, quàm in ſe ipſo eſt, in quo maximum ineſt gaudium, & incredibilis lætitia; propterea ſcriptura dicit. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. Sequitur pax: Is enim, qui per* Pſal. 31.
charitatem eſt Deo tanta cum animi lætitia iunctus, nullis perturbationibus commoueri poteſt, quoniam non modo tranquillitatem animi ſummam poſſidet, ſed etiam ſi ab alio offendatur, ab illo non poſſe lædi ſe putat. Recte autem qui habet pacem, patientiam quoq; poſſidet, quæ eſt tolerantia, cum æquanimitate; nam ſi ille in aduerſis patiens non eſſet, ſi perturbationibus animi moueretur patientiam non haberet; &, qui patiens eſt, non modo unam atq; alteram per-

turbationem ſuſtinere uerum etiam diuturno omni tempore, omnes animi triſtiores affectus, omnes moleſtias omnes tempeſtates, uniuerſas denique paſſiones æquo animo ad finem uſq; perferre, ac tolerare debet; atq; is, qui huiuſcemodi fuerit, uere longanimis, bonitatiſq; poſſeſſor appellari poterit: bonitas enim uirtus eſt, qua ſiue amicis, ſiue inimicis, ſiue bonis, ſiue malis, bene eſſe optantes, ex quodam animi candore omnibus æque benefacimus: & non ſolum, qui huiuſcemodi uiuunt in ſpiritu, bene faciunt, ſed cum ingenua etiam libertate, ac clementia beneficia omnia omnibus præſtare ſolent: hanc autem uirtutem proprie benignitatem appellamus; quam ſequitur manſuetudo, quæ miram quandam ingenij lenitatem ſignificare uidetur. Inter has autem uirtutes, inter ſpiritus hoſce fructus, & connumeratur fides, qua ijs, quæ ſupra nos ſunt, credimus, & de mercede futura certi ſumus. Modeſtiam quoq; ſpiritus parit, quæ quidem temperantia quædam eſt noſtrorum actuum, ne quid uel turpiter loquamur, uel inhoneſte faciamus. Continentia pariter fructus eſt ſpiritus, qua non modo ab illicitis, uerum etiam à conceſſis, prout tempus poſtulat, aliquando abſtinemus. Extrema caſtitas inter fructus ſpiritus continetur, quæ omnes animi paſſiones ſua uirtute ſedat, & illa eſt, quæ ita affectus noſtros moderatur, ut non patiatur hominem ad inhoneſtas uoluptates ruere, & carnis deſideria perficere, quam qui poſſidet, uere beatus appellari poteſt. Has autem uirtutes omnes, non opera, ſed fructus ſpiritus nuncupauit, quia ad fructus, tanquam ad finem ordinantur: qui enim tales uirtutes conſecutus fuerit, & in illis uitam inſontem duxerit, maximos & huberrimos fructus eſt collecturus. Illa uero opera carnis, non fructus, ſed opera appellauit, quia ad nullam utilitatem, ſed magis ad pœnam, & ſupplicium ordinabantur; quoniam, qui talia agunt, à regno Dei penitus excluduntur. Aduerſus autem huiuſmodi fructus ſpiritus, & aduerſus has præſtantiſſimas uirtutes nulla quippe poſita eſt lex, neq; pœna, quæ tranſgreſſoribus legis imponi ſolet, quia qui in charitate, & cæteris commemoratis uirtutibus opera ſua faciet, lege iam non indiget, neq; illius pœnas pertimeſcit.

QVI AVTEM SVNT CHRISTI, CARNEM SVAM CRVCIFIXERVNT, CVM VITIIS, ET CONCVPISCENTIIS: SI SPIRITV VIVIMVS, SPIRITV ET AMBVLEMVS.

Reddens nunc rationem quare aduerſus huiuſcemodi uirtutes, ſiue homines, tales uirtutes habentes, non ſit lex poſita, dicit, hoc inde fieri, quia qui tales uirtutes,

tes habent, Chriſti imitatores ſunt: qui autem Chriſtum imitantur, carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs, & concupiſcentijs eius, hoc eſt corpus ſuum mortificauerunt, ſicut Chriſtus in cruce pro peccatis omnium moriendo fecit; mortificauerunt quidem, his uirtutibus innixi, corpus ſuum, uitia ſcilicet, & concupiſcentias carnis extinguentes; & cum lex prohiberet uitia, & concupiſcentias, ideo dixit, qui Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem ſuam cum uitijs, & concupiſcentijs, ut in utroq; iſtorum oſtenderet legem non eſſe neceſſariam imitatoribus Chriſti. Quòd ſi lex huiuſcemodi hominibus non eſt neceſſaria, multo minus circuncißio neceſſaria eſt, pro lege enim, qui Chriſtum imitantur, ſpiritum habent, quo uiuunt: maior enim uis ſpiritus eſt, quàm legis: iccirco dicit: SI SPIRITV VIVIMVS, SPIRITV ET AMBVLEMVS: hoc eſt, ſi uita noſtra ſpiritualis eſt, opera quoq; ſpiritui correſpondentia eſſe debent: opera autem, ſiue fructus ſpiritus qui ſint, ſatis, ſuperq́; paulo ſuperius ediſſertum eſt, quibus incumbentes ſi uitam noſtram excoluerimus, non lege nobis opus erit, quæ monitionibus, & terroribus pœnarum ad ſanctas operationes inducere nos conetur.

NON EFFICIAMVR INANIS GLORIAE CVPIDI, INVICEM PROVOCANTES, INVICEM INVIDENTES.

Si itaq; ſpiritu ambulandum, & ſpiritu nobis uita traducenda eſt, non efficiamur perituræ gloriæ amatores, eorum errores, qui ſecundum carnem ambulant, ſeueriori aſperitate redarguentes: non id (inquam) faciamus, ne nos ipſos ad concertationes, & rixas inuicem prouocemus. Si quos nimia enim acerbitate redarguerimus, contentiones excitabimus, ex quibus inuidia, hoc eſt odium naſci ſolet, nam ex grauiori ſcelerum commemoratione, acrioriq; reprehenſione illorum odium irritamus, quos monemus, aut increpamus.

CAPVT SEXTVM.

FRATRES, ET SI PRAEOCCVPATVS FVERIT HOMO IN ALIQVO DELICTO, VOS, QVI SPIRITVALES ESTIS, HVIVSMODI INSTRVITE IN SPIRITV LENITATIS, CONSIDERANS TE IPSVM, NE ET TV TENTERIS.

Non ſat erat Apoſtolo Galatas admonuiſſe, ne nimis acerbe, nimisq́; ſeuere eorum errores, qui carni dediti eſſent, redarguerent, niſi modum etiam reprehenſionis, quo uti deberent, illis oſtendiſſet: Iccirco ſpiritu ambulantes, ad quos hæc præcipue poteſtas reprehenſionis ſpectare uidebatur, alloquitur dicens. Fratres docui uos, quomodo falſam pſeudo Apoſtolorum doctrinam fugiatis, nunc autem inſtruo uos, quonam modo proximum ueſtrum peccantem corrigere debeatis. Si itaq; aliquis homo inter uos, peccato aliquo implicitus, & detentus, ſecundum carnem ambulans, lapſus fuerit, uos, qui ſpirituales eſtis, hoc eſt, qui ſecũdum rationem, & mẽtem in Chriſto uiuitis, & ſpiritu ambulatis, huiuſcemodi hominem peccantem corrigatis, non ad inanem gloriam, neq; ut illum ad iniurias prouocetis, neq; ſuperbe, & iracunde, ſed in ſpiritu lenitatis, & manſuetudinis blandis, & humanis uerbis eum inſtruite, & docete; ut quid ſibi agendum ſit ſciat, unde ueniam conſequatur, & rurſus in eundem errorem non labatur: ideo autem in ſpiritu leni corrigendus eſt peccator, quia ſi ad eius ſimilitudinem te ipſum conſideraueris, & tu homo es, cui proprium eſt peccare, & labi, qui ſi & ipſe peccans, grauius redarguereris, facile quidem acerbitate reprehenſionis tentari poſſes, & ad indignationem prouocari; diſcant ij igitur, qui corrigere alios uolunt, tria hæc, quæ modo dixit Apoſtolus, diligenter conſiderare. Primum, ut ſpiritualis ſit, qui peccantem corrigere uelit. Deinde, ut delinquentem in ſpiritu dulci, ac manſueto corrigat. Poſtremo, ut in hoc correctionis officio ſui etiam ipſius fragilitatem ad memoriam reuocet, quia ſi propriam infirmitatem inſpexerit, cognoueritq́;, ſe hominem, & infirmum eſſe ſecundum carnem, cauebit ne ſimiliter & ipſe per tentationem labatur in peccatum, faciliusq́; peccato alterius indulgebit, ſi imbecillitatem animi ſui conſiderauerit.

ALTER ALTERIVS ONERA PORTATE, ET SIC ADIMPLEBITIS LEGEM CHRISTI: NAM SI QVIS EXISTIMAT SE ALIQVID ESSE, CVM NIHIL SIT, IPSE SE SEDVCIT.

Non ſolum debetis, ò Galatæ leni, ac manſueto animo uos, qui ſpirituales eſtis, peccatores corrigere, & illius errores æquo animo ſuſtinere, ſed etiam alter alterius debetis onera, id eſt peccatorum grauitates patienti animo tolerare: Nam ſi ego alterius hominis peccantis tranquillo animo peccatum fero, & ille ſimiliter debet meum errorem eadem patientia, & uirtute animi tolerare: & ſic alternatim peccata tolerantes, adimplebitis, hoc eſt, perficietis legem Chriſti, quæ

in charitate

in charitate conſiſtit, quæ benigna, quæ patiens, quæ manſueta eſt. Appellatur autem charitas proprie lex Chriſti, quoniam paulo antea, quàm moreretur, dixit Chriſtus diſcipulis ſuis. Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem. Ioan. 13.
Adimplebimus etiam legem Chriſti, ſi ipſius imitatione iniurias nobis illatas humaniter pertulerimus: ille enim probra omnia, quibus turpiter, & contumelioſe affectus fuit, patientiſſimo uſq; animo tolerauit. Si igitur hac in re imitati fuerimus Chriſtum, cum lex ipſius in imitatione illius conſiſtat, perfecte ipſius legem adimplebimus. Vtiq; adinuicem debetis unuſquiſq; onera, & peccata portare, & patienti animo corrigere; nam ſi quis inter uos Galatæ eſſet, qui ita amens, & excors exiſteret, ut propter uitam ſuam ſpiritualem putet ſe aliquid eſſe, hoc eſt ſine aliquo onere peccati uiuere poſſe, cum nihil ſit, hoc eſt, cum in conſpectu Dei propter peccatum, quo omnes premuntur, pro nihilo habeatur, iſte talis ſe ipſum ſeducit, hoc eſt inani quadam ſui ipſius exiſtimatione decipitur. Si enim (Ioannes inquit) dixerimus, quòd peccatum non habemus, 1. Ioan. 1.
nos ipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Non ergo quis debet ita ſe innocentem exiſtimare, ut ob hoc uelit aliorum peccata rigide & ſuperbe corrigere, ſed magis unuſquiſq; aliorum delicta magna cum animi lenitate emendare debet: nec ut aliquam ex hac correctione gloriam conſequatur, cum nulla ſit gloria in eorum peccatorum correctione, quibus nos quoq; ipſos inuolutos eſſe conſpiciamus, ſed ut ueræ charitatis ſe profeſſorem, & amatorem conſtituat.

OPVS AVTEM SVVM PROBET VNVSQVISQVE, ET SIC IN SEMET IPSO TANTVM GLORIAM HABEBIT, ET NON IN ALTERO: VNVSQVISQVE ENIM ONVS SVVM PORTABIT.

Si qua igitur, ex correctione peccatorum, quærenda eſt gloria, maxime in ea correctione quærenda eſt, qua nos ipſos corrigimus & probamus: & propterea, quicunq; alios corrigere paratus eſt, probet ſe ipſum prius, & opera ſua diſcutiat, diligenterq; fragilitatem ſuam conſideret, & hoc quidem pacto gloriationem habere poterit de ſui ipſius non de alterius emendatione: maior quippe, & glorioſior ea laus eſſe debet, qua nos ipſos, quàm qua alios emendamus, quia longe difficilior eſt noſtra hæc ipſorum correctio, quàm aliorum illa: & ideo debent omnes ſe ipſos diligenter examinare, & opera ſua probare, quoniam cum ad tribunal iudicis Chriſti omnes deducemur, portabit unuſquiſq; onus peccatorum ſuorum, ut in conſpectu proferantur omnium; quemadmodum per Pro-

Nau. 3. phetam dicit Dominus. Reuelabo in faciem tuam pudenda tua, & oſtendam cunctis gentibus nuditatem tuam. Quare ſummo ſtudio curandum eſt, ut in hac mortali uita conſtitutus unuſquiſq; uideat, caſtiget, & emendet propria delicta, quia (ut diximus) cum ad tribunal iudicis uenerimus, non aliena, ſed propria peccata omnes portabimus. Nec uidetur eſſe contradictio, quia paulo antea dixerat, quòd alter alterius onera portaret; nunc autem dicat, quòd unuſquiſq; onus ſuum portabit, quoniam portare alterius onera (ut ſupra dictum fuit) eſt alterius peccata leni animo corrigere, & tolerare: quòd autem nunc dicat: unuſquiſq; onus ſuum portabit, ſenſus eſt, ut expoſuimus, unuſquiſq; ſcilicet portabit faſces, & onera ſuorum peccatorum, quæ ipſe in corpore ſuo geſſerit, portabit (inquam) ante tribunal Chriſti iudicis.

COMMVNICET AVTEM IS, QVI CATECHIZATVR VERBO, EI, QVI SE CATECHIZAT IN OMNIBVS BONIS.

Docuerat ſuperius quonam modo ſuperiores deberent inferiores inſtruere, & corrigere peccantes, nunc autem docet inferiores, quomodo ſe ſe præſtare ſuperioribus debeant, dicens. Is autem, qui catechizatur, hoc eſt, qui inſtruitur, & docetur uerbum doctrinæ ab aliquo ſpirituali præceptore, communicet in omnibus bonis ſuis illi præceptori, qui eum inſtruit, ita ut ex bonis ſuis præceptori, & inſtructori omnia, quæ ad illius uitam neceſſaria pertineant, honeſte ſuppeditet: appellauit autem communionem iſtam, quaſi quandam recompenſationem, cum pro bonis ſpiritualibus à præceptore communicatis, illi impartiamur bona temporalia: & quòd hic de temporalibus bonis inſtructoribus communicandis loquatur Apoſtolus, adducti ſumus ad hoc credendum, quia in omnibus ferè cæteris ſuis epiſtolis hortatur eos, ad quos ſcribit, ut uel erga pauperes, uel erga inſtructores ſuos indigentes bona ſua communicarent.

NOLITE ERRARE, DEVS NON IRRIDETVR: QVAE ENIM SEMINAVERIT HOMO, HAEC ET METET; QVONIAM, QVI SEMINAT IN CARNE SVA, DE CARNE ET METET CORRVPTIONEM: QVI AVTEM SEMINAT IN SPIRITV, DE SPIRITV METET VITAM AETERNAM.

In hoc autem, quod uobis de alendis inſtructoribus ueſtris dico, ſumma eſt adhibenda diligentia, ne in tam neceſſario præcepto oberretis, & uoſmet ipſos fallatis, quod uobis faciendum eſſe præcipio, non obſeruantes. Deus enim eſt, qui hoc uobis præcepit, tum in teſtamento ueteri, tum nouo. Legimus enim in Moyſe. Non alligabis os bouis triturantis; & Dominus in Euangelio dicit. Dignus eſt mercenarius mercede ſua. Ipſe quoq; Apoſtolus cum in multis epiſtolis, tum maxime in priori ad Corinthios hoc idem aſſeruit, dicens. Si nos uobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia ueſtra metamus? & paulo poſt dicit. Ita & Dominus ordinauit iјs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuere. Quare etſi in hoc faciendo poſſitis uos, & me ipſum fallere, & deludere, Deus tamen ipſe non irridetur, nec enim falli poteſt, ille nanque iuſtus retributor eſt ueſtrarum omnium operationum: ſed ea, quæ hic ſeminauerit homo, ſiue bona, ſiue mala opera fuerint, hæc eadem hoc eſt, horum ipſorum operum fructum, & retributionem etiam in futuro ſæculo metet: Nam opera, quæ facimus in præſenti uita, ſunt ſicuti ſemina, quorum fructus in altera uita colligemus: ſi enim ſeminauerimus in carne noſtra, id eſt, ſi opera fecerimus carnalia, omnia bona noſtra ad uentrem, ad gulam, ad luxum carnis, ad ingluuiem conuertentes, de carne quoq;, hoc eſt, de carnali hoc ſemine metemus corruptionem: nam quæcunq; in hoc ſæculo in carne noſtra ſeminamus, corruptionem patiuntur: ſiue enim filios generamus, ſiue ædes ædificamus, ſiue agros colimus, cuncta quidem hæc corruptibilia ſunt: ſimiliter etiam ex his carnis ſeminibus dãnationis perpetuæ pœnas colligemus: ſed qui ſpiritualia ſemina ſeminauerit in hoc mundo, benefaciendo, eleemoſynas conferendo egenis ſubueniendo, famelicos alendo, ex his ſpiritualibus operibus fructus uitæ æternæ ampliſſimos conſequetur.

Deut. 25.
Luc. 10.

BONVM AVTEM FACIENTES NON DEFICIAMVS: TEMPORE ENIM SVO METEMVS NON DEFICIENTES: ERGO DVM TEMPVS HABEMVS, OPEREMVR BONVM AD OMNES, MAXIME AVTEM AD DOMESTICOS FIDEI.

Si igitur pro operibus ſpiritualibus collecturi ſumus fructus uitæ æternæ, hæc ſemina ſpiritualia ſeminantes, & bonum hoc facientes, nunquam ceſſemus, quandiu ſuppeditatur nobis tempus ſeminationis, nulloq́; labore ſuperati deficiamus à ſeminatione bonorum operum, quoniam præſtitutum, & definitum tempus ueniet, quo huius ſeminationis fructus huberrimos colligemus, non de-

ficientes, hoc eſt, fructus perpetuo nobiſcum permanſuros metemus; ut ſicuti non defecimus in ſeminatione, ita quoq; in collectione non deficiamus. Quare ſicuti aliud eſt tempus, quo ſeminamus, & aliud, quo colligimus, quia non ſemper tempus ſeminandi, neq; ſemper tempus eſt colligendi, ita dum in hac uita ſeminandi, & bene operandi tempus habemus, ſeminemus eleemoſynas, & operemur beneficentiam, & liberalitatem erga omnes, ſiue Iudæos, ſiue Gentiles, ſiue bonos, ſiue malos: & quanquam hac liberalitate erga omnes utendum ſit, præcipue tamen (ait) hoc facere fidelibus debetis, qui apud uos degunt, uos inſtruunt, uos docent, & domi uobiſcum uiuunt. Ex hoc igitur loco, Apoſtoli præcepto admonemur, eleemoſynas eſſe omnibus faciendas, præcipue tamen ijs, qui domeſtici ſunt in fide, hoc eſt, qui nobiſcum familiariter degunt, & in fide Chriſti uiuere ſolent.

VIDETE QVALIBVS LITERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANV: QVICVNQVE ENIM VOLVNT PLACERE IN CARNE, HI COGVNT VOS CIRCVNCIDI, TANTVM VT CRVCIS CHRISTI PERSECVTIONEM NON PATIANTVR: NEQVE ENIM, QVI CIRCVNCIDVNTVR, LEGEM CVSTODIVNT, SED VOLVNT VOS CIRCVNCIDI, VT IN CARNE VESTRA GLORIENTVR.

P oſteaquam Apoſtolus multis rationibus, & auctoritatibus Galatas docuiſſet, circunciſionem, & cætera legalia non ſeruanda eſſe, ſed in ſola Ieſu Chriſti fide quærendam eſſe ſalutem; & poſteaquam etiam docuiſſet quonam modo ſuperiores, & inferiores uiciſſim ſe ſe habere deberent: nunc ut oſtenderet, quantum res iſta, & ſalus eorum ſibi cordi eſſet, & quo ſtudio eos complecteretur, dixit Galatis, totam hanc epiſtolam non aliena (ut de cæteris ſolebat epiſtolis facere, in quibus ſe tantum ſubſcribebat) ſed manu propria eſſe conſcriptam:
Rom. 16. *ſcripſit etenim Romanis, ſed manu Tertij, quemadmodum epiſtola ipſa teſtatur,*
1. Cor. 16. *dicens. Saluto uos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam; & Corinthijs dixit. Salutatio mea manu Pauli. Similiter quoq; cum Theſſalonicenſibus, & Coloſſenſibus ſcriberet. Nunc autem Galatis ſcribens, dicit. Conſiderate meam erga uos charitatem, & beneuolentiam, & diligenter perpendite, quia uidebitis, quo genere literarum, quibus uerbis, quibus perſuaſionibus, quo paterno amore, qua fraterna confidentia uobis ſcripſerim; ita ut neq; iniurijs, neq; obiurgationibus pepercerim,*

percerim, uos ab his falſis pſeudo Apoſtolorum perſuaſionibus ut reuocarem, quod etſi præter conſuetudinem meam feciſſe uideor, charitas tamen, qua uos complector, ut id facerem me compulit. Quòd non manu aliena ſcripſi uobis, id feci, ne forte inſpectis alienis notis, & literis, mihi indignaremini, aut hoc ex mea uoluntate non eſſe ſcriptum ſuſpicaremini: propterea manu mea propria uolui totam hanc ad uos conſcribere epiſtolam; ſcripſi autem uobis hanc epiſtolam plenam reprehenſionibus, in charitate, quia uolo placere uobis in Chriſto in rebus ſpiritualibus, non autem in carnalibus cæremonijs: nam quicunque fuerint, qui uobis placere, & morem gerere in carnalibus obſeruantijs uolunt, ij quidem falſis adhortationibus uos compellunt, ut circunciſionem ſuſcipiatis, atq; id faciunt, non ut uos inde ſalutem conſequamini, nam optime nouerunt, ſalutem non eſſe in obſeruantijs legalibus poſitam; ſed ob eam cauſam faciunt, ut perſecutiones euitent, quæ inferuntur ijs, qui prædicant, & confitentur, in ſola Ieſu Chriſti cruce, & paſſione ſalutem noſtram uere conſtitutam eſſe, abſq; aliqua circunciſionis, & legalium obſeruantia. Conſiderandum autem eſt, quòd Hieroſolymis uarij erant Iudæi, quorum aliqui erant, qui penitus fidem Chriſti abnegabant, & Chriſtianos perſequebantur: quidam uero Chriſti fidem ſuſceperant, aſſerentes tamen una cum fide Chriſti neceſſariam quoq; eſſe circunciſionem, & iſti ſummo pariter odio eos Chriſtianos perſequebantur, qui fidem Chriſti, ſine circunciſione ſuſcepiſſent; ut ergo pſeudo illi Apoſtoli perſecutiones Iudæorum effugerent, qui dicebant, circunciſionem omnino neceſſariam eſſe ad ſalutem, conuerſis fidelibus prædicabant, atq; eos ſuaſionibus ſuis compellebant, ut una cum fide Chriſti circunciſionem ſuſciperent, ne propter ſolam crucis fidem prædicatam à cæteris Iudæis, praue de eadem fide Chriſti ſentientibus, perſecutionem paterentur. Quòd tales autem pſeudo Apoſtoli circunciſionem uobis, non ob aliam cauſam perſuadeant, niſi ut Iudæorum perſecutiones euitent, manifeſte apparet ex hoc, quia hoc non faciunt amore legis, ſi quidem & ipſi, qui circunciduntur, legis præcepta non ſeruant, cum tamen, qui circunciditur, debitor ſit uniuerſæ legis ſeruandæ. Quòd autem legem non obſeruent manifeſtum eſt, quia in multis ritibus, & cæremonijs multis legem non implent; ſed propterea circuncidi uos uolunt, non ut ſalutem uos conſequamini, ſed tantum ut in diſſectione carnis ueſtræ gloriam ipſi apud Iudæos de uobis conſequantur, cum uos in ſuas opiniones ex his perſuaſionibus adductos fuiſſe uiderint.

MIHI AVTEM ABSIT GLORIARI, NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

PER QVEM MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS EST, ET EGO MVNDO.

Illi quidem pſeudo Apoſtoli gloriantur in circunciſione carnis ueſtræ, ego autem gloriam meam omnem in prædicatione crucis domini noſtri Ieſu Chriſti colloca=ui: abſit enim, quòd in alia re, quaſi dicat, in circunciſione, ſiue in lege gloriam aliquam aucuper: nam per ipſum Ieſum Chriſtum mundus ipſe, hoc eſt, quic=quid in mundo continetur, mihi, cæteriſq; Chriſtum confitentibus mortuum eſt, & in eadem cruce extinctum eſt peccatum, & circunciſio, & legis præcepta, cæteraq; omnes legales obſeruationes extinctæ, per quem eundem Chriſtum ego quoq; mortuus ſum mũdo, quia omnia, quæ in mũdo continentur, & peccatum, & circunciſio, & ipſa etiam obſeruantia legis in me mortua eſt, & extincta. Quam=obrem ſi per Ieſu Chriſti crucem mihi mundus omnis, & ego mundo extinctus ſum, reſtat igitur, ut in ſola Ieſu Chriſti cruce uiuam, & in ea ſola meam o=mnem gloriam ponam, in qua una noſtrã omnem ſalutem poſitam eſſe iudica=mus: & ideo in ſola cruce Chriſti, quia illa ſola nobis ſalutem conferre po=teſt; & non in lege, neq; in ipſius cæremonijs nobis gloriandum eſt, quia neque lex, neq; illius cæremoniæ nobis ſalutem aliquam afferre unquam potuerunt.

IN CHRISTO ENIM IESV, NEQVE CIRCVN=CISIO ALIQVID VALET, NEQVE PRAEPV=TIVM, SED NOVA CREATVRA: ET QVI=CVNQVE HANC REGVLAM SECVTI FVE=RINT, PAX SVPER ILLOS, ET MISERICOR DIA, ET SVPER ISRAEL DEI.

Ideo enim mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, quia ea, quæ in mundo con tinentur, & quæ ſunt mundi, ut circunciſionis obſeruantia, & Gentilium ri=tus, & ſuperſtitiones per præputium deſignatæ, in Chriſto Ieſu, hoc eſt, in fi=de Chriſti nihil ualent, hoc eſt nihil ad ſalutem conferunt, ſed tantùm noua crea tura, hoc eſt, nouus homo regeneratus nouitate uitæ ſpiritualis ualet, per quam quicunque, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis ambulauerit, uitam æternam conſeque=tur; quia is, quem diximus, quaſi quandam regulam, & moderationem ſua=rum omnium actionum, ueram fidem Chriſti ſuſceperit, ut in ſola eius cruce gloriam quærat, mundumq; ſibi, & ſe ipſum mundo extinctum putet: ſuper ergo talem hunc, & non ſuper alium quempiam erit pax illa perpetuæ felici=tatis, & miſericordia copioſa Dei, per quam ſolam ſaluamur, & non ſolum

pax, &

pax, & miſericordia Dei erit ſuper Gentiles tantum, qui in Chriſtum crediderint, ſed & ſuper Iſrael, non carnis, ſed Dei, id eſt, eorum, qui de populo illo Iſraelitico Dei promiſſione, & hæreditate digni ex fide facti ſunt: Quod ideo dixit, ne putarent Iudæi, quòd diuerſa eſſet ratio ſalutis eorum, & Gentilium, quandoquidem una, eademq; Chriſti cruce, tum Iudæi, tum etiam Gentiles ſalui facti ſumus.

DE CAETERO NEMO MIHI MOLESTVS SIT, EGO ENIM STIGMATA DOMINI IESV IN CORPORE MEO PORTO. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM SPIRITV VESTRO FRATRES. AMEN.

I*taq; cum ſatis copioſe plurimis rationibus uobis oſtenderim, quòd in ſola Chriſti fide ſaluemur, & quòd nulla ſit opus circunciſione, aut obſeruatione legalium, ut ſalutem conſequamini: Iccirco nullus deinceps ueſtrum mihi ſit de hac re moleſtus, quærendo quotidie, aut in dies credendo, utrum poſt fidem Chriſti ſuſceptam, ſit etiam circunciſio neceſſaria, ut ſalui efficiamur: ego nanque, quamuis uti Iudæus circunciſionem aliquando ſuſceperim, non tamen in illa gloriam pono, eſt enim mihi multo quiddam præſtantius, quo glorier, quoniam non in una quidem parte corporis tantum ſectionem carnis meæ circunfero, ſed in toto corpore meo notas, & ſigna non legis, ſed domini mei Ieſu Chriſti fero: nullus eſt enim in corpore meo locus, qui pro amore, & charitate Chriſti plagis & uerberibus non fuerit affectus, & uulneribus conciſus. Hæc enim uera ſunt ſigna, quæ in corpore noſtro ferenda ſunt, ut ſalutem conſequamur; non autem ſigna circunciſionis in corpore noſtro ferenda ſunt, in quibus nulla ſpes, nullaq; eſt ſalus noſtra collocata. Sit ergo ô Galatæ fratres gratia, & amor ille Ieſu Chriſti cum ſpiritu ueſtro, ut qui ſpirituales facti eſtis, ſpiritu quoq; uiuatis, carnalem circunciſionem contemnatis, & in ſola Ieſu Chriſti fide ſpem omnem ueſtræ ſalutis unice ponatis. Quæ quidẽ uerba in ſignum uſitatum ſuarum omnium epiſtolarum more ſuo Apoſtolus collocauit.*

Aldine
542
G861c

36499

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN
OO PP QQ RR SS TT VV.

Omnes duerniones, præter V V *terniones.*

APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS. M. D. XLII.
MENSE MARTIO.

AL DVS